

DE IUBA ARTIGRAPHO

SCRIPSIT

Otto Hense

ADIECTAE SUNT ARTIS OCTO LIBRORUM PRIORUM RELIQUIAE

CAPVT I.

Quod saepius in harum litterarum studiis usu venit, ut verum ab hominibus doctis dudum repertum posteriorum falsis opinionibus aliquamdiu obscuretur, donec iterum non sine molesta confutandi opera in lucem protrahatur, id miro modo accidit in eis quaestionibus quae ad Iubae metrici personam et aetatem pertinent. Sic G. I. Vossius cum de Iuba Numidiae regis filio dissereret, ne quis cum grammatico hunc confunderet, disertis verbis cautum esse voluerat de hist. Gr. II, 4 p. 220 ed. Westerm.: *alius est Iuba, ex quo Priscianus initio libri de versibus comicis aliqua refert de iambicis cacometris: grammaticus is fuit et latine scripsit.* Item recto olim iudicio usus erat Franciscus Sevinus cui commentaria metrica, quorum apud Servium et Priscianum mentio fit, propter malam latinitatem compluribus post Augusti saeculum annis scripta esse viderentur 'Mém. de l'acad. des inscr. et b. l.' t. VI (a. 1731) p. 159 ed. Amstel.)

Sed nostris temporibus Fridericus Ritschelius, cum suam de aetate Heliodori sententiam contra Bernhardyi dubitationes defenderet Ind. schol. univ. Bonn. hib. a. 1840 p. X (Opusc. philol. vol. I p. 187 sq.), Marii Victorini laudibus p. 94, 6: *at Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit* e. q. s. ita usus est, ut inde Iubam 'non obscurum aliquem magistellum, cuius nusquam praeterea ulla mentio fieret', sed ipsum πολυμαθέστατον regis Numidiae filium fuisse evinceret. Cui quidem opinioni, quae tunc harum rerum condicio erat, illud etiam favere videbatur, quod Iubae regulo Didymum aemulatum esse apud Suidam s. v. Ἰόβας legimus (cf. A. Nauckius de Arist. Byz. p. 164, 1, M. Schmidtius Didym. Chalc. p. 10 sq. 15. 305), nec solum ἱστορικώτατον illum sed etiam criticum fuisse et philologum adparuerat (cf. Henr. Valesius de critica l. I c. 31). Sic

ut alia quae huc faciant mittam, in opere, cui περὶ φθορᾶς λέξεως inscriptum erat (cf. Suid. s. v. Σκομβρίσαι), de corruptis verborum significationibus ille egit; item magnum multorum voluminum opus περὶ θεατρικῆς ἱστορίας ab eo compositum esse plus uno testimonio constat. Quem autem in arte dramatica rebusque scaenicis cognoscendis summum studium conlocasse notum erat, quidni idem etiam de arte metrica scripsisse credendus esset? Neque vero mirandum esse, addiderat Ritschelius l. s. s., eum qui admodum puer Romam adductus hic demum peregrinis litteris excoleretur, et graece et latine doctum fuisse, nec graece tantum de historicis, geographicis, scaenicis exposuisse, sed etiam de metricis rebus latine. Quod etsi obiter tantum aliisque potius rebus intentus Ritschelius monuerat, tamen non defuere qui criticorum principis iudicium amplecterentur. Sunt ei in primis Wenceslaus Plaggius in libro 'de Iuba II rege Mauretaniae' Monasterii Guestphal. edito a. 1849 p. 82 sq., B. ten Brinkius 'Iubae Maurusii de re metrica scriptoris Latini reliquiae' ed. Ultraiecti ad Rhen. a. 1854 p. 2 sqq., P. Boehmerus 'Lectionum Servianarum fascicul.' ed. Olsnae a. 1858 p. 19. Quorum ten Brinkius Ritschelii sententiam etiam novis argumentis ita tamquam corroborare studuit, vix ut apertius veram eam non esse demonstrare potuerit. Nam cum Ritschelius ita se continuisset, ut non incredibile esse putaret alia graece, alia latine Iubam scripsisse, ten Brinkius mox eo delapsus est, ut causam prorsus singularem sibi repperisse videretur, cur in commentariis metricis Numida doctissimus sermonem latinum praetulisset. Nimirum cum paulo ante Heliodorus Graecis novam de metris doctrinam exposuisset, Iuba Romanas litteras ornare cupiens 'Romanis metrorum rationem exposuit latine, Graecis ut etiam in eo genere nihil illi cederent' (ten Brinkius l. s. p. 6). Sed hariolationes ten Brinkii ultra progressae sunt. Neque enim mirum videri non poterat, quod Servius, Victorinus, Priscianus, Pompeius, alii qui ad metricum provocant simpliciter Iubam eum nominant, numquam regem vel regis filium. Cuius rei, si Batavo credimus l. s. p. 5, nulla fuit alia causa, quam quod Iuba in latino libro Romanorum in usum scripto

regem se adpellare noluit. 'Id ipsi', inquit ten Brinkius, 'qua erat prudentia et elegantia, ineptum visum fuerit et vix satis decorum, quippe populo Romano et Caesare indignum. Praeterea, qui in nummis suis latina lingua utens se regem Iubam nuncupabat, eidem in grammatico libro, latine scripto, regio se insignire titulo non convenire fortasse videbatur'. Sed satis sit huius modi ineptiarum, quas omnes dedita opera redarguere ut largae orationis foret, ita apud eruditos iure opinor hodie supervacaneum haberetur.

At enim rectius iudicaverat iam paulo ante Plaggianam vel ten Brinkii operam satis temerariam Antonius Goerlitzius in dissertationis de Iubae regis Mauretaniae vita et fragmentis parte priore Vratislaviae edita a. 1848 p. 14, de qua iudicium fecit M. Schmidtius l. s. s. p. 10 sq. Quamquam ille paucis verbis quaestionem tetigit. Nam cum errorem F. Spironis refelleret, qui (licet in universum prudentius rem egisse censendus sit) librum περὶ φθορᾶς λέξεως metrico vindicare non dubitaverat in Erschii Griberique Encyclopaedia artium litterarumque universali sect. II part. XXVI (a. 1847) p. 324, hac occasione oblata diversum esse metricum a regulo Goerlitzius iecit magis quam exposuit, alias rem accuratius se explanaturum esse pollicitus. Quod quidem eodem argumento haud infringendo, quo Vossius olim nitebatur, virum doctum sibi persuasisse existimaverim (cf. l. s. s. p. 15 sq.). Sed idem compluribus post annis in scriptione scholastica Vratislaviae edita a. 1862, cui dissertationis suae alteram partem inesse volebat, ita a se ipse descivit, ut ten Brinkii vel Plaggii temeritatem facile superaverit. Adeo praeoccupatis opinionibus inretitus argumentis utitur futilibus atque adeo nullis, tam libidinose et ut extra disciplinae fines evagetur certissimis, quae interim ab hominibus doctis prolatae erant, vel observationibus vel testimoniis, fidem abrogare conatur. Et mirarer sane hoc in eo, qui antea Spironis iudicium recte sequeretur, nisi ipse prooemio alterius partis consilium ita ut dubitatio absit aperuisset. Nimirum in lucem proferre constituit, 'quibus Iubam non minore studio et successu, quam quo terrarum situm et naturam descripsit geographus, scriptoris rerum et bonarum artium,

grammatici, metrici partes egisse adpareret'. Sic Iubae regis patrocinio suscepto eos tamquam adversarios illius odio suo persequitur, qui antiquarium eruditissimum etiam metrici partes sustinuisse negaverant, nullum ut artificium reformidet, quo 'quae Iubae regi invidentur' ei cum aliqua probabilitatis specie vindicari posse videantur. Sed quem ad modum argutandi hanc perversitatem, qua omnia miscet Goerlitzius, inutile duco eos praesertim, qui de his rebus iudicare didicerunt, taediosa disputatione edocere, ita ex eis quae infra de aetate metrici disseremus res de qua agitur plane cognoscetur. Quid? quod iam ante Goerlitzium rem fere absolverat (ut de Henrico Keilio nunc taceam) Hermannus Wentzelius in Symbolis criticis ad historiam scriptorum rei metricae latinorum Vratislaviae editis a. 1858 p. 15 sqq. Cuius viri argumenta de distinguendis inter se regis filio et metrico frustra olim impugnata vel ab I. H. Lipsio ('Liter. Centralbl.' a. 1859 n. 6) ne repetam, unum nunc addere sufficiat quo origo errorum, in quos homines doctos videmus incidisse, patefiat. Qui quidem inde mihi tamquam ex primo fonte videntur manasse, quod laudibus, quas posterioris aetatis grammatici in metricum cumularunt, plane eandem vim tribuebant quam eis quibus veteres scriptores exornaverant Mauretaniae regis filium. At enim sicut aliud est Iubae nomen prae se ferre, aliud regia stirpe natum esse, ita profecto diverse iudicabimus de eo, qui vel summis effertur laudibus a Festo Aphthonio vel a Victorino, deque eo, quem Plutarchus adnumerat 'Ἑλλήνων τοῖς πολυμαθεστάτοις συγγραφεῦσι (Caes. c. 55) vel Plinius (Hist. nat. V, 1) studiorum claritate memorabiliorem praedicat quam regno. Alius igitur fuit is, qui de re metrica scripsit, alius regis filius Octaviano acceptissimus, quem puerulum scimus Caesaris triumphum ornavisse.

De patria Iubae metrici testimonio nihil constat, sed Maurum eum fuisse satis certum est. Quamquam enim id solum Iubae nomen*) persuasisse viris doctis videtur (cf. West-

*) De Iubae nominis etymologia praeter locos quos Plaggius congessit l. s. s. p. 5 Pauli Schroederi liber inspiciendus erit 'Die Phoenizische Sprache' Halis editus a. 1869 p. 99 et 104.

phalius Metr. vol. I p. 129 ed. sec.), tamen nihil est, quod huic suspitioni repugnet. Neque enim quemquam fore puto, qui inde, quod Victorinus vel potius Festus Aphthonius (de quo infra disseremus) *nostrum* adpellat Iubam (Mar. Vict. p. 88, 4; 94, 6), Romanae originis eum fuisse festinantius concludat. Solet sane ille hac adpellatione significare Romanos. Sed etiamsi fuit natione Afer metricus, quidni a grammatico saeculi ut videtur quarti ineuntis *noster* adpellari potuerit, ut qui Romanis scripserit sermone latino? Quo cum sententia haec omnibus quod sciam probata non evertatur, tamen ne argutius eam stabilire conemur providendum est. Velut fortasse quispiam in hac re non neglegendum esse duxerit, quod Servius et Priscianus, quos Mauros fuisse constat, Iubam plus semel exscripserint, vel quod etiam Pompeius, qui natione Maurum se esse ipse testatur p. 205, 6 (cf. Lachmannus in Lucret. p. 28), non solum in Terentiano sed etiam in Iuba excerpendo versatus sit. Verum enim vero ut omnino eius modi argumentis nemo nimium tribuet, ita ne certum quidem est omnibus his grammaticis Iubae libros ante oculos fuisse. Sic quod ad Pompeium attinet, quamquam non esse concedo cur utriusque (Terentiani et Iubae) libros ab ipso grammatico inspectos fuisse praefracte negemus, tamen (alia ut taceam) quaedam ex eis, quae Terentiano auctore relata sunt, etiam in Servii commentario, quo grammaticus potissimum utebatur, legi monuit Keilius Grammat. lat. t. V p. 92 sq. Notavi hunc errorem sane proclivem, quod in eum ipsum video incidisse ten Brinkium l. s. s. p. 5. Ceterum de vita metrici nihil nos scire fatendum est.

Sed quo expeditiora hodie sunt quae supra de historico et metrico inter se distinguendis monuimus, eo difficilior est quaestio quae cum illa coniunctissima est de metrici aetate. Constat sane inferiorem eum fuisse Heliodoro, quippe cuius vestigiis institisse tradatur a Victorino p. 94, 7. Sed parum hoc testimonio nos proficere adaeque manifestum est. Nam ut Henricus Keilius in Quaestionibus grammaticis Lipsiae editis a. 1860 Ritschelii et Bergkii placita strenue refutavit, ita de ea sententia, quae ipsi veri simillima visa est, Heliodorum non ita multo antiquiorem fuisse quam Hephaestio-

nem, inter doctos homines hodie parum convenit. Neque enim flocci facienda duxerim quae I. H. Lipsius disputavit in egregia Keiliani libelli censura quae legitur in Fleckeiseni Annalibus a. 1860 p. 607 sqq., neque eos mihi hodie scrupulos exemptos esse sentio, quos nuper prodidi 'Heliod. Unters.' p. 165 sqq. Nolo tamen silentio praetermittere, Keilianas rationes etiam a M. Hauptio nuper probatas esse Ind. schol. aest. univ. Berolin. a. 1871 p. 3 sq., ubi de Irenaeo Heliodori discipulo doctissime ut solet disseruit. Quamquam eorum opinionem, qui putent metricum non fuisse alium quam C. Avidium Heliodorum, certis argumentis confirmari non posse ipse confitetur. Nunc igitur ut res se habet, Heliodoream aetatem certe concedes nimis dubitationi obnoxiam esse, quam cui tuto inniti queamus. Quod cum Keilium non praeteriret, alio usus est indicio, quo paullo accuratius Iubae aetatem definiret. Nempe versiculos illos, quos ex octavo libro Iubae citavit Priscianus de metr. Ter. p. 421, 5: *si qua flagella iugabis, ante putare decet, Ne resoluta et vidua ulmis et ornis Agri discidium dare Nysia rura queant* (quem locum ex Iubae commentariis desumptum esse infra patebit), ex Septimii Sereni versibus fictos esse sibi persuasit. Dixit enim Terentianus Maurus Septimio paulo ante v. 1991 commemorato v. 1998 sqq.: *Talia docta Phalisca legimus: Nam tibi notius hoc genus erit, Carmine si quid ab hoc posuero, Quando flagella iugas, ita iuga, Vitis et ulmus uti simul eant: Nam nisi sint paribus fruticibus, Umbra necat teneras Amineas*, et Terentianum secutus Victorinus p. 122, 15: *ut est illud apud Septimium Serenum, Quando flagella ligas, ita liga, Vitis et ulmus uti simul eant.* Cum igitur certum videretur Iubae versiculos *si qua flagella iugabis* e. q. s. ad exemplar Sereni esse confictos, metricum vel extremo saeculo tertio vel quarto ineunte vixisse Keilius statuere non dubitavit l. s. s. p. 19. Nec improbarunt hoc I. H. Lipsius l. s. s. p. 609, Westphalius Metr. t. I p. 223 ed. sec.

Sed alia nos docuit Lucianus Muellerus subtili de Anniano Falisco et Septimio Sereno dissertatione Museo Rhen. t. XXV inserta a. 1870 p. 337 sqq., quam repetiit in fragmentis Anniani post Rutilium Namatianum editis p. 35 sqq.

Ubi et Victorino et Servio ad Aen. IV 291, qui ipse quoque versum *quando flagella ligas, ita liga*, Sereno tribuit, fidem Muellerus derogavit, cum utriusque testimonium ex Terentiani versibus fluxisset perverse intellectis. Idem nimirum, quod de Victorino pro certo adfirmat, etiam de Servio valere persuasum habet. Quamquam potuisse hunc etiam ex Victorini libris versiculum istum sumere concedit l. s. p. 37. Erravisse autem Lachmannum, qui praef. in Terentian. p. XIV, ut scholium ad Aen. IV 291 adscriptum ab ipso Servio profectum esse demonstraret, Servii qui dicitur Centimetro uteretur, ubi p. 465, 6 metri Falisci hoc exemplum legitur *docta Falisca Serene reparas*. Nihil enim misero huic libello cum genuino Servio commune esse nisi nomen illud etiam aliis grammaticis sive metricis excerptis a librariis adscriptum. Quod ut iam antea Muellerus probaverat in Fleckeiseni Annal. a. 1866 p. 564 sqq. ita novis deinde argumentis confirmavit in Annian. p. 38. Sed ut ad Sereni qui dicitur versum redeamus, sic ille argumentando pergit: fac, re vera Servii esse centimetrum libellum: vel sic fieri non poterit quin repellamur ad Terentianum. Nam verba *docta Falisca Serene reparas* fluxisse ex huius v. 1998 *talia docta Falisca legimus* sua sponte intellegetur. Nec denique alia via ad Augustinum pervenere quae leguntur de mus. IV 30. Causam vero qua Victorinus pariter ac Servius inducti essent ut ad Septimium 'docta Falisca' illa Terentiani referrent, nullam ait aliam fuisse, nisi 'quod proxime praegresso in huius versibus nomine illius per errorem sane facilem ac frequentem Septimii ut praecedens ita etiam posterius crediderint esse exemplum, cum Anniani libros inspiciendi aut voluntas eos deficeret aut facultas' (l. s. p. 39). Anniani enim Falisca carmina esse, non Sereni ille statuit. Quae si vera sunt, in Iubae versibus supra adlatis non Sereni, sed Anniani cognitionem prodi manifestum est. — Sed priusquam ipsi de ea re videamus, audiendus erit Keilius quid Muellero responderit. Respondit in praefatione ad fragmentum Bobiense, quod nuper paulo correctius quam a Vindobonensibus factum erat edidit in Ind. schol. hib. univ. Hal. a. 1873. Ubi quamquam de carminum Faliscorum auctore non disputat,

tamen et de ipso Anniano rem concedere videtur nec satis probabile esse negat memoriam eorum versuum Terentiano deberi. Hoc autem rectissime contra Muellerum monuit vir doctissimus l. s. s. p. V sq., fieri non potuisse ut duo grammatici (Servius et Victorinus), si modo Terentianum uterque secutus esset, et nomen poetae additurі in eundem errorem inciderent et scripturam verborum eodem modo mutarent, cum *ligas* et *liga* pro *iugas* et *iuga* scriberent. Neque vero credi posse Servium e Victorino versum desumpsisse.

Sic igitur ad antiquiorem grammaticum confugiendum esse vidit Keilius, quo nimirum auctore Victorinus et Servius Terentiani verba eo quo vidimus modo aucta et mutata rettulissent. Quid vero? hunc ipsum quem quaerimus grammaticum Iubam fuisse Keilius nunc conicit quamvis dubitanter. Quae coniectura si vera esset, neminem fugit iterum nova hac via effectum iri, non modo Septimium Iubae cognitum fuisse, sed etiam Terentianum. Ut probabilitati Keilianae de metrici aetate opinionis cumulus accederet. Sed cum hac ratione primum pugnare video, quod ipse Iuba non modo apud Priscianum habet *si qua flagella iugabis*, sed etiam in fragmento Bobiensi p. XI, 26 ed. Keil., qui locus certo ad illum referendus est, *si qua flagella iugas, ita iuga* legitur, non *quando flagella ligas, ita liga*, quod Servium praebere vidimus et Victorinum. Eadem igitur difficultate implicaremur, quam modo ipse Keilius removere studebat: duo scilicet grammatici, quamvis ex eodem fonte haurirent, in scriptura a communi fonte aliena conspirarent. Dein hoc potissimum Keilianae suspitioni refragari monendum est quod, num Terentianus a Iuba adhibitus sit (nunc ne plus dicam), valde dubium est: quae quidem de Mauro difficillima quaestio infra quoad fieri poterit ad finem perducetur.

Sic quisnam alius fuerit grammaticus ille, ex quo Victorinus et Servius sua hauserint, nobis respondendum est. Fuit autem ille, ni multum fallor, Aelius Festus Aphthonius, cuius libros praeter tractatum de orthographia, quem quidem ex alio fonte derivatum esse scimus, integros exscripsit Victorinus. Neque ei, qui eundem Aphthonium a Servio Honorato hic illic adscitum esse coniciat, quid iure opponi possit

dispicio. Hunc igitur, quem Terentiano studiosissime usum esse infra identidem elucebit, et nomen Sereni ex Mauri versibus qui antecedebant proclivi quodam errore ductum adiecisse et scripturae discrepantias illas *quando* pro *si qua* et *ligas ita liga* pro *iugas ita iuga* induxisse putabimus. 'At ratio' inquit Keilius praef. fragm. Bob. p. VI 'non constabit, nisi Iubae doctrinam, cui plurima Victorinus debuit, illo quoque loco de metro calabrio ab eo expressam esse probatum fuerit'. Concedo ea quae de calabrio metro apud Marium traduntur (p. 122, 9—12) ex Iuba exscripta videri, sed quominus Aphthonium alia quaedam ex Terentiani versibus etiam hoc loco suo more addidisse statuamus, ea re non prohibemur. Ut scrupulo illo quo Keilius stimulabatur feliciter ut sperare licet remoto Luciani Muelleri iudicium nobis non probari nequeat. 'Docta Falisca', quae Aphthonius Terentiani versibus male intellectis ad Serenum rettulit, scripserat Annianus. Ex Anniano locum illum, a quo sumus profecti, Iuba recepit: nihil ut aliud hinc consectarium esse adpareat quam Anniano metricum aut supparem fuisse aut post eum vixisse.

Quod ut recte statuisse Muellerus censendus est, ita in eo, quod Iubam quam poterat fieri antiquissimo tempori adscripsit, hoc est Hephaestioni fere aequalem circa finem saeculi secundi floruisse opinatus est, a veritate virum acutissimum aberravisse mihi persuasum est. Quamquam rem non ita probare licet, ut invicto scriptoris alicuius testimonio adlato tamquam primo impetu profligetur, sed ut in complurium indiciorum vi coniuncta satis sit praesidii. Ceterum Hephaestionis memoriam ab hac quaestione excludendam esse praeteriens moneo. Neque enim vestigia exstant (id quod infra elucebit) quibus, ut Iubam hoc metrico usum esse tibi persuadeas, re vera adducaris.

Sed quod Muellero unius scilicet versiculi ratione habita negandum erat, Septimii opuscula ruralia Iubae cognita fuisse, hoc ipsum, si alios nonnullos locos respexeris, iam non dubium tibi fore speraverim. Sic Sereno adscribitur proceleusmatici numeri versus a Martiano Capella p. 171 ed. Eyss. *perit abit avipedis animula leporis.* Idem autem exstat

in Victorini de metro proceleumatico tractatu p. 99, 14, quem totum ex Iubae copiis fluxisse infra patebit. At error is est, inquies, Martiani secundum Westphalii observationem, qua exemplum hoc e graeco potius versu, qui legitur schol. Hephaest. p. 131, 21 ed. Westph. ἴθι μόλε ταχύποδος ἐπὶ δέμας ἐλάφου, a metrico nescio quo latino fictum esse voluit Metr. t. I p. 207 ed. sec. Audio hoc: sed uti potuisse id fieri equidem largior, ita ex eis Westphalii coniectura est, quibus non magis confidere possis quam diffidere. Nam ut mittam Capellae disertum testimonium, quem similiore quodam Sereni versiculo statim adferendo deceptum esse volunt, nihil vere obstare video, quominus ipsi Sereno graecum illum versiculum ante oculos fuisse credamus. Nec probabilitate quadam carent quae Wernsdorfius de carmine, ex quo haec petita sint, exposuit Poet. lat. min. tom. II p. 284. Cuius argumenti continuitati nescio an iure adnectatur alter ille eiusdem numeri versus, quem Sereno adscribit Diomedes p. 513, 11: *animula miserula properiter obiit* (*obit* vel *obiit* libri Diomedis, *abit* Nonius p. 517). Ceterum si consideraveris, quam rarus fuerit huius metri usus vel in poeta metrorum varietate quam maxime insigni, non mirabere quod eundem versum pro exemplo posuit Terentianus v. 1464.

Exemplum trochaici tetrametri praeter alia hoc legitur apud Marium p. 85, 1: *tale quale vere dulce sibilat teres donax*; idem apud Atilium p. 288, 3 exstat, nec non in fragm. Bob. p. X, 5 ed. Keil. Quod puri tetrametri exemplum in Iubae opere olim lectum fuisse, sicut trium Iubae excerptorum consensu arguitur, ita infra a nobis omnis ut dubitatio absit confirmabitur. Atqui hunc ipsum versum Sereno tribuit Wernsdorfius l. s. s. p. 291, post hunc Muellerus l. s. p. 48. Nec vero desideratur indicium, quo certius Septimii esse hoc frustulum adpareat. Nam cum apud Nonium p. 223 addito Sereni nomine legatur *suave sibilum*, sponte opinor suspitio suboritur esse exitum hunc tetrametri qui antecesserit in Septimii carmine:

suave sibilum:
tale quale vere dulce sibilat teres donax.

Et hoc ipsum feliciter me iudice perspexit Wernsdorfius l. s. s.

p. 292. Qua in ratione etsi Muellerum non acquievisse mirandum est, tamen ipsum tetrametrum ad Serenum referre non dubitavit.

Possum alia exempla proferre, quibus Septimii opuscula Iubae nota fuisse adaeque veri simile fiat: sed missis quae plus minusve in coniectura sint posita, aliud quiddam moneo idque multo maioris momenti. Nempe certum est nullum eorum grammaticorum, qui Iubae mentionem iniciunt, ante iniens saeculum quartum vel finem antecedentis, quantum quidem hodie iudicare licet, vixisse. Quod plane cognoscitur grammaticorum grege inde a Mario Plotio Sacerdote (cf. Osannus 'Beitr. z. griech. u. roem. Litt.' v. II p. 298, Keilius Gramm. lat. t. VI p. 425) usque ad Prisciani tempora perlustrato vel Rufini. Denique non mediocriter has nostras rationes adiuvat, quod in dicendi genere quo Iuba utitur haud pauca sunt, quae a puriore priorum saeculorum latinitate recedant. Ad quod genus cum primus diligentius animadvertisset Keilius Quaest. gramm. p. 21 sq., nos hanc dictionis insolentiam infra tam multis quam certis exemplis comprobabimus.

His igitur argumentis confisus si Iubam sub finem saeculi tertii vel initio sequentis scripsisse iudicavero, ut Terentiani aequalis fuerit, in temeritatis crimen non incurram. Ceterum monendum mihi est, primum quod sciam hanc de aetate metrici sententiam proposuisse Wentzelium Symb. crit. p. 17.

Quin libris suis 'Artis' nomen indiderit Iuba, ego nullus dubito. Scilicet 'artigraphum' Iubam adpellat Servius in Verg. Aen. V 522, unde tacite iam operis titulum sumpsit Westphalius Metr. t. I p. 223 ed. sec. Nec dubitasse de ea re videtur Keilius Quaest. gramm. p. 15, ubi recte monuit non omnem de octo partibus orationis disciplinam, quam artem dicere consueverunt grammatici, libro suo complexum esse Iubam, sed artis metricae praecepta singulari studio exposuisse. Quod cum per se ipsum pateat, si quis distinctiore 'artis metricae' titulo libros suos 'metricum' (cf. Plotius Sacerd. p. 300 G.) evulgasse statuerit, haud errabit. Ceterum etiam illud alicuius momenti esse puto, quod excerptores arti-

graphi inscribendi hanc rationem satis vulgarem servaverunt. 'Ars' exstat Atilii Fortunatiani, quem Iuba usum esse satis constat. 'Artem' ad Constantium imperatorem scripsit Asmonius teste Prisciano l. X p. 516, 16, in qua Iuba auctore de metris eum disputasse probabiliter statuit Keilius de Marii Victorini arte grammatica p. VII. Denique 'artem' suos de re metrica libros inscripsisse Aelium Festum Aphthonium (de quo Iubae excerptore infra uberius dicemus) etsi testimonio non constat, tamen veri est persimile. Ceterum 'artis grammaticae' titulum ideo retinuit Victorinus, quod libris de re metrica, quos ex Aphthonio descripsit, praemisit tractatum de orthographia ex alio fonte derivatum, de quo diligenter disseruit Gulielmus Schady 'de Mari Victorini libri I capite IV quod inscribitur de orthographia' ed. Bonnae a. 1869.

Aliud quidquam praeter Artem metricam scripsisse Iubam nescio an recte negaveris. Quamquam (ne silentio grammaticorum nimium tribuam) etiam de hac re certo testimonio destituti sumus, ut primo obtutu fortasse propter ipsam famae qua metricus florebat celebritatem plures ab eo libros conscriptos esse tibi persuadere possis. Sed ut facile concedo eum hariolari qui sola 'artigraphi' adpellatione, cuius mentionem modo inieci, rem confici existimaverit, ita rationem inspicienti, qua Rufinus et Priscianus pariter in citando illo versati sunt, scrupulus in hac quaestione non residebit. Rufinus autem tali modo metricum laudat p. 2711 P.: *Iuba in libro quarto sic dicit* e. q. s., ibid. *in alio loco sic* e. q. s., ibid. *de choliambo sic* e. q. s. Eandem citandi rationem observavit Priscianus de metr. Terent. p. 420, 24, ubi ad Iubam hisce verbis provocat: *idem in octavo*, quem quidem numerum saepius falso intellectum non nisi ad Iubae artis librum octavum referri posse infra docebo. Nunc satis sit ad Keilium provocasse, quem Quaest. gramm. p. 18 sq. eo tantum erravisse puto, quod pro *in octavo* minorem numerum restitui maluit, velut pro *in VIII* potius *in V libro*. Quod autem in his artis titulum, cuius sine dubio sunt fragmenta illa, numquam diserte addendum curaverunt Rufinus et Priscianus, inde certo nobis colligendum est saeculo quinto (ne plus dicam) nullum artigraphi opus praeter ipsam artem notum

fuisse. Denique si artis huius consideraveris vel librorum multitudinem, quam infra aperiemus, vel insignem doctrinam, non erit profecto, cur in eundem grammaticum cumules alia nescio quae opera, quorum nusquam exstet nec vola nec vestigium.

Quot in libros Iuba opus suum distribuerit, nemo veterum tradidit, sed octavi memoria fit apud Priscianum, cuius locum iam integrum subscribam: *idem in octavo: 'qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis posuerunt, et est haec quoque vitiosa confusio, ut*

si qua flagella iugabis, ante putare decet,
ne resoluta et vidua ulmis et ornis
agri discidium dare Nysia rura queant.'

Quo in loco interpretando cum nescio quo pacto olim viri docti de vero aberrassent, hodie Keilii potissimum et Westphalii cura hoc effectum est, ut numeri indicatio ad numerum libri, ex quo ea quae sequuntur petita sint, recte referatur. Missa igitur B. ten Brinkii temeritate, qua pro *in octavo* proposuit *in VI l.* (quod intellegi voluit *in sexto loco* l. s. s. p. 22), etiam Ritschelii coniecturam praeteriens tantum significabo. Scilicet *in octavo*, dixerat Ritschelius l. s. s. p. X (Opusc. philol. t. I p. 187), non est in octavo libro, sed in octavo pede iambicorum versuum, in quo idem non numquam, quod in secundo, quarto et sexto, fieri diceretur. Quo iudicio admisso consequens fuit, ut verba quae sequuntur apud grammaticum *qui ergo confuderunt* — *Nysia rura queant* ipsi Prisciano, non Iubae tribueret Ritschelius. At enim argumenta illa, quibus haec opinio evertitur, et plana et certa videnda sunt apud Wentzelium l. s. s. p. 24 atque Keilium Quaest. grammat. p. 18. Nec vero magis stare posse Bergkii rationem, quam proposuit in Mus. Rhen. nov. t. I a. 1842 p. 379, idem perspexit Keilius. Neque enim ad Iubam pertinere verba *idem in octavo* iudicavit ille, sed ad Asmonium potius referenda esse, utpote cuius paulo ante mentionem iniceret Priscianus l. s. p. 420, 1: *Asmonius etiam idem confirmat his verbis* e. q. s. Quod quidem ita adnotatione sua ad h. l. comprobaverat grammaticorum editor, ut Iubae disputationem,

quae inter Asmonii verba et *idem in octavo* e. q. s. apud Priscianum media interposita est p. 420, 7—22, ex eiusdem Asmonii libris descriptam esse contenderet. Sed mutavit sententiam vir doctissimus in Quaestionibus grammaticis anno insequenti editis p. 18, ubi rectissime negat esse cur dubitetur quin ipse Priscianus Iubae libros legerit. Cf. praef. fragm. Bob. p. IV sq. ed. Keil. Et res me iudice ita plana et manifesta est, ut cum verbis *idem in octavo* proxime praemittat grammaticus p. 420, 22: *attende Iubam quoque scire inveniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus absque observatione ponitur, quos* κακομέτρους *vocat*, nemo opinor, cuius quidem animus simplicitati aliquid tribuat, ad Iubam illa non sit relaturus. Quamquam in eo contra dicentem me habet Keilius, quod ut iam supra monui in octo librorum numero aeque ac Wentzelius l. s. s. haesitavit. Numerum scilicet maiorem esse ait in eo opere quod totum in metris exponendis versaretur, praesertim cum Iubam in quarto libro de iambico disputasse sciremus ex Rufino p. 2711 P. Quocirca *in V libro* commendavit pro *in octavo.* Confidenter autem omnem de hac re dubitationem expellere ausus est Westphalius Metr. t. I p. 224 ed. sec., ubi etiam argumentum quoddam huic numero defendendo valde accommodatum occupavit. Neque enim octo libros mirabitur, si quis meminerit primi operis Hephaestionei duodequinquaginta volumina exstitisse, secundi undecim (ut de ceteris taceam): unde profecto etiam Heliodori doctrinae ambitum licet augurari. Quid? quod Aelius Festus Aphthonius, quem Iubae potissimum auctoritati addictum fuisse infra videbimus, excerptis suis quattuor librorum spatium explevit. Ac respicias si placet vel unius longioris fragmenti rationem, quam egregia sit doctrina refertum, quam insigne utriusque linguae exemplorum multitudine: iam non id artigraphum egisse persentisces, ut aliorum copias excerptoris more in artum redigeret, sed ut doctrinam quam ab aliis acceperat multa lectione sua augeret et amplificaret. Denique ipsum Rufini ad quem Keilius provocavit testimonium octo voluminum spatio quam maxime favere infra patebit. Ac priusquam Prisciani verbis insistamus, partim ex hoc Rufini loco, ubi Iuba in libro quarto de iambico

exposuisse traditur p. 2711, partim e re ipsa nescio an contigerit ut aliquid coniectando eruatur.

Primum vel obiter rem reputanti hoc dubium non erit, quin a prototypis, id est a metro dactylico (quod quidem primum locum tenuisse infra demonstrabo) novus liber operis a Iuba compositi initium ceperit. Neque enim dispicitur, quo alio disputationis ordine uti ille potuerit, nisi a certa via ac ratione voluit declinare. Hoc si tenebitur, duo omnino video cogitari posse, si modo integer numerus ille a Rufino servatus est. Aut enim tres libri prototyporum descriptionem antecesserunt ita ut dactylicum anapaesticum una cum iambico aliisque fortasse volumine quarto continerentur, aut duo tantum volumina prototyporum expositione excipiebantur, ut dactylicum et anapaesticum in librum tertium, iambicum cum trochaico in librum quartum distributa fuisse eluceat. Quorum, ut dicam quod sentio, hoc magis probarim quam illud. Quamquam enim etiam de litteris Iubam copiose exposuisse ex Pompeio scimus p. 110, 18, nec quin solito more metricus hoc in principio operis fecerit dubitari potest, tamen aut multum fallor aut maius est trium voluminum spatium, quam quibus, quae prototyporum descriptionem praecedere volebant metrici latini (cf. e. gr. Mar. Vict. p. 31—68) commode potuerit expleri. Ut vero ex dactylico metro et anapaestico singulare volumen constitisse credam, non modo epiplocae ratione adducor, sed etiam eo quod in exordio huius libri, quo universam prototyporum explicationem artigraphus adgrediebatur, haud ita pauca tamquam prooemii loco praemittere vel debuit vel saltem potuit (cf. Mar. Vict. p. 69—70). Ut materia non defuerit metrico, qua singulare volumen posset impleri. Quem ad modum autem probabile nunc est a libro tertio prototyporum expositionem exorsam esse, ita si singulari libro eam ad finem perductam esse sumam, vix quisquam adversabitur.

Iam vero accuratius si singulorum voluminum ambitum et argumenta definire volemus, ut Rufini testimonium cum Prisciani prudenter coniungatur necessario postulat ars critica. Quod antequam fiat, reliquum est ut de Prisciani verbis *idem in octavo*, quippe in quibus cardo rei vertatur, vel levis-

sima dubitationis umbra tollatur. Itaque quoniam supra octo librorum numerum per se ipsum nihil offensionis habere intellectum est, nunc ne scrupulus resideat, etiam de Wentzelii opinione quae sola restat breviter dicemus. Nempe cum Iuba eo loco, quem supra exscripsimus *qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum* e. q. s., de iambico metro disserere videretur, cui a quibusdam trochaei inserebantur, Wentzelius hunc locum ex eodem libro quarto sumptum esse ratus, ex quo Rufinus longius illud de iambico fragmentum rettulit, numerum *VIII* mutari iussit in *IIII* l. s. s. p. 24. Sed haec ratio facillima est ad diluendum. Nam id ipsum, ut Keilii verbis utar Quaest. grammat. p. 18, quod numerus libri diserte additus est a Prisciano, cum omissus sit in superioribus quae ad quartum librum haud dubie pertinent, indicat haec ex alio libro atque illa petita esse. Et falsam esse Wentzelii opinionem etiam melius perspexit Westphalius Metr. t. I p. 224 ed. sec., ubi fragmentum quod ex octavo rettulit Priscianus ad eam potius disputationem, quam Iuba de polyschematistis quae vocant instituerat, pertinere intellexit. De his enim agi ex ipsius artigraphi verbis dilucide adparet: *qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis posuerunt* e. q. s. Idem vero quod verissimum est coniecerat Bergkius Philol. v. XVI p. 642 n.: 'Die überlieferte zahl VIII abzuändern ist gar kein Grund vorhanden: Iuba handelte wie es scheint in diesem Buche über die μέτρα συγκεχυμένα oder confusa, wie der technische Ausdruck war' e. q. s. Nec fugit hoc Goerlitzium part. alt. p. 30 sq. Quam observationem, etsi adhuc nemo eam quantum licebat adhibuit, ad librorum distributionem accuratius cognoscendam summi esse momenti ac ponderis iam patebit.

Ac certum est eam constanter viam metricos tenuisse ut, id quod ratio exigebat, de metris asynartetis et polyschematistis non prius disputarent quam prototyporum expositionem absolvissent. Unde hoc certe consequens est, ut ante librum octavum, id est septimo, disputationem de prototypis Iuba ad finem perduxerit. Neque enim iam septimo libro ad

asynarteta transitum factum esse existimabit, qui secum reputaverit quam non sit probabile polyschematistis, quorum expositione absolvenda erat Heliodorea haec metra tractandi ratio, totum expletum esse volumen. Ut vero novus omnino liber ab asynartetis et polyschematistis inciperet, hoc re ipsa postulatum fuisse iam supra intellectum est. Adde quae in superioribus de tertio et quarto volumine dicta sunt: iam coniunctis his testimoniis argumentisque eo necessario adducimur, ut prototyporum expositionem tertio quarto quinto sexto septimo libris inclusam fuisse credamus. Quam librorum distributionem alio nunc argumento e re ipsa petito confirmabo, quo nihil puto esse certius. Etsi haec mihi venia danda erit, ut eorum, quae alio loco commodiore de prototyporum numero et ordine disputabo, aliquam partem mihi hic anticipare liceat. Hunc enim ordinem metrorum et numerum si cum ea quam repperimus librorum distributione comparaveris, mox talem eam esse intelleges quali aptior omnino cogitari nequeat. Nempe sic ut dixi materia in libros digesta non modo summa librorum aequalitas cernetur, sed etiam ea dispositio quae sola congruat cum singulorum principalium natura. Nam si ambitum unius cuiusque voluminis respicies, ita rem egisse artigraphum in conspectum venit, ut de decem metris libris quinque exponens bina metra singulis voluminibus comprehenderet. Tot autem metrorum genera Iubam persecutum esse alia disputationis parte evincam. Sin vero ordinem prototyporum spectas, vide hac nostra partitione admissa quam apto ac fere necessario vinculo omnia inter se copulata sint. Ac de metro dactylico et anapaestico quae 'ἐπιπλοκὴν δυαδικὴν τετράσημον faciunt' (Mar. Vict. p. 63, 29), libro tertio Iuba egisse existimandus erit, id quod iam supra nobis veri simillimum videbatur. In libro quarto de iambico exposuit, quod ex Rufino scimus, item de trochaico, id quod addere nunc licet, quippe quibus ἐπιπλοκὴ δυαδικὴ τρίσημος contineatur. Quinto volumine choriambicum et antispasticum erant comprehensa, 'ipsa', ut Victorini verbis utar p. 88, 2, 'parilitatis, qua inter se congruunt, contemplatione'. Utrumque ionicum, utpote quae ipsa quoque inter se respondeant, sexto volumini attributa

erant. Singulari libro, id est septimo, aptissime duo illa explanavit artigraphus, quae inter prototypa recipi noluit: rhythmum dico paeonicum et proceleusmatici speciem, quam 'adnecti copularique comico anapaestico' satius esse ei videbatur (Mar. Vict. p. 98, 27). In octavo denique de asynartetis disputavit et de confusis: id quod didicimus ex Prisciano.

Sed fingamus paulisper de uno alterove prototypo alio ac nos nunc statuimus loco a metrico disputatum esse: iam non modo aequalitatem illam rei ipsi quam maxime convenientem disturbari consectarium erit, sed ne rationem quidem metricam, in qua Iubam versatum esse infra comprobabimus, stare posse nemo non intelleget. Omnis vero de re dubitatio eo tamquam stirpitus evellitur, quod etiam in Victorini libro secundo, quem ex Iubae commentariis excerptum esse in universum a viris doctis diu perspectum est, bipertitae huiusce librorum rationis luculenta quaedam exstant indicia. Quorum evidentissimum adfero hoc quod legitur p. 70, 3: *placuit itaque hoc situ ordinis ad illuminandas eorum inter se alternationes ac mutuas aemulationum vicissitudines, quas per contrariam naturae positionem habere noscuntur, eadem sic digerere, ut dactylicis anapaestica, iambicis trochaica et cetera, ut paulo ante induximus, e diverso posita, quo distent ac differant sive copulentur et congruant ipsa inter se comparatione proposita, non solum ingenii sed et oculorum veluti contemplatione percepta in promptu ac propatulo habeantur.* Quae quidem verba magnam sine dubio partem ex Iuba descripta non iam mirabimur quod multo melius quadrant in rationem artigraphi, qui singulari volumine bina quae inter se respondent metra sit complexus, quam in Victorini de decem metris disputatiunculas unius libri angusto spatio comprehensas. Quamquam ne in Victorini quidem libro pristinae distributionis vestigia hodie prorsus sunt oblitterata. Neque enim ordo metrorum, quem instituit Iuba, derelictus est neque metrorum binorum inter se comparatio neglecta: cf. Mar. Vict. p. 74, 35 sqq. 83, 25. 87, 30 sqq. 93, 2. al. Sed nihil iam pluribus opus esse existimo. Confidenter igitur, ut summam disputatorum comprehendam, ea quae ad dactylicum et ana-

paesticum pertinent, adscribo libro tertio; quarti sunt, quae ad iambicum spectant et trochaicum; quinto tribui de choriambico et antispastico reliquias; sexto inclusi 'utraque ionica'; rettuli ad septimum ea quae de paeonico exstant et proceleusmatico; octavi libri numerum praeposui eis quae ex disputatione de asynartetis et polyschematistis petita esse mihi persuasi.

Iamiam num plures quam octo libros artigraphus scripserit quaeritur. Quod quidem cave ne inde colligas, quod tractatum 'περὶ ποιήματος' Hephaestio, fortasse etiam Heliodorus extremo enchiridii loco adnexuit (cf. Hephaest. p. 59 sqq. ed. Westph. Westphalius Metr. t. I p. 186 sqq. ed. sec., 'Heliod. Unters.' p. 154 sqq.). Ut enim tenendum est etiam 'de poetice' quaedam a Iuba disputata esse, id quod monui l. s. s. p. 134 sqq., ita artioribus finibus hunc doctrinae locum conscriptum fuisse adparet, quam quo totum volumen posset constare. Consectarium igitur esset in extremo libro octavo de hac re metricum exposuisse, nisi certius quiddam in promptu esset. Nam cum parum probabile sit bipertitam illam materiae distributionem, quam inde a tertio usque ad septimum librum in Iubae opere regnasse evicimus, ita volumine octavo abiectam esse, ut cum eis, quae de asynartetis et de metris confusis disputata erant, nova quaedam de poetice expositio coniungeretur, percommode nobis licet conicere primo vel potius secundo libro hunc tractatum insertum fuisse, utpote quibus 'velut quaedam primae institutionis incunabula' (Mar. Vict. p. 69, 5) lectori oblata esse manifestum sit. Quam coniecturam per se probabilem vere tenendam esse sibi persuadeat necesse est, qui quem locum huic disputationi Aphthonius vel Victorinus dederint cognoverit, de quibus Iubae excerptoribus infra plenius exponetur: cf. Mar. Vict. p. 56, 15—60, 25. Et quam facile ab eis, quae 'de versu' vel 'de metris' in universum hoc loco Iuba disseruisse censendus est, ad disputationem de poematis vel de carminum compositione potuerit transiri, ex Victorini quem attuli loco primo obtutu animadvertas.

Verum quaeres hac data occasione idque iure tuo, ubinam libri primi finis et secundi initium constituenda sint. Ad hoc

fatendum est nihil prorsus certi me habere quod respondeam. Attamen si liceat nobis eam imaginem, quam de Artis librorum ambitu animo informavimus, coniectura quamvis lubrica aliquo modo absolvere, haud ita reiectaneum videbitur, si libro primo Iuba de litteris, de syllabis, de rhythmo, de pedibus exposuisse credatur, de metris vero, de colis metrorum, de versu, et de eis quae reliqua fuerint libro secundo. Qui enim reputaverit, quam accurate et copiose ab artigrapho expositum sit de litteris praecipue et syllabis, id quod ex Pompeio facile perspicitur, is certe cavendum esse concedet, ne nimis larga manu alia huic libro capita superaddamus. Sed cum res ad coniecturas redeat satis ancipites, nolim quidquam pronuntiare confidentius. Neque igitur ausus sum a primo volumine secundum certo quodam termino separare, sed coniunctas proposui utriusque reliquias, satis pro re nata contentus, si non nimis a pristina materiae distributione aberravero.

Sed iam ad quaestionem illam spinosam quam attigimus redeundum est. Quam quoniam artissimo vinculo cum alia quaestione hac, quibus usus sit fontibus metricus, coniunctam video, si pauca quae maxime huc faciant praeripiam, noli mirari. Adparet autem eam metra tractandi rationem, quae fuit Heliodori vel in universum etiam Hephaestionis, Iubam libro octavo, quo de asynartetis et confusis egit, ad finem perduxisse: cf. schol. Longini in Hephaest. p. 89, 28 ed. Westph.: εἶτα ζητεῖ (sc. Ἡφαιστίων) καὶ περὶ πολυσχηματίστων καὶ οὕτω πληροῖ, et Westphalius Metr. t. I p. 186. 219 ed. sec. Quocirca iam hoc quaeritur, num etiam alteram illam rationem Heliodoro antiquiorem (cf. Westphalium ibidem p. 114. 138 sqq. al.), qua omnia fere metra ex heroo dactylico et iambo trimetro derivabant, Iuba in usum suum converterit. Quod si fecit, simul octo librorum numerum longe eum excessisse secundum ea quae supra exposui elucet; sin vero Heliodori rationibus per totam Artem se continuit, octavum volumen extremum fuerit necesse est. Quam ratiocinationem ne quis ita diluere posse sibi videatur, ut utramque rationem et Heliodori et antiquiorem illam octo librorum ambitu coniunctim propositam fuisse opinetur, memi-

nerit a derivatorum expositione artem Heliodoream ita alienam fuisse (cf. Keilius Gramm. lat. t. VI p. 252), vix ut quidquam ineptius hac diversarum inter se rationum confusione possit cogitari. Ad quaestionem igitur illam quam dixi respondendum erit. Quod ut arti convenienter fiat, nihil, quod in hanc rem alicuius momenti esse possit, neglegere debebimus.

Primum igitur argumenta non nulla in promptu esse largiendum est quibus, ut derivata ab artigrapho exposita esse neget, facile quis moveri queat. Sic Victorinus Iubam atque alios testatur 'Graecorum opinionem' secutos esse p. 88, 5. Quamquam cum etiam eam rationem, qua derivata persequebantur, a graeco nescio quo grammatico constet inventam et excultam esse (cf. Westphalius l. s. s. p. 173), hoc testimonio nihil efficeretur, nisi ipse ille Marii locus, ubi Iubae aliorumque mentio fit, ad Heliodori doctrinam certo esset referendus: *coniugatio antispasti, ut Iuba noster atque alii Graecorum opinionem secuti referunt, non semper ita perseverat* e. q. s. Nec nullius momenti est alterum eiusdem Victorini testimonium, quo Iubam ex Heliodori auctoritate pendere diserte pronuntiat p. 94, 6: *at Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est* e. q. s. Sed ne in his quidem duobus locis subsistendum est. Licet tertium addere, ubi Iubam significari scriptoris nomine non addito perspexit Westphalius l. s. s. t. II p. 190 n.: Mar. Vict. p. 106, 18: *fiunt itaque per has coniunctiones de his LXIIII differentiis, ut maiores nostri in hac arte sublimes tradiderunt, species differentiarum quattuor milia XCVI* e. q. s. Locum autem hunc et quae eum praecedunt ex Heliodorea de asynartetis disputatione ab Iuba expressa esse nuper comprobavi 'Heliod. Unters.' p. 127. Ubicumque igitur artigraphi memoria fit a Victorino, ibi haud obscurum est secundum Heliodori rationem de metris agi, non more eorum qui persequebantur derivata. Cui observationi altera quaedam poterit copulari. Nempe praeter hos Victorini locos alii numerantur duodecim (si recte computavi) apud diversos grammaticos, ubi nominatim ad Iubam provo-

catur. Percense hos quoque: nullum reperies quem necesse sit ad derivatorum rationem referri. Quamquam nonnulla horum fragmentorum, velut ubi de litteris vel syllabis exponitur, posse sane etiam in derivatorum explanatione locum habuisse silentio non praetereundum est. Quibus argumentis si confideres, ad eandem sententiam pervenires quam suam fecit Wentzelius Symb. crit. p. 18, cuius verba, licet multum eum de vero aberrasse iam ex superioribus perspicuum sit, hic adscribo: 'iis, quotquot hodie restant, perlustratis Iubam ita egisse existimaverim, ut primum de litteris syllabisque, deinde de pedibus, tum de metris prototypis, quae per singula capita vel (ut cum Rufino loquar) per singulos libros tractasse videtur, denique morem grammaticorum secutus de metris conexis inter se atque inconexis sive asynartetis exponeret'. Quorum similia invenies apud Goerlitzium part. alt. p. 21.

Sed huic iudicio opponitur Westphalii sententia quae legitur l. s. s. p. 228, ubi etiam de derivatis et de metris Horatii Iubam disputasse sine ulla haesitatione pronuntiavit: 'Darauf folgte dann eine Darstellung der metra derivata im Sinne des Caesius Bassus und der metra Horatiana'. Cf. eundem t. II p. 59. Quod cum tantum iecerit Westphalius, non certis argumentis firmarit, nostrum nunc erit ea, quibus hoc iudicium stabiliri possit, diligenter exquirere. Nec iniuria vel propter doctrinae claritudinem, qua inter ceteros metricos eminebat artigraphus, veri plerisque dissimile videatur, eam doctrinae partem ab Iuba neglectam esse, quam inde a Varrone in primis diligenter Romani excolebant. Maiorem etiam vim habet, quod eadem quae sic efficeretur bipertita metra tractandi ratio etiam in posteriorum grammaticorum compilationibus conspicua est. Huc referendi sunt Victorinus, Atilius, Servii qui dicitur centimeter libellus, Diomedes, nunc ut alios praetermittam. Quamquam de Diomede aliter nobis iudicandum esse ac Westphalio visum est, infra me spero posse evincere. Sed restat, quo maxime nos oportet commoveri. Nempe haud difficile licet demonstrare Caesium Bassum, qui de derivatis exposuit (cf. Westphalius t. I p. 169 sqq.), ab Iuba exscrip-

tum esse: cf. ibid. p. 172. Quam rem quo coniunctiorem esse video cum quaestione de fontibus quibus Iuba usus sit infra instituenda, eo nunc brevius expediam. Quamquam illud etiam, ne levi brachio ut aiunt rem agamus, cavendum erit.

At fortasse hoc ipsum negaverit quispiam, inde quod Caesio Iuba utebatur consectarium esse, ut etiam derivata Arte sua complexus sit. Nam licet rationes sequeretur Caesius ab Heliodoro diversas, tamen haud paucos doctrinae locos utriusque systematis fuisse communes neminem fugit. Sic de singulorum metrorum usu et adpellatione fieri non potuit quin Caesii fontes cum Heliodori doctrina haud raro congruerent. Deinde in eis potissimum ad libros Caesianos Iuba confugisse putandus erit, in quibus exponendis ei praecipue opus esset duce Romano. Velut eorum, quae de litteris et syllabis disputavit artigraphus, haud pauca procul dubio ex Caesii tractatu derivavit. Multus praeterea erat Caesius utpote 'vir doctus atque eruditus' (Victor. de metris et de hexam. p. 209, 10) in versibus priscorum potissimum poetarum Romanorum adferendis, de quo antiquitatis studio hodie nondum satis perspecto infra disserendi locus erit. Cuius modi exempla, quibus Iuba haud abstinuit, ut difficile est ad credendum omnia eum sua ipsius quantavis lectione habuisse cognita (cf. Terentian. Maur. 1969 sq.: *non equidem possum tot priscos nosse poetas* e. q. s.), ita Bassi beneficio etiam ad reconditiora facilis ei aditus parabatur. Iam igitur ex eis quae attuli (nolo autem haec nunc curiosius persequi) id quod voluit Westphalius non consequens esse largiendum est.

Sed ut nullis interiectis ambagibus iam ad finem quantum potero quaestionem perducam, argumentum quod rem deciderit positum est me iudice in ea ratione, quae intercedit inter Aphthoniani operis partem priorem et posteriorem. Quam rem brevissime inlustrabo. Et quod ad priores duos Marii libros attinet, praeter alia, quae ex ipso Terentiano hausta esse adparet, haud pauca ibi exstant ita conspirantia cum versibus Mauri, ut non ex his ipsis petita esse manifestum sit, sed ex tali potius scriptore, qui eundem ac Terentianus fontem descripserit. Hunc autem metricum, quem

Aphthonius in eius modi locis expilavit, cum nullum alium nisi Iubam esse nemini dubium sit qui quidem Aphthoniani operis indolem perspectam habeat, iam consequitur ut utrumque et Iubam et Terentianum Caesii opere usos esse credamus. Terentiani autem fontem opus Caesianum fuisse post Lachmannum nemo nescit. Tantum de Aphthonii libro primo et secundo, quibus Heliodori doctrina exponitur. Nunc velim inspicias libros posteriores, tertium dico et quartum, quibus ille derivata explicavit. Ibi autem facili negotio multo etiam plures reperientur loci, quos ex Caesio, non ex Terentiani versiculis fluxisse concedendum est. Qui loci Caesiani quin ipsi quoque Iuba intercedente ad Aphthonium pervenerint, non dubitabit qui de prioribus libris rem concesserit. An Aphthonium eiusdem auctoris notitiam, quam in priore operis parte ex Iuba hausit, eandem in altera parte suae ipsius lectioni debere existimabimus? Hoc qui statueret, probabilitatis fines egressurum esse unus quisque opinor mecum sentiet. Nec ei, qui posteriorum grammaticorum expilandi rationem aliquo usu norit, poterit in mentem venire alium nescio quem praeter Iubam metricum interiectum esse, ex quo ille in posteriores libros suos locos Caesianos recepisset.

Sic Westphalii sententia probabiliter firmata nihil fere relinquitur, nisi ut casu factum esse quamvis miro adfirmem, ut nullus eorum locorum, qui nomine artigraphi addito apud grammaticos hodie exstant, ad derivatorum expositionem necessario pertineat. Quamquam unum saltem alterumve eorum a neutro systemate abhorrere iam supra monui. Neque in eo haerendum est, quod in posteriore metricae parte nomen artigraphi tacuit Aphthonius. Vix enim de vero aberrabimus, si similitudine illa, quae inter Iubae derivatorum explanationem et Terentiani libros non potuit non intercedere, Aphthonium commotum esse putabimus, ut non in tertio libro vel quarto, sed in secundo potius, quo Heliodori prototypa contineri volebat, ad Iubae auctoritatem nominatim provocaret.

Itaque evicisse nobis videmur, id quod per se probabile est, a Iuba, 'qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit', derivata non esse praetermissa. Quod si verum est,

sua sponte intellegitur octo librorum numerum artigraphum longe supergressum esse.

Nunc vero si quis postulet a nobis, ut et quot libris octo illi excepti sint demonstretur et extremorum voluminum dispositio et ordo proponatur, plus postulet quam a quoquam in hoc genere praestari posse puto. Nihilo minus nolo plane reprimere quid sentiam, quamquam pro certis haec non vendiderim. Neque enim incommode artigraphum ita opus suum absolvisse conicias, ut nono libro ea persequeretur metra, quae ex heroo dactylico derivari solebant, decimo ea quae ex trimetro iambico prodeunt, undecimo quae procreari docebant ex utriusque concinnatione ac permixtione (cf. Mar. Vict. p. 141, 7), duodecimo denique de metris Horatii speciatim disputaret. Tot autem partes ultro se offerunt Victorini libris extremis vel leviter inspectis. Neque ambitus unius cuiusque voluminis ei nimius videri poterit, qui ea, quae de singulorum metrorum nomine et usu exponenda erant, maximam partem iam in prioribus libris ab artigrapho occupata esse perspexerit. Quamquam cum nullum usquam de duodecim libris testimonium exstet, huius modi opiniones numquam ita ut dubitatio absit comprobari poterunt. Quocirca equidem ne ultra octo librorum numerum, qui a grammaticis soli commemorantur, in reconcinnanda metrici memoria progrederer, religioni duxi. Accedit vero aliud quiddam huic extremae parti restituendae valde adversum. Nam etiamsi de librorum numero certum haberemus testimonium, vel sic magnae ac paene invictae difficultates tali consilio obstarent. Nempe ea potissimum, quae in tertio et quarto Victorini libro ex Caesii opere fluxisse putanda sunt, Aphthonius ita partim cum Mauri versiculis partim cum suis ipsius additamentis in unum quasi corpus indissolubile coagmentavit, fere ut Lyncei oculis opus sit confusaneam hanc farraginem discreturo. Sed de hac re, quam nunc uno verbo memorasse sufficiat, infra uberius exponetur.

CAPVT II.

Sequitur ut de auctoribus, quibus Iuba usus sit, disseram. Quam quaestionem bipertitam esse volumus. Nam primo loco de metricis graecis agendum est, altero de latinis. De graecis autem praecipue agi docent Victorini verba p. 88, 5, quae iuvat hoc loco repetere: *coniugatio antispasti, ut Iuba noster atque alii Graecorum opinionem secuti referunt, non semper ita perseverat, ut in principio pedis iambus collocetur.* Ac sicut Varronem scimus ea 'quae graeci philosophi et grammatici de graeca elaborarant lingua in latinam transtulisse', ita diu consueverant grammatici latini eandem hanc rationem observare etiam in rebus metricis. Velut ea, quae de derivatis in Varronis libro quarto de sermone latino legebantur, iam supra monui non primum a M. Terentio constituta esse, sed ab antiquiore aliquo graecorum grammaticorum esse condita (cf. Wilmannsius de M. Terent. Varr. libr. gramm. p. 38. 71. al., Westphalius Metr. t. I p. 173 ed. sec.). Quamquam, ut quasi praeteriens hoc moneam, vix quisquam Wilmannsii sententiae patrocinium suscepturus est, qui Heliodorum a Varrone exscriptum esse coniecit l. s. p. 71. Quem errorem hodie facile supersedeas multis verbis refellere, postquam Westphalius discrimina quae inter utramque rationem metricam intercedunt subtiliter et acute definivit. Haud parvis autem difficultatibus impeditam esse hanc de metricis graecis quaestionem eum non fugit, qui quam tenuis sit hodie horum memoria meminerit. Cf. Westphalius Philol. t. XX p. 249. Quid quod ne illud quidem compertum habemus, utri quisque systemati addictus fuerit eorum grammaticorum, quos περὶ μέτρων scripsisse ex Suida potissimum discimus. Denique sciendum est, vix ullum nobiliorem prioribus praesertim duobus p. Chr. n. saeculis fuisse grammaticum, qui non metricam simul attingeret. Verum hodie quae est testimoniorum penuria, quamquam fere ad auctorum quaedam nomina et librorum titulos repellimur, de quibus ne coniecturae quidem locus erit, tamen ut vel sic satis confidenter de Iubae auctoribus loquamur, ipsis eius scriptoris de

quo disputamus rationibus adducimur. Quas quidem ita se habere praemonendum est, ut multorum lectione abstinuisse metricum satis eluceat.

Ut igitur de Aristoxeno taceam, mitto etiam Aristophanem Byzantium et Aristarchum, quos praeter colometrias peculiaribus libris de re metrica egisse ne constat quidem (cf. 'Heliod. Unters.' p. 12 sq.). Nec magis fallatur si quis Soteridam, Pamphilae patrem (cf. A. Meinekius de Men. et Philem. vit. et script. p. XXXIV), qui περὶ μέτρων scripsit Suida teste s. v. Cωτηρίδαc, Iubae cognitum fuisse negaverit. Idem dixerim de Ptolemaeo Ascalonita, quem '᾽Αριcτάρχου γνώριμον' (cf. Steph. Byz. s. v. ᾽Αcκάλων t. I p. 132 ed. Mein.) περὶ μέτρου scripsisse idem Suidas memoriae tradidit s. v. Πτολεμαῖοc ὁ ᾽Αcκαλωνίτηc. — Draconem Stratonicensem haud pauca quae ad artem metricam pertinebant composuisse per eundem contestatum habemus s. v. Δράκων Cτρατονικεύc. Huc praeter libros περὶ μέτρων et περὶ τῶν Cαπφοῦc μέτρων probabiliter etiam referri poterunt περὶ τοῦ Πινδάρου μελῶν et περὶ τῶν ᾽Αλκαίου μελῶν, quorum ibidem memoria fit. Sed horum omnium nihil hodie superesse in vulgus notum est, postquam librum de metris poeticis, qui nobilis grammatici nomen ementitur, primum edidit G. Hermannus Lipsiae a. 1812 (cf. Hermanni praef. in Drac. p. XIV, Lehrsius in Zimmermanni Diariis a. 1840 p. 114 sq., idem in Analect. grammat. p. 402 sqq.; M. Schmidtius in Philol. t. IV p. 627 sq.). Nihil scimus de Astyage, nisi quod librum eius περὶ μέτρων commemoravit Suidas s. v. ᾽Αcτυάγηc, nec fere de Ulixe metrico quidquam constat, de quo egit Rossbachius in disputatione de metricis graecis altera p. 4 sq. Herodianum quoque rem metricam tractasse ex solo Trichae testimonio p. 281 ed. Westph. cum Westphalio (Metr. t. I p. 122 ed. sec.) vix collegerim. In dubitationem vocavit Trichae verba (ἡμεῖc μέντοι τοῖc παλαιοῖc ἑπόμενοι μετρικοῖc, Ἡρωδιανῷ καὶ Ἡφαιcτίωνι e. q. s.) Studemundus in commentatione quae legitur in Fleckeiseni Annalibus a. 1867 p. 609 sqq.: 'Der pseudoherodianische Tractat über die εἴδη des Hexameters', ubi de Heliodori nomine substituendo cogitavit. Ac sane cum etiam alibi Ἡρωδιανόc et Ἡλιόδωροc nomina inter se permutata

sint (cf. A. Lentzius Praef. in Herodian. p. X), nunc magis probaverim hanc rationem quam nuper factum est 'Heliod. Unters.' p. 119.

Iam num inspexerit Iuba horum quos enumeravi grammaticorum libros si quaeres ex me, hoc vehementer me addubitare non possum non respondere. Nam quod de superioribus illis valet, quorum mentionem Suida duce iniecimus, etiam de his quos extremo loco posui tenendum erit: nullum in eis, quae certo ad Iubam auctorem referenda sint, vestigium eorum posse reperiri. Quod non mirabitur qui quidem temporum praesertim quibus fuerit artigraphus aliquam rationem habeat. Unde non eis grammaticis (quorum perexiguus semper numerus fuit) eum adnumerandum esse adparebit, qui, quidquid priorum technicorum industria praestiterat, suo Marte in examen vocaverunt, immo ne eis quidem qui diligentius quam circumspectius ex multorum grammaticorum libris sua corraserunt: sed ni omnia fallunt potius in eorum numero ponendus est, qui unius alteriusve priorum auctoritati addicti huius potissimum vestigiis fideliter, ne dicam serviliter insistebant.

Priusquam ad eos metricos, quorum uberior memoria exstat, adgrediar, Philoxenum dico, Heliodorum, Hephaestionem, pauca de Seleuco grammatico praemonebo. Qua in re proficiscendum est ab eis quae Henricus Keilius disputavit Quaest. grammat. p. 14. Nempe verba quae apud Priscianum leguntur de metr. Ter. p. 427, 27 sqq.: *Aeschylus in* Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας Ἱππομέδοντος σῆμα καὶ μέγας τύπος. *in principio enim trochaeum posuit, quem imitans Sophocles teste Seleuco profert quaedam contra legem metrorum, sicut in hoc*, Ἀλφεσίβοιαν ἣν ὁ γεννήσας πατήρ, non dubitari posse vir doctissimus existimavit quin 'sicut reliqua, quae eo loco dicta sunt, ex Heliodori libro Priscianus descripserit'. Quo iudicio ut mihi quidem persuasum est Keilium verum adsecutum esse (cf. Ritschelius Opusc. philol. t. I p. 363, 'Heliod. Unters.' p. IX), ita ne quis hoc loco ad Iubae memoriam locupletandam abutatur, paucis monendum erit. Nam qui morem istum memoria tenet (quis est autem quin teneat?), quo grammatici ita se gerebant in posteriorum auctorum copiis exscri-

bendis, quasi etiam horum fontes ipsi inspexissent, is eo fortasse progrediatur, ut totum de metris fabularum Terentii tractatum inde a verbis quae leguntur p. 420, 7 vel saltem p. 426, 10, ex Iubae Arte paucis vel additis vel mutatis a Prisciano exscriptum esse censeat. Quod si verum esset, inde certe sequeretur etiam Seleuci Aristarchei, cuius aetatem definivit M. Schmidtius Philol. t. III p. 437, apud Iubam mentionem factam esse, fortasse ut inter eius fontes numerandus esset. Sed huic suspitioni, quae, si Heliodori solum rationem habeas, placeat tibi fortasse non mediocriter, id potissimum obstat, quod num etiam Hephaestionem Iuba usurpaverit valde dubium est. Hunc autem praeter Heliodorum excitavit in hoc tractatu Priscianus p. 426, 15; 429, 1. Nisi igitur a Prisciano ea quae Heliodori sunt ex Iubae Arte descripta esse, ea quae Hephaestionis ex huius ipsius metrici scriptis addita esse artificosius quam verius volemus statuere, in Keiliana ratione persistendum est. Sed ut largiamur paulisper, quod minime concedimus, Prisciani tractatum ex Iubae opere manasse: ne sic quidem Seleucum artigrapho ante oculos fuisse efficeretur. Immo nemo puto esset, quin ex Heliodoro hanc Seleuci memoriam, si apud Iubam legeretur, repeteret. Ceterum Seleucum de metrica scripsisse non constat. Quare de commentario in Sophoclem cogitavit Westphalius Metr. t. I p. 122 sq. ed. sec., in quo ea quae apud Priscianum leguntur non ita incredibile putat locum habuisse (cf. Suid. s. v. Céλευκος Ἀλεξανδρεύς: ἔγραψεν ἐξηγητικὰ εἰς πάντα ὡς εἰπεῖν ποιητήν).

Iam igitur disputationem nostram fere ad Heliodorum et Hephaestionem delapsam esse video. Sed antea de Philoxeno Alexandrino breviter dicendum erit. Ac Philoxenum, qui περὶ μέτρων scripsit Suida teste s. v. Φιλόξενος Ἀλεξανδρεύς, a Iuba usurpatum esse sibi persuasit B. ten Brinkius l. s. s. p. 35. Sed manifesto erravit, cum hoc inde concluderet, quod a litteris ut Philoxenus, non sicut Heliodorus a metrorum definitione exordium Iuba sumpsisset (cf. Longini quae vocant proleg. ad Hephaest. p. 82, 10 ed. Westph.). Quis enim Philoxeno auctore hoc factum esse credat qui meminerit et vetus institutum hoc esse (cf. Cae-

saris 'Grundz. d. gr. Rhythm.' p. 33; Westphalium l. s. s. t. I p. 31. 178) et praeter alios etiam Caesium Bassum, quem a Iuba expilatum esse supra monui, a litteris exorsum esse. Neque enim licet dubitare, quin etiam in hac re sicut in plerisque fideliter Bassi rationem expresserit Terentianus (cf. v. 1300 sqq.).

Vix magis probari poterit quod Westphalius etsi dubitanter coniecit l. s. s. t. I p. 228 sq. Nempe ea, quae Victorinus cum Aristide Quintiliano*) communia habet, a Iuba olim e Philoxeno decerpta esse opinatur. Quam suspitionem satis inprobabilem (cf. Caesarem l. s. s. p. 33) evertit paulo post Aristidis metricam e Philoxeno haustam esse ipse negans l. s. p. 232. Sed ut omnino de Philoxeno falsissima cum veris misceret Westphalius, hoc in primis in causa fuit, quod de Heliodori doctrina grammaticum pendere arbitratus etiam in aetate eius definienda multum a vero deflexit. Aetas vero eius ut recte constituatur cum etiam ad nostram quaestionem probabiliter expediendam haud parvi interesse videam, fieri non poterit quin ea breviter a nobis in iudicium vocetur. Hoc autem praecipue cavendum est, ne in eundem iterum errorem incurramus ac Westphalius. Nam inde, quod antispasticum metrum etiam Philoxenus inter principalia rettulit, quippe qui decem prototypa amplecteretur teste Victorino p. 98, 22, Heliodoro eum recentiorem fuisse colligit, Cf. Metr. t. I p. 227, t. II p. 113 ed. sec. Intellexerat nimirum eos metricos qui antispasticum inter prototypa receperunt, diligenter distinguendos esse ab eis quibus hoc metrum ignotum fuit. Iam cum videret, quanta praeter ceteros grammaticae eruditionis fama floreret Heliodorus, eo devenit Keilianae de aetate metrici sententiae obsecutus, ut ab ipso Heliodoro altero p. Chr. saeculo antispasticum ceteris metris additum esse confidenter pronuntiaret. Cf. Philol. t. XX p. 268,

---

*) Commemorasse hic sufficiat, ubi conspirant inter se Aristides Quintilianus et grammatici latini, ibi de communi fonte Heliodoreo cogitandum esse. Perspexit hoc Caesar l. s. s. p. 35. Cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 232: 'wahrscheinlicher ist es, dass ein anderer dem heliodorischen Systeme im allgemeinen sich anschliessender Metriker der Darstellung des Aristides zu Grunde liege.'

Metr. t. I p. 251, 613; t. II p. XI, XVII, 112, 119 et inprimis p. 244 ed. sec., ubi quidem haec leguntur: 'Die im ersten Bande über die Quellen der Metrik gegebene Darstellung wird keinen Zweifel darüber lassen, dass die antispastische Messung erst durch Heliodor und seine Schule aufgekommen ist.' Cum igitur inter decem prototypa quae Philoxenus statuit antispasticum locum non habere non posset, ipsum grammaticum Heliodoro inferiorem fuisse consectarium erat. Concedo, sequeretur hoc, si modo ea quae de antispastici metri inventore dixit Westphalius recte se haberent.*) At hoc ipsum praefracte nego. Nam tantum abest ut ullum huius rei testimonium exstet, ut ei qui libero animo legerit quae apud Victorinum exstant p. 87, 27 sqq. liceat in contrariam sententiam abire. *Scio*, inquit Victorinus, *quosdam super antispasti specie recipienda inter novem prototypa dubitasse. nam raro admodum veteres integrum ex eo carmen* e. q. s. Quibus verbis, si modo ex Heliodori copiis a Iuba transscripta sunt, id quod valde veri simile est (cf. Westphalius Philol. t. XX p. 267), a nonnullis saltem iam ante Heliodorum metrum illud receptum fuisse perspicitur. Accedunt vero indicia haud pauca, quibus Philoxenum superiorem fuisse Heliodoro comprobari possit. Quamquam Osannus probabilitatis fines migravit, cum saeculo ante Chr. n. eum floruisse vellet in Philem. p. 318. Nec stare posse argumentum, quo ille innititur, perspexit Ritschelius de Oro et Orione comment. p. 12. Sed quod *choreus* dicit pro *trochaeus* (Atil. Fortunat. p. 302, 20) et proceleusmatico decimam post novem prototypa speciem impertit, cui tamquam contrarium spondiacum vel molossicum respondere voluit (Mar. Vict. p. 98, 22), haec uno ore paulo antiquiorem eius aetatem arguunt. Quod licet animadverteret Westphalius, quominus vere ac

---

*) Sensit difficultatem hanc nuperrime F. Susemihlius in Fleckeiseni Annalibus a. 1873 p. 296, quamquam in Westphalii rationibus perstitit. Ceterum quod ipse Westphalius Metr. t. I p. 694 ed. sec. in choliambis saltem antispasticam mensuram vindicavit etiam metricis Heliodoro superioribus, nobis hoc loco premendum non erat. Magis fortasse intersit ea relegere quae idem disputavit Philol. t. XX p. 106 sq. et 245.

simpliciter rem expediret, falsa illa de Heliodoro opinione prohibebatur. Cf. Metr. t. I p. 227 ed. sec. Rursus nihil tribuendum esse eis, quae de Philoxeno nescio quo narrat Draco qui dicitur p. 132, ipsum Westphalium non fugit l. s. s. I p. 228. Neque igitur improbabiliter Tiberii aetati Philoxenum adsignaverat Graefenhanius 'Gesch. der klass. Philol. im Alterth.' t. III p. 66, cui adstipulatur Caesar l. s. s. p. 34. Quam quidem sententiam non mediocriter iuvat, quod M. Schmidtius in egregia de Philoxeno commentatione Philologo inserta (t. IV p. 227 sqq., t. VI p. 660 sqq.; cf. Didymi Chalc. fragm. p. 345 n.) maximam veri speciem prae se ferre vidit p. 631, Philoxeni tempora Tryphonis aetatem aut iuvenilem aut ad senectutem vergentem attigisse (cf. R. Stiehlius Philol. t. VI p. 446 sqq., A. de Velsen Tryphonis gramm. Alexandr. fragm. p. 2). Etenim tam notabilem inter Tryphonis et Philoxeni studia similitudinem intercessisse observavit Schmidtius, 'ut alterum alteri quasi fundum fuisse aut ab altero respectum esse, fere res sit extra dubitationem posita' (l. s. s. p. 631). Eodem fere duxere virum doctissimum vestigia Antimachi Colophonii a Philoxeno plus semel respecti. Quamquam hoc fortasse minoris momenti videri posse me non praeterit. Sed notum est (cf. Stollius Antim. Coloph. rel. p. 24 sq.) bis Romae floruisse Antimachi studium, primum Ciceronis eique proximis temporibus, postea Hadriano imperium tenente. Hadriani autem aequalem fuisse Philoxenum nemo contenderit, qui quidem (alia ut mittam) norit, quotiens ab Herodiano excitatus sit (cf. A. Lentzius Praef. in Herod. p. CLXVIII). Denique non minus idonea ad eandem fere aetatem definiendam sunt argumenta, quibus usus est Henricus Kleistius in accurata de Philoxeni grammatici studiis etymologicis dissertatione Gryphiswaldiae edita a. 1865 p. 8 sq., quam, ne aliorum copias exscribere videar, ipse velim adeas. Haec autem Kleistii est sententia: 'fere Augusti et Tiberii temporibus Philoxenum Romae grammaticam professum esse'. Quocirca ab uno quoque iam concedi puto, Philoxenum esse superiorem quam Heliodorum, sive hic non ita multo fuit ante Hephaestionem, sicut Keilius voluit, sive iam medio primo post Chr. saeculo vixit, id

quod ipse studui comprobare 'Heliod. Unters.' p. 167. Neque hercle nunc casui dandum esse existimabis, quod Longinus quem vocant tres nobiles metricos hoc, non alio ordine enumeravit schol. Hephaest. p. 82, 10 ed. Westph.: τοῦ δὲ περὶ μέτρων λόγου πολλοὶ πολλαχῶς ἤρξαντο, οἱ μὲν ἀπὸ στοιχείων, ὡς Φιλόξενος, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ μέτρων ὅρου, ὡς Ἡλιόδωρος· ἡμεῖς δὲ Ἡφαιστίωνι κατακολουθήσομεν, ἀπὸ συλλαβῆς ἀρξαμένῳ.

Duo igitur diligenter tenenda esse arbitror, quorum alterum certum est, alterum veri simillimum. Certum est, quod supra significavi, falsa opinione ductum esse Westphalium, cum ab Heliodoro primum inter prototypa antispasticum receptum esse vellet.*) Alterum ad Iubam spectat, propter quem haec disputavimus. Quid enim aliud, quaeso, restat nisi ut multo probabilius nunc videri adfirmem, Heliodori beneficio doctrinam Philoxeni metrico latino cognitam fuisse, quam ab ipso artigrapho libros eius consultos esse? Sic commode insuper explicatur, qui factum sit, ut semel tantummodo a Victorino commemoretur Philoxenus, semel apud Atilium locis supra signatis. Ne multa, opposuerit sese Heliodorus decessori, qui proceleusmatico inter prototypa sedem suam dederat. Heliodorum exscripsit Iuba, cuius in verba a Victorino aliquam partem servata alias iuvabit diligentius inquirere.

Transeo ad Heliodorum. Qua in disputationis parte, qua quidem ad Iubae memoriam resuscitandam nulla plus valet, fieri non poterit quin etiam de artigraphi exscriptoribus, quos infra accuratius perlustrabimus, nonnulla ubi res postulat occupem. Et Heliodorum a Iuba exscriptum esse certo Victorini testimonio constat, quod iterum adponam.

*) Haud absonum sit hac data occasione audire ea quae H. Weilius olim perspexit in Fleckeiseni Annal. a. 1867 p. 128: 'ich habe in diesen jahrb. 1865 s. 655 darauf aufmerksam gemacht, dass der name pentameter für den zweiten vers des elegischen distichons, ein der wahren natur dieses verses schnurstracks widersprechender name, sich schon bei Hermesianax, einem jüngeren zeitgenossen des Aristoxenos, findet. die folgerung, dasz eine ganz äuszerliche, von rhythmik absehende Metrik schon an der grenze des classischen zeitalters, vielleicht schon in diesem zeitalter selbst (?) bestand, scheint mir unabweisbar.'

Legitur id p. 94, 6: *at Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat* e. q. s. Simul igitur quid in causa fuerit additur, ut hunc potissimum auctorem Iuba sequeretur. Nempe circumspicientem, cui inter Graecos se committeret, non fefellit, quanta esset auctoritate Heliodorus 'ὁ μετρικός' (cf. Suid. s. v. Εἰρηναῖος), qui cum magnis voluminibus rem metricam pertractasset, tum poetarum editionibus quas paraverat et commentariis metricis nominis sui famam pervulgasset (cf. 'Heliod. Unters.' p. 15. 168; M. Schmidtius Didym. Chalc. p. 309). Ut huic, quem etiam Hephaestio plus minusve secutus est, non potuerit primas non deferre. Neque igitur dubitant quin in prototypis praesertim exsequendis totus ab Heliodoro pendeat artigraphus, et satis in universum constat Victorini librum potissimum secundum, in quo bis nomen Iubae inseritur, tam ad Heliodori quam ad Iubae memoriam instaurandam haud parvi momenti esse. Cf. Keilius Quaest. gramm. p. 16, Westphalius Philol. t. XX p. 267, Metr. t. I p. 224 sqq. ed. sec., Keilius de Marii Victorini arte grammatica (Halae a. 1871) p. IX, idem in fragm. Bob. de metr. p. VII. Quod iudicium duobus potissimum argumentis (nunc ut alia taceam) commode fulcitur. Primum nonnulla eorum quae Rufinus ex libro quarto operis a Iuba confecti excerpsit p. 2711 sq. P., apud Victorinum eisdem verbis redeunt (cf. Mar. Vict. p. 80, 5: *unde intellegi datur iambica metra ex iambo et spondeo et eorum solutione subsistere*). Deinde observarunt homines docti data occasione, Victorini verba haud ita raro conspirare vel cum ipso Hephaestione, quem Heliodori vestigia legisse monui, vel etiam cum scholiis Hephaestionis, Aristophaneis, aliis tractatibus ab Heliodori doctrina non alienis.

Ac nobis nunc diligentius hoc deditaque opera explanaturis eam viam ingrediendam esse video, ut res non tamquam nube exemplorum abscondatur, sed ratio simul metrica quam grammatico graeco Iuba debuit paucis delineetur. Sic autem progredienti certe mihi non deerit locus ea quae supra promisi rite solvendi. Nam quoniam librorum distributioni

in superioribus a nobis constitutae inde maximam fidem adcrescere eluxit, quod numerus metrorum et ordo Heliodoreus cum illa optime concinit, nunc de numero hoc et ordine ne qua dubitatio relinquatur breviter disseram. His vero rationibus et Artis metricae paene summam contineri manifestum est, nec non aliis quaestionibus cum nostra hac coniunctissimis aliquid luminis adspergi videbimus.

Primum quod ad numerum attinet, octo tantum metra inter principalia ab Heliodoro recepta esse nuper comprobavi 'Heliod. Unters.' p. 119 sqq., ubi videsis. Sunt vero haec: dactylicum, anapaesticum, iambicum, trochaicum, choriambicum, antispasticum, ionicum a maiore, ionicum a minore. Paeonicum autem metrum 'plerique' rhythmum creticum dixere. E quibus Heliodorum fuisse cum e colometria Aristophanea manifestum sit, non repeto quae de hac re plenius disserui l. s. s. Heliodorum secutus est Iuba in eis, quae de rhythmo paeonico vel cretico octo originalium expositioni subiecisse credendus est, quamquam ni multum fallor non primus fuit, qui veterem hanc de paeonico doctrinam ad grammaticos latinos propagabat.*) Neque igitur subvereor ne temeritatis coarguar totum Victorini de paeonico caput ad artigraphum relaturus. Nempe et Heliodori illa ratio, quam memoravi, iterum ac saepius hoc tractatu apertissime inicitur (cf. p. 96, 15 *quod tamen magis rhythmo, id est numero, quam metro congruere varietas ipsa compositionis ostendit* e. q. s., p. 97, 15 *cui par similisque etiam is rhythmus* e. q. s., p. 98, 11 *fiet rhythmus* e. q. s.), nec non alia argumenta in promptu sunt hac quidem occasione praetermittenda, quibus ea suspitio extra dubitationem ponatur. Quamquam nemo tam cre-

---

*) Noli tamen, ut in infima pagina hoc moneam, cum doctrina hac confundere quae leguntur apud Caesium p. 264, 21: *cluditur autem cretico* (scil. *paeonicum*), *qui et ipse [constat] eiusdem generis et temporis totidem quot ille, una parcior syllaba est*, *ne, si fluat eodem* (*pedum*) *numero, rhythmos, non metrum fiat.* Sic enim locum nunc scribo partim ex mea coniectura partim Keilii usus emendationibus, qui metrici praeceptum apte inlustravit simili Caesii de exitu metri proceleusmatici canone (p. 265, 6) et Diomedis loco de clausula anapaesticorum p. 512, 38: quibus, si tanti sit, addi poterunt Victorini verba quae leguntur p. 99, 7.

dulus erit, ut haec sic ut Iuba scripsit a Victorino tradita esse existimet. Suspicetur forsitan aliquis, reliquiarum tenuitatem aliquatenus eis compensari, quae habet Diomedes p. 506, 9—13: *Paeonicum metrum, quod plerique rhythmicum esse dixerunt, constat priore paeone, admittit vero et quartum et creticum et bacchium a brevi qui est. a dimetro in tetrametrum longiatur. hoc* ἐν παραβάσει *Aristophanes conposuisse creditur. elegantissimum est igitur, cum per singulos pedes pars orationis impleatur.* Et ad Iubam rettulit Diomedis frustulum Westphalius Metr. t. I p. 225 ed. sec. conl. schol. Hephaest. p. 197, 7: Ἡλιόδωρος δέ φησι κοσμίαν εἶναι τῶν παιωνικῶν τὴν κατὰ πόδα τομήν. Qua coniectura sane speciosa admissa non aptiorem his locum reperiri posse concedendum erit, quam in ipsa hac de paeonico metro reliquiarum continuitate. At non ita certa est haec suspitio, ut omnis dubitatio exclusa sit. Nam quoniam alia quantulacunque in Diomedis libro tertio Iubae vestigia non repperi, hoc loco confirmari potius arbitror quod supra dixi, non primum inter metricos latinos fuisse Iubam, qui rhythmicam paeonum naturam exponeret. Sic iudicans non premo, quod apud Victorinum p. 88, 4 praeter Iubam commemorantur etiam 'alii Graecorum opinionem secuti'. Sed quid mihi impedimento sit, quominus Diomedis locum inter artigraphi verba recipiam, cum infra curatius mihi exponendum sit, nunc tacere malo quam neglegenter rem agere. Interim de Victorini tractatu eo certior sum. Nam si quis vel pertinacius mihi obloqueretur, ne in eo quidem posset pedem figere, quod modo dimetrum, trimetrum, tetrametrum, modo dirhythmum, trirhythmum, tetrarhythmum ibi metra paeonica vocantur, ut parum in his sibi constans metricus fuisse videatur. Et de 'pentametri' adpellatione monuit aliquid Caesar 'Die Grundz. d. griech. Rhythm.' p. 131: tamen ne altius repetas hanc dicendi diversitatem, cavendum erit. Licet enim Heliodoro auctore paeonicum ex prototyporum numero Iuba excluderet, tamen neque graecum metricum fugit neque latinum, esse alios qui id 'ultimo loco' ponerent 'proceleumatico repudiato'. Adde, quod Caesii Bassi libro hoc quoque loco usum esse Iubam veri est simile (cf. Caes. Bass. p. 264, 18—25), qua de re suo loco de industria

disseremus. At concedo, inquies, rem de octo metris Heliodori auctoritate receptis: sed quo tandem pacto 'novem' prototyporum mentio explicanda sit, quae haud ita raro in Victorini secundo potissimum libro legitur, non dispicio. Ad quam difficultatem sublevandam soli Aphthonio hunc ut loquendi usum imputes dissuadeo. Nam ut Aphthonium de novem prototypis dicere solere non dubium est (cf. Mar. Vict. p. 100, 4. 160, 23, al.), ita ne ab ipso quidem Iuba hoc alienum fuisse iudico. Quod ne pugnare videatur cum nostra sententia, inprimis memineris velim, quae causae fuerint metricis 'plerisque' et inter eos Heliodoro, cur singularem illam metro paeonico sedem darent idque rhythmo potius quam metro adsignari mallent. Mitto hemioliam, id est sescupli rationem intrare pedes paeonicos ideoque 'metris minime utiles' aestimari (Mar. Vict. p. 47, 31). Sed qua est 'varietate compositionis' hoc metrum, et paeonas et bacchios et amphimacros recipit, sola ut temporum ratio, non certa pedum conlocatio teneatur. Quae varietas etiam in causa fuit, ut ab aliis diceretur creticum, paeonicum ab aliis, a quibusdam bacchiacum. Quid? quod τὸ παιωνικόν, ut verbis utar scholiastae ad Hephaest. p. 125, 14 ed. Westph., ἐπιπλοκὴν οὐκ ἔχει, ὡς τὰ προειρημένα (cf. G. Christius in Fleckeiseni Annal. a. 1869 p. 374). Sic igitur rhythmum creticum plerique dixere. Sed rhythmica huius metri natura perspecta fieri tamen non potuit quin ad aliud quiddam adverterent metrici. Nempe 'usus eius apud lyricos, sed et tragicos et comicos, frequens est' (Mar. Vict. p. 96, 20) ac propria continuaque hoc metro carmina fiunt. Qua re quanto differat a proceleusmaticis, quorum 'uniformitas metrum facere non sufficit' (cf. Mar. Vict. p. 78, 5), in aperto est. Ut igitur proceleusmaticum comico anapaestico commode poterat adscribi, ita paeonum, qui in sescupli ratione positi sunt, per se stetit species neque ulli alii metro adnumerari poterat. Quae cum ita essent, usus ille invaluit, ut cum 'quidam' metricorum, velut Hephaestio, ultimo id loco ponerent in ipso prototyporum numero, alii eique ferme plurimi, quamquam rhythmicam interpretationem retinebant, ita id principalibus adnecterent, ut vel sic novem prototyporum summa modo

qualicumque compleri videretur. Cum igitur de novem prototypis verba facit metricus, commodiore quadam loquendi ratione utitur, non ignorans octo tantum 'catholice' recipienda esse (Mar. Vict. p. 104, 30). Nec non submolestum fuisse in confesso sit, ubicumque prototypa commemoranda erant, discrimen illud, quod inter paeonicum et octo primiformia intercedere statuebant, disertis verbis identidem aperire: mentionem eius fecisse contentus est, ubi id teneri intererat. Velut ut uno, sed luculentiore exemplo defungar, cum de asynartetis quae dicunt agit, religiose ille octo metrorum numerum servat, hic quoque, ut nuper comprobavi (conl. schol. Hephaest. p. 201, 15 ed. Westph.) Heliodorum secutus.

Non aliter ac de paeonico statuo de eis quae Marius 'de metro proceleumatico' memoriae prodidit. Nempe ex Iubae Arte haec deprompta esse apertissima Heliodoreae doctrinae vestigia arguunt. Atque metricum inter 'χαριεστέρουϲ' illos fuisse, qui proceleusmaticum anapaestico metro subiungerent, item monui 'Heliod. Unters.' p. 108 et 122. Cf. Hephaest. p. 29, 7 ed. Westph. Nolo igitur vel haec repetere vel ea quae supra de Philoxeno a Victorino commemorato nobis persuasimus. Verum si singula quaeres, quibus potissimum is qui scripsit hunc tractatum Heliodori sectatorem se prodat, audi haec p. 98, 27: *satius tamen est adnecti eum* (scil. *proceleumaticum*) *copularique comico anapaestico, cuius cognationem inter se* (*in se A B ς, inter se* Keilius) *coniunctis suis duabus ultimis brevibus demonstrat.* Quibuscum optime concinit, quod in eadem ratione versatur paulo supra Victorinus, ubi 'de anapaestico metro' disputat, quod quidem caput magnam saltem partem eiusdem Iubae esse facile est demonstratu. Haec autem dico verba p. 78, 4: *cui* (scil. *anapaestico*) *etiam id quod ex omnibus proceleumaticis constat, quoniam uniformitas omnium brevium metrum facere non sufficit, adscribetur, ut est*

nemus ave reticuit, ager homine sonat.

Mitto nunc reliqua argumenta ad persuadendum non minus idonea: hoc tantum monitum velim, quamquam in universum haec Victorini excerpta Iubae auctoritati vindicanda sint, tamen genuinae expositionis hodie non nisi umbram super-

esse. Quod infra, ubi de excerptoribus Iubae agam, explicatius persequar.

Octo igitur principalia, ut paucis rem comprehendam, Iuba statuit Heliodori vestigiis insistens. Quod quidem non impedimento fuit, quominus reliqua duo libro septimo comprehensa metris catholice receptis tamquam adpendicis loco adnecteret, sicut salvo discrimine apud Victorinum ea reliquis subiecta esse videmus. Quae ratio cum per se ipsa placeat ac solo Victorini testimonio satis fiat probabilis, tum maxime firmatur Atilii Fortunatiani consensu, quem e Iubae doctrina pendere infra patebit. Haec autem sunt eius verba p. 283, 18: *his quidam adiciunt proceleumaticum et paeonicum, quae possunt videri non inter prototypa ponenda, sed inter illa quae ex prototypis nascuntur. Sed nos post octo prototypa haec duo coniungemus.* Nec dubium mihi est, quin in tertii voluminis praefatione paulo curatius de hoc discrimine verba fecerit artigraphus. Ut nostro nos iure supra decem metra inter Artis libros distribuisse in aperto sit.

Habes numerum: nunc de ordine dicam quo singula metra se exceperint. Quamquam ne nimia quadam sedulitate bonis chartis abutar, uno verbo rem significo. Atque Heliodorum a dactylico metro initium cepisse ostendi 'Heliod. Unters.' p. 119 conl. schol. Hephaest. p. 145, 9 et 162, 3 ed. Westph., quibus locis nihil potest esse apertius. Rem concessit Keilius fragm. Bobiens. de metr. p. VII. Adde quod Hephaestio in maiorum aliquo operum quae conscripsit ipse quoque a dactylico auspicatus erat (cf. A. Rossbachius de Hephaest. Alex. libr. p. 12). Testimonii vero instar accipiatur scholiorum quae indicavi posterius, quo simul epiplocae a metricis rationem habitam esse in hoc ordine constituendo perspicuum sit: οἱ μὲν οὖν ἄλλοι σχεδὸν πάντες μετρικοί, ὅπερ ἔφημεν, ἀπὸ τοῦ δακτυλικοῦ φασιν ἄρχεσθαι, καὶ τιμὴν ταύτην ἀπονέμειν τῷ μέτρῳ καὶ τῷ τὸ μέτρον εὑρόντι, ὁ δὲ ἀπ' ἐλάσσονος ἀρξάμενος Ἡφαιστίων ἀπὸ τρισήμου τὸν λόγον ποιεῖται δυαδικῆς· ἐπελθὼν δὲ ἐπὶ τὴν τετράσημον, τοῦ (immo τῆς) τετρασήμου πρῶτον τέθεικε δακτυλικόν. Itaque quem ad modum Hephaestio in enchiridio suo primam amplexionum speciem trochaico addito absolvit, prius-

quam metra ἐπιπλοκῆς δυαδικῆς τετρασήμου adgrederetur, sic Heliodorus, quem ille in plerisque sequebatur, intra epiplocarum ordinem se continuerat. Dactylicum, quod agmen duxit, pro epiplocae ratione anapaestico excipiebatur, iambico quod insequebatur subiectum erat trochaicum (cf. Aristid. Quintil. p. 51 sqq. ed. Meib.). Quem ordinem vere Heliodoreum quin Iuba retinuerit, nullo pacto dubitari poterit (cf. Westphalius l. s. s. t. I. p. 223): nisi quidem eum, quem in tot singula verba Graeci magistri iurasse patet, in hoc ipso principalium doctrinae fundamento ab auctoritate eius recessisse existimabimus. Nunc ecquis casui tribuerit, quod eadem principalium series fideliter custoditur apud Victorinum? Idem vero dicendum est de ceterorum ordine vulgatissimo, quem nec Iuba reliquit nec inter Graecos Hephaestio. Ceterum ionica a metricis ultimo loco ponuntur etiam ideo, 'quod utrumque hoc ionicum, quando ex dupli ratione subsistit, magis rhythmis quam metris proprium est' (cf. Mar. Vict. p. 89, 22). In quibus Marii verbis si quis artigraphum agnoscere sibi videatur, non adeo repugnabo.

Ita via munita non solum ea quae supra de Artis librorum distributione disputavimus, recte inventa esse manifestum est, sed etiam ad solvendas alias quaestiones, quae ad nostram rem faciunt, paratiores sumus. Hinc enim progredienti licet quadam tenus diiudicare, quanti quisque momenti sit metricorum latinorum ad Iubae libros quibus prototypa continebantur instaurandos. Quae disputatio cum ab hoc loco alienior sit, praecipuos tantum nunc animus est auctores eligere, quibus inter se comparatis simul ratio patefiat, qua numeri principalium et ordinis diversitas, si qua est inter eos, nitatur.

Ac primum patet egregie nunc confirmari Westphalii opinionem, quam ille magis iecit quam exposuit l. s. s. t. I p. 224 sq., Victorini totum volumen secundum ex Iubae commentariis descriptum videri. Quamquam mirum est, quod rationem quae intercessit inter Marium et Terentianum, ex quo etiam in secundum Victorini librum haud pauca recepta sunt, ne uno quidem verbo tetigit. Nec illud quin recte statuerit dubitaverim, Atilii Fortunatiani Artem quantum ad prototypa attinet (p. 283—291) artissimo vinculo

cum Iubae doctrina coniunctam esse, etsi excerpta haec, qua sunt tenuitate, ne ad artigraphi verba revocanda parum adiutura sint verendum est. Sed enim conspirat cum Iuba Atilius et numero et ordine principalium. Noli autem illud premere, quod p. 283, 15 ionicum ἀπὸ μείζονος et ionicum ἀπ' ἐλάσσονος ante choriambicum et antispasticum enumerantur, cum in ipsa metrorum descriptione p. 288 genuinus ordo servatus sit. Ut de excerptoris vel librariorum socordia priore loco cogitandum sit. Nec fere interest, paucissima ista, quae de proceleusmatico leguntur p. 290, 21—26, ante paeonicum an post id locum habeant. Verum ut in his cum Westphalio fere consentio, ita de Diomede falsa eum protulisse mihi persuasum est. Nempe tantum aberat ut Diomedis libri tertii originem a Mario et Atilio diversam esse perspiceret, id quod unice verum esse comprobabitur, ut Diomedis expositionem cum Victorini libro secundo et Atilii excerptis uno quasi modulo metiens tria haec tamquam unius eiusdemque fontis 'apographa' appellaret. Atque opinionem hanc me iudice temerariam quam confidenter suo more protulerit Westphalius ut intellegatur, ipsius verba adscribo e l. s. s. t. I p. 132: 'Diese Uebersicht der πρωτότυπα (scil. bei Diomedes) beruht in letzter Instanz wesentlich auf derselben Quelle wie die πρωτότυπα des Marius Victorinus und Pseudo-Atilius, alle drei Darstellungen verbunden repräsentiren etwa das Original.' Quisnam fuerit hic fons communis, indicat l. s. s. p. 224 sq. idque sine ulla dubitationis significatione: 'Es liegen nun für das zweite Buch des Victorinus zwei sehr nahe verwandte parallele Darstellungen vor, nämlich die πρωτότυπα des Pseudo-Atilius und des Diomedes. Wir dürfen uns der Mühe überheben, dies im einzelnen nachzuweisen (?). Keine dieser drei Darstellungen aber ist aus der anderen abgeschrieben, denn jede hat ihr Eigenthümliches; die Verwandtschaft kann nur in der Benutzung einer gemeinsamen Quelle beruhen. Diese Quelle kann nun keine andere als ein Theil der Iuba'schen Metrik sein, die in dem einen der drei Apographa ausdrücklich als Quelle genannt wird'. Cf. 'Die Fragm. und Lehrs. der gr. Rh.' p. 13. Quae quidem opinio festinantius quam circumspectius prolata haud difficile

poterit refutari. Causam erroris si quaeres, inde ea repetenda est, quod Westphalius eandem bipertitam materiae dispositionem in Diomede sibi visus est agnovisse quam in Victorino et Fortunatiano (l. s. s. t. I p. 131). Nimirum primum (ut rei summam exhibeam) de prototypis, deinde de derivatis Diomedem exposuisse sibi persuaserat. Et sane exponit, non nego, etiam de prototypis Diomedes, sed in transcursu potius et ut brevissime ea perstringat. Ut (si comparationem instituere licebit) uno eius de pedibus capite plures paginae quam universa principalium expositione impleantur. Sed aliud quiddam multoque maioris ponderis Westphaliano iudicio obstat. Nempe fugit eum, id quod liquido adparet, ipsam hanc brevissimam Diomedis explicationem totam fere e derivatorum quae dicunt rationibus pendere. Et coniunctissima est cum his rationibus eo, quod inter dactylicum et anapaesticum plane singulariter inmissa sunt iambicum et trochaicum. Quem metrorum ordinem ne quis librariorum errori vel ipsius Diomedis neglegentiae aliunde satis cognitae tribuat, recordator definitionis ab ipso grammatico prolatae p. 501, 16: *formae principalium metrorum secundum antiquitatis rationem generalissimae duae sunt inventae, dactylica et iambica. his etiam, ut aliorum probat auctoritas, accedunt aliae septem hae, trochaica, anapaestica, antispastica, choriambica, duae ionicae, paeonica, quam plerique rhythmicam esse dixerunt.* Mitto in hac enumeratione antispasticum metrum ante choriambicum induci, cum id minoris hoc loco momenti videatur. Sed, quod summum est, dactylicum et iambicum reliquis praeponuntur omnibus, quippe quae 'generalissimae' sint formae, e quibus infra (p. 506 sqq.) veluti e fontibus cetera profluant. Haec est illa ratio, qua ex heroo et trimetro iambico per adiectionem et detractionem et utriusque concinnationem ac permixtionem metra qualiacumque solebant derivare (cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 157 sqq.). Qua in doctrina cum fere totus Diomedes versaretur, nihil antiquius habuit quam ut et angusto spatio prototyporum expositionem circumcluderet et artissimo vinculo eam cum eisdem illis metra derivandi rationibus copularet. Inde vero artis metricae historiae haud mediocrem lucem adfundi quis est

quin cernat? Duo enim, si summam rei spectas, prototyporum systemata distinguenda erant, quorum alterum pendet ex derivatorum explanatione, alterum per se stat illorum legibus solutum. Nec difficile factu est utramque rationem vel hodie per aliquot dissimilitudinum gradus persequi, quibus paulatim differebant. Ac prioris generis antiquissima ni multum fallor species ex Victorini verbis dispicitur p. 52, 19—25, quem locum plus uno nomine memoratu dignum ad Varronem vel librum Caesianum referre vix dubitarim: *Metra autem omnia quattuor modis variantur, adiectione, detractione, transmutatione, concinnatione. ita fiunt innumerabiles species ortae ex prototypis novem, id est dactylico, iambico, trochaico, anapaestico, paeonico, proceleumatico, ionico* ἀπὸ μείζονος, *ionico* ἀπὸ ἐλάσσονος, *choriambico. his adiciunt antispastum loco proceleumatici: namque is anapaestico plerumque subditus caret auctoritate; non nulli eum in specie decima recipiunt.* Primo igitur loco dactylicum et iambicum poni notandum est, ut quae sint 'prototyporum prototypa' (cf. Mar. Vict. p. 104, 24—27), necdum antispasticum certam suam sedem obtinuit. Dein postea sive arte labante etiam de antispastico exponebant metrici sive eius rationem non habebant: certe ei, qui derivatis explanandis operam dabant in principalium brevi expositione, quam non plane deesse volebant, ordinem metrorum systemati quod sequebantur unice aptum retinebant, dactylico nimirum et iambico aliorum numero praemissis. Inter quos fuit is quem descripsit Diomedes. Nec discrepat fere cum hoc, si ordinem solum metrorum respicis, Mallius Theodorus vel Plotius Sacerdos. At longe diversam Iubae rationem esse ex Heliodoro receptam non est cur repetam: ipse quoque a dactylico auspicatur 'principium metrorum omnium heroo sive pythio deferens' (cf. Mar. Vict. p. 69, 19), sed quae sequuntur metra, epiplocae ratione adiecta sunt. Quem ordinem servarunt Marius Victorinus in libro secundo et Atilius p. 283—290. Denique secundum solam epiplocarum rationem metra enumerat a minore ad maius progressus Hephaestio in enchiridio paeonibus in numerum receptis. Sequitur hanc rationem Servii qui dicitur centimeter libellus et grammaticus in Endlicheri Analectis, nisi quod paeonicum etiam a Servio excluditur.

Quisnam fuerit grammaticus, e cuius auctoritate pendet Diomedes, in tanta fontium penuria dici nequit. De Charisio nemo iam cogitabit, qui Keilianae editionis praefationem (p. XLIX sqq.) inspexerit, ubi utrumque grammaticum ex communi fonte doctrinam suam hausisse satis comprobatum est (cf. G. Christius Philol. t. XVIII p. 128 sq.). Etiam ea quae 'de numeris' docuerat Charisius cum Diomedis libro tertio quodam modo congruisse coniecit Westphalius l. s. s. t. I p. 165 innixus loco Rufini p. 396 G. (cf. etiam Rufini excerpt. p. 379, 4 G. cum Diom. p. 515, 3). Nec eo res multum adiuvatur, quod nonnulla Diomedem e Caesio Basso petiisse Wentzelius coniecit Symb. crit. p. 63, velut ea quae Varronis nomine adposito leguntur p. 515, 3—26. Vix enim ipsum haec vel alia ex Basso transtulisse crediderim, quamquam ad eius auctoritatem nominatim provocavit p. 513, 16. Ita autem ut alii quidam intercesserint grammatici, omnes fere metricos latinos plus minus e Caesio pendere satis notum est, quod praeter alios monuit A. Wilmannsius 'de M. Terentii Varronis libr. gramm.' p. 65. Sed utcumque res se habet, quantum ad prototypa attinet, secundum ea quae supra disputavimus iam non licet dubitare, quin graviter erraverit Westphalius, cum ea aeque ac Victorini et Fortunatiani excerpta ad Iubam revocaret. Immo originis diversitate nunc perspecta eo minorem vim tribuemus eis quae de paeonico apud eundem Diomedem cum Heliodori quidem doctrina congruentia leguntur p. 506, 9—13, quibus certi quicquam effici iam supra negavi. Vellem potius hic quoque meminisset vir doctissimus haud pauca (ut modeste loquar) eorum, quae inde ab Alexandrina aetate antiquiores grammatici graeci instituerant, quibus etiam Romani utebantur, a posterioribus aetate grammaticis velut ab Heliodoro et Hephaestione ad verbum exscripta esse (cf. Westphalius l. s. s. t. I. p. 113. 184. t. II p. XI). Si vero ea quae de antispastico metro alia data occasione disputavi probata erunt, non spero condemnabor, qui rhythmicam metri paeonici interpretationem ab Heliodoro demum prolatam esse negem. Nec inde hoc de Diomede iudicium meum non confirmatur, quod indicia quae apud Victorinum haud raro obviam fiunt Iubae graecum sermo-

nem in latinitatem vertentis apud Diomedem frustra quaeres. Velut duo inter se comparentur loci de anapaestico metro. Dicit Victorinus p. 75, 10: *recipit autem id metrum pedes quattuor spatio temporum pares, syllabarum numero dispares, spondeum, qui est anapaesti collectio, dactylum, proceleumaticum et eundem anapaestum in quacumque sede.* Quem locum ex Heliodoro a Iuba transscriptum esse probabile fit scholio in Hephaest. p. 175, 1 ed. Westph.: δέχεται δὲ (scrib. δὲ δ΄) πόδας· αὐτὸν τὸν ἀνάπαιστον, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸ μέτρον ὠνόμασται, σπονδεῖον, ὅτι συναίρεσις τοῦ ἀναπαίστου, προκελευσματικὸν δέ, ὅτι λύσις τῆς ἐσχάτης μακρᾶς εἰς δύο βραχείας, τὸν δὲ δάκτυλον, ὅτι τετράσημος. Nempe accidit hic Iubae opinor, id quod saepius ei accidisse utpote graeci sermonis minus perito infra docebo, ut in vertendo erroribus non numquam vel pudendis laberetur. Sic hoc loco αὐτὸν τόν pronomen cum τὸν αὐτόν commutaverit (cf. Mar. Vict. p. 80, 19). Quibuscum conferas, si placet, haec quae apud Diomedem leguntur p. 505, 7: *in sinistris vero* (scil. *recipit*) *extra dactylum quemlibet ex tribus, pro ut res exegerit, id est spondeum, tribrachyn, ipsum dominum*: iam etiam talibus quae per se ipsa minoris sunt momenti stabiliri nostrum iudicium concedes. Rem vero conficit universi generis scribendi quae inter Marii libros et Diomedem intercedit diversitas, de qua pluribus disputare huius loci non est.

Sic igitur, quam in prototypis exsequendis artigraphus tenebat rationem, paulo explanatius proposui. Qua praeceptrice ex Victorini potissimum farragine bonam partem Iubae Artis instauravimus. Nolo autem omnes hic locos qualescumque congerere, quos Heliodoro duce inter artigraphi reliquias rettuli: verendum mihi esset, ne inutiliter repeterem ac moleste, quod satis est semel monuisse in adnotatione superiore. Immo eis mihi iamiam placet exemplis uti, quibus et ratio quam ipse inierim paucis significetur et paulo distinctiorem metrici systematis de quo agitur imaginem nanciscamur. Quocirca missis nunc prototypis, quae tertio, quarto, quinto, sexto, septimo libro Iuba exposuit, de eis qui antecedebant et de octavo videndum est.

Sed priusquam hac via indicata progrediamur, de He-

phaestione pauca interserere haud abs re fuerit. Habeo enim, dixerit quispiam, quo Hephaestionem a Iuba consultum esse evincam. Velut inter ea, quae ad artigraphum referenda esse mox videbimus, haec leguntur Mar. Vict. p. 103, 13: *quod* ἀϲυνάρτητον *appellavimus metron, quale est ex iambico dimetro acatalecto et ithyphallico compositum ita,*

iubar superne fulgida lucet arce caeli.

Hoc autem idem exemplum est quod inter asynarteta posuit Hephaestio p. 54, 2 ed. Westph.: οἷον παρὰ μὲν αὐτῷ Εὐριπίδῃ,

Ἑῷοϲ ἡνίχ' ἱππόταϲ ἐξέλαμψεν ἀϲτήρ.

Nec cuiquam dubium erit ex graeco versu latinum esse fictum. Sed hunc consensum quamquam haud parvo numero exemplorum, quae apud Atilium (cf. Wentzelius Symb. crit. p. 11), Plotium (ibid. p. 53), alios exstant, confirmari posse in aperto est, tamen falli puto, qui inde Hephaestionem a Iuba adhibitum esse confidat. Quod ut evidentius fiat, in primis in memoriam nobis revocanda est quae inter Heliodorum et Hephaestionem ratio intercesserit. Et iam supra monui, in universum hunc illius auctoritatem secutum esse. Quod non mirabitur qui harum rerum vel mediocrem usum habeat neque ignoret, quod dudum tam crebris quam certis exemplis constat, vel inter antiquioris aevi grammaticos artissimam saepe necessitudinem intercedere, fere ut alter ab altero exscriptus sit. Sicut igitur Heliodorum pauciora certe quam exspectaveris eorum quae docebat ipsum invenisse superioribus patefactum est, ita Hephaestio non modo doctrinam suam maximam partem ab Heliodoro aliisque mutuatus est, sed vel singula verba decessoris aut exempla in usum suum convertere minime dubitat. Cuius rei quoniam luculentissima quaeque nuper testimonia attuli 'Heliod. Unters.' p. 108. 112 sqq. 131. 156 sq. 159 al., hoc loco si plura adderem chartae nimis prodigus essem. Quocirca ea quae artigrapho nostro cum Hephaestione communia sunt, ea ut ex hoc inter metricos Graecos consensu repetamus ratio exposcit. Consensui vero, ut rem conficiat, accedit dissensus. Nempe, ne per aenigmata loqui videar, ubicumque Hephaestio ab Heliodoro dissidet, ibi huius, non illius auctoritati Iubam addictum esse manifestum est. Quae discrimina partim supra indicata iterum hoc loco

enumerare non magis opus est quam consensiones: relego legentes ad 'Heliod. Unters.' p. 166 sq. al. Sed ne quid callide praeteriisse videar, unus exstat locus, qui in re nostra alicuius momenti vel esse poterit vel videri. Nam in Victorini tractatu qui 'de poetice' inscriptus est haec trium specierum definitio legitur p. 56, 22: *Poematum autem seu carminum species sunt tres: alia enim a graecis* κατὰ cτίχον, *alia* cυcτηματικά, *alia* μικτά *dicuntur, quae etiam* ἀμετάβολα *et* μεταβολικά. Quam ut ex Iubae Arte ad Victorinum propagatam esse haud improbabile est, ita ne ex Heliodoro repetas, cυcτηματικά nomen quod ibi legitur dissuadet. Nam qui singulas alicuius compositionis partes (μέρη) περιόδων nomine adpellaverit, id quod et colometriae Aristophaneae auctoritate certum est et enchiridii illa particula, quam non sine fide ad Heliodorum revocavimus l. s. s. p. 147 sqq., eum iure tuo speres ita sibi constantem fuisse, ut, quae κατὰ περιόδουc composita sunt poemata, περιοδικά adpellaret, non cυcτηματικά sicut Hephaestio. Neque igitur temere Marii caput ex uberiore aliquo Hephaestionis operum fluxisse coniecimus l. s. p. 129. At, si quid video, severius hoc fuit iudicium quam verius. Nam licet iure dixerim singulas alicuius carminis partes, quas cυcτήματα vocat Hephaestio, περιόδουc nominari ab Heliodoro, tamen vix casui dederim, quod περιοδικά (scil. ποιήματα) nomen, quod exspectes, hodie nullo quod sciam metricorum loco reperitur. Sed fac olim in usu fuisse, hoc certe iure mihi sumere videor, cυcτηματικά nomen non ab Hephaestione inventum esse neque Heliodoro fuisse incognitum (cf. Atil. Fortunat. p. 296, 1). Nihil ut obstet quominus vel ante hos duos metricos, qui hodie nobis fere soli noti sunt, cύcτημα, κατὰ cυcτήματα, cυcτηματικά et similia artis vocabula in usu fuisse credamus. Et cum utrumque vocabulum et περίοδοc et cύcτημα iam antiquitus a technicis recepta essent, non mirum est, quod unus idemque scriptor non numquam coniuncta ea adhibuit. In qua re illud cave premas quod Planudes in rhet. graec. V 510 ed. Walz. haec habet: cτροφὴ καὶ ἀντίcτροφοc καὶ ἐπῳδὸc cυcτήματα μέτρων ἐcτὶν ἐν λυρικοῖc ποιήμαcιν· ἡ μὲν οὖν cτροφή ἐcτιν ἡ πρώτη τιθεμένη περίοδοc (cf. schol. Hephaest. p. 218,

25 ed. Westph.). Sed si coniecturam non aspernaberis, apud Marium vel eum quem exscripsit bis eodem loco duo haec vocabula legebantur coniunctim p. 76, 28 et 77, 10: *hoc loco dicam, cur, cum sint duae p e r i o d i s e u s t a s i m a, ut quidam v o c a n t, pari inter se coniugatione copulata, alterum vocetur anapaesticon, alterum dactylicon, cum aeque in utraque cadant mixti dactylus et anapaestus. causa talis, quod anapaesticum melos binis pedibus amat sensum includere, ut apud Accium*

inclyte, parva praedite patria,
nomine celebri claroque potens
pectore, Achivis classibus auctor.

Quae periodus circa sex versatur dipodias. contra Pacuvius novare propositum volens noluit intra binos pedes, ut superius, finire sensum, sed secundum Euripidem dactylicum metrum, quod appellatur, induxit, ut nominis mutatio diversitatem daret, huius modi s t a s i m o s e u p e r i o d o usus,

† agite, ite, volvite, rapite, coma tractate per
† aspera saxa et humum, scandite vestem ocius.

Ubi cum *periodi seu stasima* et *stasimo seu periodo* quid sibi velint nemo intellegat (cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 666 n.), ut olim *periodi seu systemata* (vel συστήματα) lecta fuisse credam iudicium valde inclinat: quibus corruptis facile etiam vicinum locum mendum insidere potuisse nemo abnuat. Verba vero haec si ex Caesio Basso, de quo percommode cogitari poterit (cf. Caes. Bass. p. 267, 22), ad Iubam pervenisse censebimus, simul eis quae de nominum illorum usu coniuncto dixi plus fidei accrescere in confesso sit. — Ceterum qui spreta ut nunc videtur Hephaestionis auctoritate ex fonte Heliodoreo hauserit utpote limpidiore, eum etiam minus ad Longinum vel alios scholiastas Hephaestionis descendisse putaverim.

Sed nunc quamvis brevissime de Artis libro p r i m o et s e c u n d o videamus. Quos etsi non ita inter se separare ausim ut primi finis vel alterius exordium certo quodam indicetur loco, tamen iam supra monui (p. 22) primo volumine de litteris, de syllabis, de rhythmo, de arsi ac thesi, de pedibus disputatum videri, altero de reliquis rebus quas prototyporum expositioni metrici solebant praemittere. Sed quo expeditior sit opera quae ad priores duos Artis libros aliquatenus recuperandos

pertinet, unum quiddam praetereundum non est. Nempe comparantibus nobis ea quae Victorinus (hunc autem ut fidissimum ducem in hac disputationis parte praeter alios sequimur) ex quinque Artis libris, quibus prototypa continebantur, decerpta habet cum eis quae exscripsit ex primo et secundo Artis volumine, haec non poterunt non multo locupletiora quam illa videri. Nam, ut ad calculos res vocetur, duorum priorum voluminum excerptis duo de quadraginta paginae editionis Putschianae, qua in hac re commode utare, implentur (2475—2512), triginta quattuor (2513—2546) eis quae ad quinque libros qui sequebantur pertinent. Differentia vero inde adaugetur, quod disputationis de litteris, quam Iubam dedisse scimus, triginta octo illis paginis vix quidquam includitur. Nihil ut magis adpareat quam Aphthonium in Artis duobus libris prioribus excerpendis multo diligentius versatum esse quam in reliquis. Quod ut ad umbilicum ut aiunt adducere ab hoc loco alienum est, ita ne quis iusto longius me in reconcinnandis duobus libris prioribus processisse criminetur, rem iam hic breviter notatam volo.

Et ad primum librum, ni multum fallor, referendus est locus qui apud Marium exstat de muta liquidae coniuncta p. 38, 9: *dignum forsitan inquisitione sit, cur muta liquidae sociata communem syllabam reddat, duae autem semivocales aut mutae copulatae similiter inter se nequaquam id faciant. non immerito. nam quamvis maior in liquida quam in muta virtus sit, utpote ametabola, quae a tenore suo non immutetur, attamen infirmiora paria sociata praestant his quae ex impari veniunt, quod sub exemplo magis aperiam. sicut enim minime par ad nitendum virtus est asini mulo coniuncti, cum alter alterum propter inaequalitatem naturae non respondentis viribus, dum iungitur, debilitat potius quam iuvat, ita hoc et in his litteris* e. q. s. Heliodorea enim origo aperte proditur consensu scholii Hephaest. p. 108, 10 ed. Westph.: Ζητοῦϲι δέ τινεϲ, διὰ τί μὴ τὰ δύο ὅμοια ποιοῦϲι κοινήν· λέγω δὴ δύο ἡμίφωνα ἢ δύο ἄφωνα ἢ (δύο) ἀμετάβολα e. q. s. Quocum, ut rem conficiat, coniungendum est scholion quod vicino loco legitur p. 109, 12: δύο δὲ ἄφωνα οὐ τέθεινται, ἅτε τῶν δύο τῶν ὁμοίων, εἰ καὶ ἀϲθενέϲτερα ὑπάρχοιεν, πλέον ἑλκόντων

ἤπερ τῶν ἀνομοίων. ἀμέλει τοι ἅμαξαν δύο ὄνοι πλέον ἕλκουσιν ἤπερ ὄνος καὶ βοῦς, ἐπεὶ τὰ ἀνισοδύναμα ἐμποδίζουσιν ἄλληλα. οὐ ποιοῦσιν οὖν. An putas luculentius quidquam hac congruentia posse reperiri? Alia id genus si voles, A. Rossbachium inspicias 'Griech. Rhythm.' p. 13, qui iam contulit inter se quae Longinus in proleg. Hephaest. p. 84, 9—24 ed. Westph. et Victorinus p. 41, 28—42, 5 de rhythmo et metro referunt non numquam ad verbum inter se consentientes. Nec dubitandum est quin Victorini verba, quocum congruit magnam partem Atilius, alii (cf. Gaisf. in Hephaest. tom. II p. 219 ed. sec.), ex libro primo Artis hausta sint. Sed primum audi grammaticum graecum: διαφέρει δὲ μέτρον ῥυθμοῦ. ὕλη μὲν γὰρ τοῖς μέτροις ἡ συλλαβὴ καὶ χωρὶς συλλαβῆς οὐκ ἂν γένοιτο μέτρον· ὁ δὲ ῥυθμὸς γίνεται μὲν καὶ ἐν συλλαβαῖς, γίνεται δὲ καὶ χωρὶς συλλαβῆς· καὶ γὰρ ἐν κρότῳ, ὅταν μὲν γὰρ τοὺς χαλκέας ἴδωμεν τὰς σφύρας καταφέροντας, ἅμα τινὰ καὶ ῥυθμὸν ἀκούομεν. καὶ ἵππων δὲ πορεία ῥυθμὸς ἐνομίσθη καὶ κίνησις δακτύλων καὶ μελῶν σχήματα καὶ χορδῶν κινήματα καὶ τῶν ὀρνίθων τὰ πτερυγίσματα. μέτρον δὲ οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς λέξεως ποιᾶς καὶ ποσῆς. ἔτι τοίνυν διαφέρει ῥυθμοῦ τὸ μέτρον, ᾗ τὸ μὲν μέτρον πεπηγότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρόν τε καὶ βραχὺν καὶ τὸν μεταξὺ τούτων τὸν κοινὸν καλούμενον, ὃς καὶ αὐτὸς πάντως μακρός ἐστι καὶ βραχύς· ὁ δὲ ῥυθμὸς ὡς βούλεται ἕλκει τοὺς χρόνους, πολλάκις γοῦν καὶ τὸν βραχὺν χρόνον ποιεῖ μακρόν. Ex hoc vel huius consimili fonte profecta sunt Victorini haec excerpta: *differt autem rhythmus a metro, quod metrum in verbis, rhythmus in* (leg. *et in*) *modulatione ac motu corporis sit; et quod metrum pedum sit quaedam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo quidam; et quod metrum certo numero syllabarum vel pedum finitum sit, rhythmus autem numquam numero circumscribatur. nam ut volet protrahit tempora, ita ut breve tempus plerumque longum efficiat, longum contrahat. unde et rhythmus, id est a rhysi et fluore quodam, nuncupatur.* Cf. Atil. Fortunat. p. 282, 17 sqq. Sed accurata horum locorum comparatione simul adparet grammatici latini verba vix integra ad nos pervenisse.

Planius etiam consensum de quo agimus inlustravit West-

phalius 'Die Fragm. und die Lehrs. der griech. Rhythm.' p. 12 sq., cuius verba propter brevitatem hic exscribo: 'Heliodor ist der *metricae artis antistes aut primus aut solus* (Mar. Vict. 2541 P. ⟨p. 94, 8⟩), woraus Iuba und mittelbar fast alle übrigen Metriker bei den Römern geschöpft haben. Daraus ist es denn zu erklären, wenn, wie wir bereits oben sahen, Marius Victorinus die Aristoxenischen Sätze über Versende, über die χῶραι des Hexameters vorbringt, wenn er pag. 2485 (p. 43, 3) eine Stelle des Aristoxenus über rhythmus und arrhythmia citirt, wenn er ferner p. 2495 (p. 51, 29), ohne den Aristoxenus zu nennen, die Stelle bringt: *quidam autem non pedem metrum esse volunt, sed syllabam* etc., welche auch Psellus § 1 aus Aristoxenus excerpirt hat. Das ganze Capitel des Marius Victorinus de rhythmo ist aristoxenischen Ursprunges.'

Quos locos Heliodoro adiuvante a Iuba compilatos esse vel ex artis vocabulorum forma graecanica tibi probabile fuerit: quamquam non nullos iam Caesii vel Varronis opera ex antiquiorum grammaticorum enchiridiis derivatos esse haud negandum erit: cf. Wilmannsius de Varronis libr. grammat. p. 66 sq. Praeter ea vero quae de metro leguntur (Mar. Vict. p. 51, 29 sqq.), de metri syllaba novissima (ibid. p. 62, 28—63, 10), de hexametri sedibus (ibid. p. 70, 13), locos a Westphalio enumeratos ad primum Iubae Artis librum referre non dubito. De Marii capite, quod inscribitur 'de mensura longarum et brevium syllabarum' p. 39 sq., cf. Rossbachii 'Griech. Rhythm.' p. 36 sqq., Wentzelii Symb. crit. p. 18 sq., 'Heliod. Unters.' p. 107. Deinde in Marii tractatu de pedibus p. 43, 9—50, 2, quos eodem volumine primo artigraphum exsecutum esse vel certum vel probabile est, haud pauca Heliodori vestigia deprehenduntur. Sed cum infra suo loco hunc tractatum uberius persequendum esse videam, nunc rem mitto quamvis invitus. At priusquam ad pedes adgrederetur metricus, de arsi et thesi paucis exponi consentaneum erat. Cuius disputationis ab eodem Victorino partem haud spernendam servatam esse eodem efficitur cum graecae doctrinae rivulis consensu. Et indicavit locos fragmenti Ambrosiani περὶ τῆc τῶν ποδῶν ὀνομαcίαc qui huc pertinent H. Keilius in Mar. Vict. p. 40

et 41, ad cuius adnotationem eos quorum hoc intererit nunc relego. Eandem vero inter metricos latinos et grammaticum Ambrosianum rationem intercedere, quam supra compluries statuendam esse videbamus, non est quod multis doceam peritiores. Cf. H. Keilius de Marii Vict. arte grammat. p. IX. Itaque, si paululum exspatiari liceat primi Artis libri immemori adscribo Iubae quae leguntur Mar. Vict. p. 84, 26: *tetrametrum autem catalecticum* (scil. *trochaicum), quod archilochium et epicharmium vocatur, praeter cetera illustre est, aptum festinis narrationibus: est enim et agitatum et volubile* e. q. s. conlato fragm. Ambros. p. 254, 8 ed. Nauck: τροχαῖος δ' ἐκλήθη, ὅτι τροχαλὸν ἔχει τὸν ῥυθμόν· καὶ γὰρ Ἀρχίλοχος ἐπὶ θερμῶν ὑποθέσεων αὐτῷ κέχρηται. Et praeivit mihi ad hoc iudicium Bergkius in commentatione academica beneficii Marpergeriani lege edita Halis a. 1863 p. 8, licet is ὑποθέσεις vocem minus recte per 'admonitiones' interpretari videatur. Item Heliodorus ut ita dicam latinus emergit Mar. Vict. p. 90, 18: *ionicum metrum quidam a genere hominum vocabulum accepisse existimarunt, quod in rhythmo et satis prolixum et satis molle, sicut eiusdem gentis homines adseverantur.* Leguntur enim haec fragm. Ambr. p. 262, 3 ed. Nauck: οἱ δὲ ἰωνικοὶ ἐκλήθησαν ἀπὸ τῶν Ἰώνων τῶν τρυφηλῶν, ἐπειδὴ κατὰ μίμησιν ἐκείνων μαλθακόν τε καὶ ἀναβεβλημένον καὶ χαῦνον ποιοῦσι τὸν ῥυθμόν. Cui accedat Aristides Quintilianus p. 37 ed. Meib.: ἰωνικὸς δὲ διὰ τὸ τοῦ ῥυθμοῦ φορτικόν, ἐφ' ᾧ καὶ οἱ Ἴωνες ἐκωμῳδήθησαν.

In eis quae ad secundum Artis volumen revocanda sunt, hic illic eadem difficultas oboritur quam supra tetigi. Cui penitus solvendae vereor ut quisquam parem se esse confidat in tanta antiquiorum testium penuria qua laboramus. Haerebis igitur non numquam utrum ex Heliodoro Graecorum opinio repetenda sit an fluxerit ex antiquiorum grammaticorum enchiridiis, quibuscum Varrones Caesiique familiaritatem contraxerant. Velut ea, quae supra audivimus ad Heliodorum referri a Westphalio ex capite quod 'de metris' inscriptum est Mar. Vict. p. 51, 29: *quidam autem non pedem metrum esse volunt sed syllabam* e. q. s., possunt non nemini iam a M. Terentio ex graeco nescio quo metrico recepta videri. Quod quidem vel veri simile est in eis, quae de colis et commatis, de versu, de

poetice Victorinus habet p. 53, 27 — 56, 21: nempe satis probabiliter haec ad Varronis de sermone latino librum quartum rettulit Wilmannsius de Varron. libr. gramm. p. 67 sq. (cf. ibid. p. 198 sqq.). Ut ex libro Caesiano artigraphum haec repetiisse facile crediderim. Quamquam de nonnullis rursus minus expedita res est quid statuendum sit. Cf. Christius 'Die Verskunst des Horaz' ('Sitzungsber. d. baier. Akad. d. W.' 1868 I 1) p. 7 adn. Velut iure nostro videmur suspicati esse 'Heliod. Unters.' p. 105 Victorini de apocope praeceptum p. 56, 6—12 fluxisse ex Heliodoro: *pari ratione in versu et apocope [praecepta est], id est subtractio syllabae syllabarumve [cuiuslibet partis orationis] metro cogente facta, [quae] sive in verbo sive in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur, ut 'endo sua do', id est in sua domo. item 'ac famul infimus esset', pro famulo. similiter 'proras detondete et despoliate guberna', id est gubernacula, sicut diximus, metri necessitate* (ubi addita *partis* voce *cuiuslibet partis orationis* seclusit Wilmannsius, nos delevimus *praecepta est* et *quae*): conl. schol. Hephaest. p. 143, 4 ed. Westph.: πᾶν μέτρον εἰς τελείαν περατοῦται λέξιν] ἢ ὡς τελείαν, καθάπερ καὶ Ἡλιόδωρος ἔλεγεν ὁ γραμματικός, διὰ τὸ ὑψερεφὲς δῶ καὶ τὰ τοιαῦτα. Ceterum quae sequuntur apud Marium p. 56, 22 — 60, 25 'de poetice', 'de strophe et antistrophe et epodo', iam apud Caesium lecta fuisse mihi hodie vix dubium est: cf. Caes. Bass. p. 266, 26, Diom. p. 485, 18—29, Atil. Fortun. p. 294, 24—295, 15. Sed de his locis et supra breviter disserui et posthac occasio erit aliquid monendi. Ratio vero exposcebat, ut 'de metrorum fine seu clausula' (est Victorini titulus) Iuba tractatum praemitteret. Cuius disputationis ut non nulla excerpta apud Victorinum superesse putemus, item Heliodoreae doctrinae certa quaedam faciunt indicia. Nempe, id quod praecipue notandum est, paeonum ibi mentio non fit. Sine ulla igitur dubitatione inter artigraphi fragmenta recipienda sunt quae leguntur p. 62, 5—11: *proprie autem iambica metra gaudent acatalectis et catalecticis et hypercatalectis conclusionibus* e. q. s.; item quae paullo infra exstant 20—27: *occasio suggerit hoc loco etiam illud dicere, quaedam metra familiariter propriis pedibus terminari. nam iambica acatalecta*

iambis e. q. s. Verum ne ea quae ibidem 12—19 de dicatalectis interiecta sunt: *praeter has autem depositiones est aeque quae* δικαταληξία *nominatur* e. q. s. eidem Iubae vindicemus, δικαταληξίας interpretatione quae sequitur mirum quantum perversa prohibemur. At enim causa turbarum quae hic factae sunt in propatulo fuerit. Nam in hoc capite, quo de metrorum depositionibus Iuba exposuit, ut etiam de varia colorum conclusione vel eorum permixtione non nulla adderet postulatum erat. Sic ἀσυνάρτητον illud interseruit ex quattuor dactylis subsistens cum ithyphallico, cuius etiam in octavo libro memoriam fecisse putandus est. Cf. Mar. Vict. p. 103, 7—9: *item si quattuor dactylis tres trochaeos, quos vocant ithyphallicum, iungas, erit* ἀσυνάρτητον, *ut est illud, 'tunc et amoris amor venit improbus aliger Cupido'*. Hunc igitur versum cum Victorinus vel is quem exscripsit apud Iubam reperiret, inde ineptam istam de δικαταληξίᾳ opinionem sibi finxerit.

De epiploce, quippe qua numerus nitatur et ordo principalium ab Heliodoro institutus, in eodem secundo ni omnia me fallunt Artis libro (id est priusquam ad ipsam prototyporum expositionem accederet) Iuba disseruit. Ex hoc tractatu ea quae apud Mar. Vict. p. 63 sq. leguntur deprompta esse ut credam, itidem illud me movet, quod paeonicum ne verbo quidem memoratur. Cf. Westphalius Philol. t. XX p. 247. Docuisset hac opportunitate metricus, nisi rhythmicam paeonum interpretationem ab Heliodoro recepisset, bacchiacum metrum ex cretico fieri prima longa detracta, quam observationem fortasse ex maiore aliquo Hephaestionis opere excerptam habet scholiasta ad Hephaest. p. 199, 25 ed. Westph.: τὸ μέντοι κρητικὸν κατ᾽ ἀφαίρεσιν τῆς ἐν τῇ ἀρχούσῃ μακρᾶς ποιεῖ τὸ βακχειακὸν e. q. s. Quocum conspirat aliud scholion ad Hephaest. p. 136, 27: εἰσὶ μὲν οὖν ἐπιπλοκαὶ κατά μέν τινας καὶ ἄλλαι, πλὴν αἱ νῦν ἀναγκαιόταται τρεῖς e. q. s.: cf. F. Susemihlium in Fleckeiseni Annal. a. 1870 p. 500. Nunc autem quod horum nihil protulit Iuba, non mirum est. Nolo multis verbis explanare rem planissimam: sed ex Heliodoro ea quae apud Marium exstant ab artigrapho translata esse cum graecanica oratione arguitur tum similitudine illa quae inter Victorini verba et scholia

Hephaestionea manifesto intercedit. Contendenti enim inter se schol. Hephaest. p. 138, 22 ed. Westph.: δεῖ οὖν cε, ὅταν λαμβάνῃc δυαδικὴν τετράcημον, ἐὰν μὲν μακρὰν εὑρίcκῃc, μίαν ἀφαιρεῖν· ἐὰν δὲ βραχείαc δύο, μίαν προcτιθέναι μακράν e. q. s. et Mar. Vict. p. 64, 4: *observabis autem in hac specie semper duas breves aut adicere aut detrahere, longam unam, quia est uterque pes trisyllabos,* ad unum eundemque fontem haec revocanda esse cui dubium sit? Quamquam non antiquam Iubae disputationem nos habere sed in brevius coactam neminem praeterit. Pro exemplis igitur, ut unum huius rei indicium adferam, notissima quaeque ut assolet ex metrici copiis delegit is quem descripsit Victorinus, nimirum quo promptiora essent ad ediscendum quoque facilius memoriae inhaererent. Itaque praeter exemplum illud ionici minoris p. 64, 10 *dea fecit dea belli dominatrix Phrygas* (Terentian. Maur. 2060) fere versus sunt in scholis decantati: Catull. 4, 1, Verg. Aen. I, 1, Hor. carm. III, 12, epod. 1, 3. Sed haec curiosius nunc persequi non est huius loci. Resarcitur quadam tenus memoriae tenuitas eo, quod ad hanc doctrinam, cui tamquam fundamento prototyporum rationem scimus superstructam esse, in ipsa principalium explanatione sic uti par erat metricus respiciebat. Huc referendus est Victorini de anapaestico metro tractatus p. 74 sq., qui eodem scholiorum Hephaestioneorum consensu Heliodorum prodit. Cf. p. 74, 35: *Anapaesticum metrum originem trahere a rhythmo dactylico in dubium non venit, cum isdem temporibus uterque eorum syllabisque substitat: unde a quibusdam antidactylus dicitur, siquidem dactylus e longa et duabus brevibus, anapaestus e duabus brevibus et longa digesti situ ordinis tantum discrepare videantur; dehinc quod detracta per epiplocen heroo dactylico prima longa reliqui pedes in anapaestum reformentur in eo dumtaxat versu, qui quinque continuis per ordinem dactylis currit, ut 'at tuba terribilem sonitum procul aere canoro'. detracta enim 'at' syllaba, qua primus in versu dactylus constat, erunt reliqui pedes anapaesti sic, 'tuba terribilem sonitum procul aere canoro'*: schol. Hephaest. p. 173, 11 ed. Westph.: γένεcιc δὲ αὐτοῦ τὸ δακτυλικόν. ἐὰν γὰρ μίαν ἀφέλῃc τοῦ δακτυλικοῦ cυλλαβήν, τὸ καταλειπόμενον ἂν εἴη πάντωc ἀναπαιcτικόν e. q. s. et p. 138, 12:

τούτου τοίνυν πρώτην ἀφελὼν cυλλαβὴν, τὸ λειπόμενον γίνεται ἀναπαιcτικόν. Quibus fere negaverim apertiora indicia Iubae verba graeca in sermonem latinum vertentis posse reperiri. Item epiploces ratio habetur apud Mar. Vict. p. 84, 1, ubi de trochaico metro exponitur. Denique in eadem Heliodorea amplexione versatur Iuba nominatim a Victorino adpellatus p. 94, 6, ubi de ionicorum anaclasi agitur: *at Iuba noster . . . insistens Heliodori vestigiis . . . negat hoc vitium, ut quidam adserunt, rhythmicum fore, sed mage metrica ratione contingere, quod per* ἐπιπλοκάc, *id est metrorum inter se amplexiones, ut supra docuimus, plerumque evenit. nam* τετραδικὴ ἐπιπλοκή *et* δυαδική, *id est quadrua et binaria amplexio, huic versui, qui ionicus anaclomenos vocatur, diversitatem varietatemque fecerunt* e. q. s.

Sequitur apud Victorinum brevis 'de tome sive incisione versuum' disputatio p. 64, 31 sqq., quae ut ex Terentiani versibus (1669—1704) vix propagata videtur, ita dicendi genere nimis recedit ab artigrapho quam ut eius fragmentis interseri queat. Sed de hoc loco infra non nihil monebo. In tractatu 'de concursu et collisione vocalium' (qui illi subicitur apud Victorinum p. 66, 5 sqq) quamquam graecae doctrinae pleno non nulla rursus ita comparata sunt, ut ad Caesium Bassum nos ducere videantur. Idem statuo de capite quo librum primum suum finiri voluit Marius p. 67 sq., cui inscriptum est 'de vitiis versuum.' Cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 210. 213 sq. Quamquam Heliodoreae doctrinae vestigia aperte elucent p. 67, 25: *at in ultima miuros ob decurtationem, ut Graeci dixerunt, caudae, id est extimae partis, ut est ille versus apud Homerum,* Τρῶεc δ' ἐρρίγηcαν, ὅπωc ἴδον αἴολον ὄφιν. *cuius exemplo etiam nos utemur ita, 'attoniti Troes viso serpente pavitant'. cui quidam ita medentur, ut dicant Homerum, artis poeticae patrem, geminata littera* ὄφφιν *dixisse, sicut et* ὅccοι ὔμμιν ὅττι. Nempe inter 'quosdam' illos fuisse Heliodorum testatum habemus schol. Hephaest. p. 170, 8 ed. Westph.: ἢ ὅτι ἐνταῦθα ὁ ποιητὴc ᾔcθετο τῆc τοῦ δαcέοc φ ἐκφωνήcεωc πλέον τι ἐχούcηc διὰ τὴν cφοδρότητα τοῦ πνεύματοc, ὥc καὶ Ἡλιοδώρῳ δοκεῖ τῇ δαcείᾳ πλέον τι νέμειν.

Alia Iubae Artis fragmina eadem qua procedimus via

reperta reddenda sunt libro octavo. Etenim ea quae Heliodorus de asynartetis docuerat artigraphum suum in usum vertisse, vel octo principalium numero, quem his locis religiose observat Victorinus, comprobatur. In octavo vero Artis libro hanc 'de conexis inter se atque inconexis' (cf. Mar. Vict. p. 141) disputationem locum habuisse et Prisciani locus fidem facit quo supra utebamur, et librorum computo quem instituimus confirmatum est. Atque optimo iure iam Westphalius l. s. s. t. II p. 190 ea quae de multiplicatione metrorum apud Victorinum leguntur p. 104, 30 — 105, 23 et p. 106, 14 — 107, 3 ad Iubam auctorem rettulit (cf. 'Heliod. Unters.' p. 127 sq.). Neque igitur placet repetere ea quae vere ac sobrie de hoc metricae doctrinae loco disputavit iudex harum rerum maxime intellegens. Primo enim obtutu manifestum est, differentiarum numerum illum MMMMXCVI, qui multiplicationibus apud Iubam efficitur, ab usu longe abhorrere nec sana metrica ratione potuisse admitti. Nec vero, si posset admitti, omnia quae colliguntur eis quae ἀσυνάρτητα sunt iure adnumerarentur. Sed verbis illis, quibus fontem suum indicat scriptor p. 106, 19 *ut maiores nostri in hac arte sublimes tradiderunt*, artigraphum nostrum significari iam supra monuimus, nec quisquam spero ea de re dubitabit (cf. Westphalius l. s. s. t. II p. 187). Ut vero iam hinc licet conicere, haud ita multa ab excerptore in his quae Iubae esse notavimus mutata esse, ita ne potuit quidem ille quidquam gravioris momenti vel addere his computis vel demere, nisi totam voluisset rationem turbare. Verum tamen aliena sunt a Iubae Arte ea quae interiecta sunt p. 105, 38 *quorum exempla* — 106, 10 φεύγετε φεύγετέ με, ut ubi mirus error conspicuus sit in exemplis adlatis. Secludenda igitur haec esse pro certo adfirmaverim, sive Victorino ea tribuemus cum Westphalio l. s. s. t. II p. 188 adn., sive ei quem ille expilavit. Ceterum ut omnino, quaecumque in initio libri tertii a Victorino produntur, facile adparet ex diversis Iubae locis temere conflata esse, ita quam non perspectam habuerit excerptor hanc de asynartetis doctrinam, in primis arguunt disputationis disiecta membra p. 102, 9 — 103, 7, ubi de mixtis inter se κατὰ συμπάθειαν et κατ᾽ ἀντιπάθειαν agitur.

Ac iuvat excerptoris manum interpolatricem paucissimis denotare. Primum eicienda sunt p. 102, 19 *et quamvis* — 26 *inter se formantur.* Nempe haec qui legerit, quae partim male iterantur ex p. 63, 30, ubi de epiploce exponitur, nonne is ut etiam dactylica cum anapaesticis vel trochaica cum iambicis κατὰ cυμπάθειαν iungi existimet inducetur? Et ab excerptore hunc errorem inlatum esse verba quae leguntur 23—25: *etenim adiectis duabus brevibus, ut supra ostendimus* (p. 63, 30), *fiet anapaesticum per* cυμπάθειαν *sic, 'ades arma virumque cano'* certo sunt indicio. Habemus hominem eorum quae conscribillat satis imperitum quique confundat duas res inter se diversissimas. Nec ea quae sequuntur ab omni parte recte se habent: nisi forte *dactylica cum trochaicis* (p. 102, 30) coniuncta in ἀντιπαθῶν numerum referre volemus. Denique non magis huc faciunt quae exstant p. 103, 1—3: *item ex anapaestico dimetro acatalecto et iambico dimetro catalectico, ut est 'age nunc comites rabidae Cybeles vocant choros ad aras':* nimirum sicut dactylica cum trochaicis, ita anapaestica cum iambicis inter ἐπιcύνθετα (quae ne commemorantur quidem apud Victorinum), non inter ἀντιπαθῆ numeranda sunt.

Similes turbas factas esse in eis quae sequuntur p. 103, 7—104, 5 vel obiter locum intuens perspicies. Sic verba *item si quattuor — aliger Cupido* ordine suo destituta sunt, nec quo vinculo cum eis quae antecedunt vel quae sequuntur cohaereant adsequare. Locum qui proxime legitur de colorum permixtione *praeterea permixtiones — ex imperfecto et perfecto* ab eodem Iuba ex Heliodoro transscriptum esse conl. Aristid. Quintil. p. 56 ed. Meib. pluribus comprobavit Westphalius l. s. s. t. II p. 187, cuius disputationis pauca saltem verba rei in qua versamur inlustrandae maxime idonea addo: 'Dass das Uroriginal sowohl für Victorins Darstellung wie für Aristides die Metrik des Heliodor war, darauf weisen vielfache andere Indicien hin. Die Worte *aut contra* als lateinische Version von ἢ ἀνάπαλιν, sowie die ganze lateinische Fassung rühren dann von Iuba her. Er hat mit Verständniss übersetzt. Aber die lateinische Fassung ist etwas abgekürzt' e. q. s. Cf. 'Heliod. Unters.' p. 128. Iterum abhorrent ab huius argumenti continuitate quae tamquam integra cum his

contexta sunt p. 103, 13: *quod* ἀcυνάρτητον *appellavimus metron, quale est* e. q. s. Ex his vero facile cognoscimus, quam arto vinculo de confusis vel 'inmanifestis' doctrina cum asynartetis coniuncta fuerit. Atque etiam ea quae infra p. 105, 24—38 et p. 106, 14—18 de his, quae Graeci cυγκεχυμένα et ἀπεμφαίνοντα dicunt, exponuntur, ab uno eodemque scriptore profecta esse ut per se ipsum probabile est, ita consimili horum locorum oratione confirmatur. Quam vero tenuis nobis huius doctrinae loci memoria apud Marium relicta sit, cum ipsa reliquiarum paucitate elucet tum fragmento illo quod ex eodem octavo Artis libro prodidit Priscianus de metr. Ter. p. 420, 24. Sed haec quidem hactenus.

Fortasse non nemo mirabitur quod colometriae Aristophaneae in hac de Heliodoro disputatiuncula vix semel mentio iniecta est. Sed minus inde ad quaestionem nostram redundare ex eis facile intellegitur, quae de peculiari horum commentariorum indole ac consilio nuper disserui 'Heliod. Unters.' p. 108. 122 sq. Quamquam vel hac brevissima metrorum descriptione metrici doctrina ubivis confirmatur, completur, inlustratur. Ut nunc demum, quid Heliodori esse possit quid non possit, haud difficile liceat diiudicare: cf. Christius 'Werth der überlief. Kolom. in den griech. Dram.' ('Sitzungsber. d. baier. Akad.' 1871, 5) p. 607. Neque igitur desunt quae vel ad nostram rem pertineant et ita cum Victorini potissimum verbis conveniant, ut de Iuba nobis suboleat, Heliodori strenuo sectatore. Quorum luculentiora quaedam hic subicio. Schol. Pac. 775 p. 5 ed. Thiem.: τὸ ἑ διπενθημιμερές, ὃ καλοῦcιν ἰαμβέλεγον, quocum conferenda sunt Victorini verba p. 145, 24: *memineris autem generaliter elegiaci versus cola iambicis subnexa sub quacumque versus specie seu lege iambelegum ab auctoribus composito vocabulo nuncupari, seu contra, si praeponas elegum iambo, elegiambum* e. q. s., cf. Plotius p. 543, 20. Cum schol. Pac. 1191 p. 8 ed. Thiem. καὶ ἐλεγεῖον Ἀρχιλόχου apte contendas Mar. Vict. p. 107, 10: *alii vero Archilochum eius auctorem tradiderunt,* fragm. Bob. p. XII, 13 ed. Keil. Adfero schol. Equit. 551 p. 11 ed. Thiem. ubi legitur: ὧν τὸ πρῶτον χοριαμβικὸν ἰαμβικὴν ἔχον ἐπιμεμιγμένην ἀκατάληκτον, quibus certe Victorini admonemur p. 86, 4: *subsistit*

autem (sc. *choriambicum*) *nunc e puris choriambi coniugationibus* . . . *nunc admixta et posita in quacumque sede iambica basi* e. q. s. In schol. Nub. 457 p. 14 ed. Thiem. legimus: τὸ πέμπτον Φερεκράτειον ἀτελές: idem commemorat Victorinus p. 88, 26: *dimetrum brachytacalectum, quod quidam pherecration* ἀτελές *vocant,*

choreisque cantat.

Ubi *choreisque* pro *choreis*, quod in libris est, correxit Thiemannus in Colometr. p. 114. In schol. Nub. 467 p. 15 ed. Thiem. haec exstant: καὶ γὰρ τὰ δύο τὸ λεγόμενον Χοιριλεῖον. De quo legenda sunt Victorini verba p. 110, 20, quae ad Iubam revocanda esse mihi vix dubium est. Deinde haud raro in colometria memoria fit dochmiorum schol. Ach. 358. 490 p. 18 ed. Thiem.: ab Heliodoro igitur non aliena sunt quae dixit Victorinus p. 88, 23: *est autem antispasticum monometrum hypercatalectum, quod et dochmiacum dicitur,*

volant praepetes:

cf. Atil. Fortunat. p. 288, 22. Denique de paeonicis verbum non addo.

CAPVT III.

Infelicem illam fortunam quam de grammaticis graecis non nulla disserentes aegre ferebamus, ipsam artis metricae historiam si spectamus, ab huiusce disputationis limine etiam minus arceri posse fatendum est. Nam de antiquioribus grammaticis qui apud Romanos rem metricam tractabant pertenuis est memoria. Quam ut haud ingratum esset coniectando quodam modo supplere, ita hoc quidem nostram rem nihil adiuvaret. Tamen ut unum saltem eumque nobiliorem memorem, inter 'grammaticos libellos', quos scripsit P. Valerius Cato, etiam de arte metrica commentarios fuisse, quis non coniciat qui legerit notissimum illud C. Suetonii testimonium, quod exstat de grammaticis c. 11 p. 109, 8 ed. Reiffersch.: *docuit multos et nobiles, uisusque peridoneus praeceptor, maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere uel his uersiculis potest:*

Cato grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

Cuius aequalis fuit Cornelius Epicadus, L. Corneli Sullae dictatoris libertus (cf. Suetonius l. s. p. 110, 16), a quo *librum de metris* editum esse certo Victorini testimonio scimus de metr. et de hexam. p. 209, 9. Item Ennius grammaticus, cuius praenomen Marcum fuisse haud inepta sed incerta coniectura suspicatur A. Riesius in Fleckeiseni Annal. a. 1866 p. 465 (cf. I. Steupius de Prob. grammat. p. 57 sq.), scripsit *de metris*, id quod memoriae prodidit Suetonius l. s. p. 100, 8: *nam quod non nulli tradunt duos libros de litteris syllabisque, item de metris ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta non poetae sed posterioris Enni esse, cuius etiam de augurandi disciplina uolumina ferantur.* Ceterum ne quis liberius uteretur ad historiam artis metricae inlustrandam testimonio Rufini p. 565, 2, cautum esse voluit Ritschelius Parerg. Plaut. Terent. t. I p. 358 sq.

Sed quod supra perspeximus ex graecorum grammaticorum numero unum sibi delegisse Iubam cui totum se addiceret, fere ut Heliodori personam induisse videretur: idem ni multum fallor valet etiam de latinis. Quamquam enim etiam plures Iubam consuluisse vel leviter saltem inspexisse vix praefracte negaverim, tamen in uno potissimum auctore describendo versatum esse ut statuamus, et temporum rationes suaserint supra significatae et tralaticium illud scribendi genus grammaticorum aliunde satis notum. Certe eorum quos modo memoravimus nullum vestigium reperitur in eis quae ad artigraphum hodie possunt referri. Neque ipsum Varronem Iuba exscripsisse putandus est, sicut a Mauro virum illum eruditissimum lectum esse negat Lachmannus in Terentian. p. XV. Vix igitur hac occasione opus sit ea retractandi, quae de quarto libro operis de sermone latino diligenter disputavit Wilmannsius l. s. s. p. 64 sqq., quamquam non hoc solo libro res metricas Varronem explicavisse vel e saturarum Menippearum reliquiis manifestum est, ubi Lucilii fere exemplum secutus (cf. L. Muellerus in C. Lucili Sat. rel. p. 221) etiam metricam attigit. Cf. A. Riesius Philol. t. XXVII p. 300 sq. Sic ex

'cynodidascalico' de phalaecio metro aliquid rettulit Caesius Bassus p. 261, 18. Huic aliud accedat testimonium, Ὄνος λύρας fg. XV, quo adparet eum (ut Riesii verbis utar M. Terenti Varr. Sat. Menipp. rel. p. 55) metrorum singulorum proprietatem perscrutatum esse. Inspicienda sunt praeterea Parmen. fg. XIII sq. p. 190 ed. Ries. Cf. I. Vahleni Coniectan. p. 96 sq. Denique non magis placet hic repetere quae Westphalius l. s. s. t. I p. 167 sqq. recte in universum de Varronianis rationibus exposuit.

Iam de Caesio Basso disputaturo mihi vix opportunius quidquam vel exoptatius accidere potest quam quod haud ita exiguam Caesiani *de metris* libri (cf. Terentian. Maur. 2359) partem adhuc nobis servatam esse Keilii iudicio patefactum est. Nam cum Lachmannus prioris illius libri, quem solum Atilio Fortunatiano tribuendum esse dixerat in Terentian. p. XV, magnam partem ex Basso expressum esse perspexisset, Lachmannique deinde sententia a Westphalio novis ac certis argumentis confirmata esset l. s. s. t. I p. 167, Henricus Keilius nuper remoto tandem de Fortunatiani nomine errore primus recte pronuntiavit ea quae legimus ab ipso nobilissimo artis metricae auctore scripta esse, non a grammatico aliquo inferioris aetatis e Caesii libro conlecta: Gramm. Lat. t. VI p. 250 sqq. Et praeierat ad hoc iudicium quadam tenus Westphalius l. s. s. t. I p. 173: 'Was wir von Atilius Fortun. besitzen, scheint unmittelbar auf dies Buch des Caesius Bassus zurückzugehn.'*) Sed ne error subrepat, sicut olim factum est (cf. Wernsdorfius Poet. lat. min. t. III p. XXXV, Lerschius 'Die Sprachphil. der Alt.' t. III p. 160, Osannus 'Beitr. z. griech. u. röm. Litt.' t. II p. 360 adn., O. Iahnius in Pers. Sat. p. 213), nolo hic praetermittere, quod iam Westphalius l. s. p. 119

*) Quod si meminisset L. Muellerus, inter Sereni reliquias post Namatianum nuper a se editas non recepisset p. 50 versum quem pro exemplo posuit Caesius p. 256, 13 (Atil. Fortunat. p. 313 G.): *tibi nascitur omne pecus, tibi crescit herba.* Ceterum si quis ditari velit opusculorum ruralium fragmenta, praeter alia quaedam exemplum quod Marius habet p. 94, 33 non sine veri specie Sereno tribuere possit: *viret alte coma luco.* Sic enim pro *comulato* quod in libris est scribendum erit.

intellexit, commentarium de metris quinque carminum Horatii, cui Caesii Bassi nomen in codice Bobiensi inscriptum est, huius metrici non esse, nedum ea quae ei subiecta sunt de pedibus, de compositionibus, de generibus versuum et poematum: cf. Keilius l. s. p. 253. Argumentationem, qua egregium illud libri Caesiani fragmentum recuperavit Keilius partim Lachmannum secutus et Westphalium partim nova addens, hoc loco non retexam. Neque enim quemquam fore spero qui Keiliana disputatione perlecta Bassum hoc fragmento defraudatum eat. Sed unum idque gravissimum argumentum non praeterierim, quamquam dudum ab aliis notatum est. Plurima enim eorum, quae ex ea libri parte quae superest recepit Terentianus, multo uberius ut exspectari debet et doctius scripta reperies apud Caesium quam apud Maurum (cf. Keilius l. s. p. 251). Tamen nolim hoc ita accipias, quasi vel paucas has pagellas libri Caesiani prorsus integras aetatem tulisse crediderim. Sic recte Keilius l. s. non nulla in quibus plura praebeat Terentianus dubitari posse monet utrum ex alia libri parte (nobis hodie erepta) petierit Maurus an quaedam in ipso Caesii fragmento sint omissa. Quid? quod ipsam locorum aliquot tenuitatem respiciens non numquam misera tantum genuinae disputationis excerpta nobis superesse iure obtineas. Huc praeter alia sine ulla dubitatione refero ea quae p. 264, 17 — 265, 6 de paeonico metro legimus et de proceleusmatico, ubi utriusque metri terna exempla a breviatore ut videtur excerpta sunt. Neque indicia desunt, quibus ea quae de Saturnio versu p. 265, 8 sqq. legimus parum integra esse probabile fiat. Adde quod pro *chorei* vel *chorii* adpellatione quam exspectaveris legitur plerumque nomen *trochaei:* qua de re infra non nihil monebo. Denique dicendi genus spectans in singulis ipsa nobilis grammatici verba vix ubique praestes: cf. e. gr. p. 270, 21 *et hoc sumptum ab Alcaeo et ab illo tractatum frequenter et ab Horatio semel omnino compositum.* Ut intellegatur quid Lachmannum moverit ut eum librum cuius pars superest Terentiano ante oculos fuisse negaret l. s. s. p. XVI. 'Sed uterque,' inquit, 'unum aliquem auctorem secutus esse videbitur, doctiorem quidem illum, sed non perfectum metricum' e. q. s. Sensisse

tale quid videtur etiam Bernhardyus cum in dubitationem quodam modo vocaret iudicium Keilianum 'Grundr. der Röm. Litt.' p. 941 ed. quint., etsi doctrinam tractatus et 'fortasse' artis vocabula vel terminos Bassi esse facere non potuit quin concederet (cf. ibid. p. 569). Sed curiosius haec persequi a nostro consilio alienius est, quamvis non invitus fines huius disputationis transgrederer: utinam ne praefationis angustiae prohibuissent, quominus plenius indicaret grammaticorum editor quid ipse de re sentiret. Certe non verendum erat, ne quod certissimo fundamento nititur iudicium eo labefactaretur, quod non nullis fragmenti locis non tam de librariorum solita incuria*) quam de excerptoris alicuius festinantia subolet (cf. Caes. p. 257, 7). An quisquam duxerit in hac re premendum esse, quod 'et paucis diebus et memoria tantum modo adiuvante' librum a se compositum esse Caesius ipse ut videtur iacit, ne dicam iactat p. 271, 2? Cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 153. Interim ne dubitatio suboriatur, hoc teneto: quamquam haud

*) Quamquam librarios huic libello non magis quam aliis pepercisse consentaneum est. Immo sunt etiam post egregiam Henrici Keilii curam quae certam medelam desiderent. Unum mendum hac opportunitate corrigere libet. De Philicio metro haec habet Bassus p. 263, 25 sqq.: *hoc autem Philicus conscripsit hymnos Cereri et Liberae, tali genere metri, quod scilicet est acri salis et arcanae deorum venerationi credidit convenire. apud nostros hoc metrum non reperio. exemplum eius tale est, 'frugiferae sacra deae quae colitis mystica iunctaeque Iovi nefasto'.* Nomen Philici (philicius *AB*, Phalecus ς) recte restituit Naekius Opusc. philol. t. I p. 30, gravissimum vero ulcus *est acri salis* (sic enim in codicibus legitur, *est * deorum conuenire uenerationi credidit* in editione principe) nemini contigit ut ex arte sanaret. *Quod scilicet sacris mysticis et arcanae deorum venerationi credidit convenire* scripsit Westphalius t. I p. 156 ed. sec., *quod scilicet Eleusiniae* (vel Ἐλευσινίοις) *et arcanae deorum venerationi credidit convenire* Studemundus coniecit: quae me iudice non nisi mystica quadam ratione ex librorum memoria erui poterunt. Maluit igitur Keilius: *quod scilicet sacris cantibus et arcanae deorum venerationi credidit convenire*, cui non mirabor si qui sunt qui *sacris (c)a(nticu)lis* praeferant. Sed ne sic quidem verum repertum est. Neque enim tam improbabilia opinor protulissent viri docti, si exemplum metrici quod non sine consilio exscripsi diligentius animadvertissent: *frugiferae sacra deae quae colitis* e. q. s. Sine dubio scripsit Caesius: *tali genere metri, quod scilicet sacricolis et arcanae deorum venerationi credidit convenire.*

ita pauca hodie videntur omissa, alia neglegentius propagata esse, tamen nec additum est quidquam contra Bassi auctoritatem nec fere maioris momenti quidquam videtur inmutatum. Vt autem ipsius Caesiani libri nunc maius quam sperari poterat fragmentum nobis ad manus est, ita doctrinam eius diligenter et acute in luce posuit Westphalius l. s. s. t. I p. 167 sqq.

Caesium Bassum qui de metris ad Neronem (cf. Rufin. p. 555, 22) scripsit eundem esse atque lyricum poetam, quod negaverat olim Weichertus de L. Vario p. 146, in incerto reliquerat Lachmannus in Terentian. p. XVII, id post O. Iahnium (in Pers. p. 213) hodie vix cuiquam dubium est: cf. Caesarem in Paulyi 'Real-Encyclop.' t. I, 2 p. 2295 ed. sec., Teuffelium 'Gesch. der Roem. Lit.' p. 661 sq. ed. sec. Nec dubitaverat olim de re Wernsdorfius Poet. lat. min. t. III p. XXXIV vel Lerschius 'Die Sprachphil. der Alt.' t. III p. 160. Quod autem L. Muellerus de re metr. p. 18 in re meo quidem iudicio planissima haesitavit non mirandum est, cum idem etiam de metrico iniquius iudicaret nec fere aliud illo tempore iudicium facere posset. Eius modi vero poesis et artis grammaticae vel metricae coniunctionem inde a primis temporibus apud Romanos usitatissimam fuisse neminem fugit. Et egregium artis metricae studium quo Bassus excellebat, Persius, qui amicum eum habuit 'a prima adulescentia' (Sueton. de poetis p. 73, 8 ed. Reiffersch.), sextae satirae versu 3 testatur: *mire opifex numeris* e. q. s. Qui totus locus cum ingenii Caesiani et studii distinctiori imagini nobis informandae praecipue idoneus sit, diligentius de his versibus disseram, idque eo lubentius mihi impono negotium, quo magis in eis interpretandis homines doctos de vero aberravisse video.

Adloquitur autem poeta poetam v. 1 sqq.:

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra, et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse latinae.

Et prioribus duobus versibus quam apte et Sabinorum antiqua simplicitas et ipsius Bassi ingenium severum significata sint, scite monuit Iahnius l. s. s. p. 211 sq. Idem verbi *intendisse*

usum paulo audaciorem diligentissime inlustravit Hermae t. II (a. 1867) p. 226, ubi praeter alia perapposite comparantur Aristophanis verba Nub. v. 968 ἐντειναμένης τὴν ἁρμονίαν. Nec tamen laudo quae viri docti de verbis reliquis sibi persuaserunt, nisi quod fere praeter Heinrichium primam manum codicis Montepessulani secutum (*C* ap. Iahn., ubi *rerum* legitur pro *vocum*) genuinam codicum scripturam *veterum primordia vocum* intentatam reliquerunt. Sed eo infeliciores fuere in interpretando. Plus uno nomine reicienda est Leutschii opinio, qui Caesii ποίημα πολύμετρον quoddam a Persio indicari sibi persuasit Philol. t. XI p. 740 sqq., quo ille cum litteras et syllabas (sic enim intellexerunt non nulli *veterum primordia vocum*) tum metra versibus persecutus esset. Interpretationem hanc, quam comprobare videtur Teuffelius 'Gesch. d. Röm. Liter.' p. 661 ed. sec.*), quominus nostram faciamus, in primis id impedimento est, quod *veterum* sic plane abundaret: nisi forte de *veterum* solum modo *vocum* litteris et syllabis Caesium exposuisse volebat Leutschius. Neque igitur mirabimur quod nulla usquam eius modi libri memoria exstat: 'denn auch das, was wir theoretisches im Terentianus aus Caesius finden, scheint aus dem prosaischen Werke genommen: sonach muss also dieses inhaltreicher als das poetische und überhaupt das Hauptwerk gewesen sein' (Leutschii verba sunt l. s. p. 745). Quare, si quid mei iudicii est, carmen de litteris syllabis et metris, quode Leutschius cogitavit, Bassus omnino non fecit. Nec felicius res cessit Iahnio in Pers. p. 212,

*) Erravit Teuffelius cum haec scriberet: 'Dem Freundeskreise des Persius gehört auch der Lyriker Caesius Bassus an, welcher zugleich ein Lehrgedicht de metris verfasst zu haben scheint. Vielleicht dass im dritten Jahrh. das Werk in ein prosaisches Lehrbuch der Metrik umgewandelt wurde, von welchem bedeutende Ueberreste erhalten sind.' Et similiter dixit p. 662 n. 1: 'Freilich sollte man nach Persius (numeris etc.) glauben, das Werk des C. B. habe ursprünglich metrische Form gehabt, ähnlich dem des Terentianus Maurus; daher Westphal eine spätere prosaische (?) Umarbeitung desselben annimmt.' Nimirum ut extrema eius verba arguunt, fluxerunt hi errores ex Westphalii loco male intellecto, quo nos infra utemur: Metr. t. I p. 119. 173 sq. ed. sec.

qui talis potius libri memoriam sibi videretur repperisse, quo veterum vocum origines poeta versibus complexus esset. Quae opinio, cuius haud absimilem iam a Wernsdorfio (l. s. s. p. XXXIII) prolatam reperies, cur probari nequeat, iam ex eis quae Leutschius monuit fere elucet. Accedit vero quod Iahnii opinionem eisdem dubitationibus obstrictam esse in aperto est quibus Leutschianam: nec *veterum* quod adicitur, si librum de origine verborum intelleges, satis commode explicatur nec alibi ulla huius libri mentio fit. Vix autem magis quisquam errare posset, quam si Caesium cum Gavio Basso confunderet, cuius libri 'de origine verborum et vocabulorum' usque ad septimum haud ita raro citantur a Gellio (III, 19. V, 7. II, 4, 3. XI, 17, 4). Optimo iure eius modi coniecturam utpote vagam nimis et incertam explosit Iahnius l. s. s. p. 213. Nec fere hoc commemorassem, nisi in errorem huius similem vel etiam graviorem incidisse viderem Lerschium l. s. s. p. 161. Cuius tamen hariolationes persequi animus non est: probabilitate eas carere breviter monuit Bernhardyus p. 569. Restat vero quod facile gravissimum duxerim. Neque enim video cui loco ineptius grammatici cuiusvis operis memoria inmitti potuerit quam versibus his, quibus lepide perstringit poeta poesim amici antiquitatis quadam adfectatione insignem atque adeo molestam. Cf. I. Schlueteri Quaest. Pers. p. 44. Itaque (ut ipsi tandem interpretis munus suscipiamus) *veterum primordia vocum* non elementa sunt quibus voces constant, nec de etymis vel de litteris et syllabis (nedum de metris) cogitandum est, sed sunt priscae poesis velut Naevii, Ennii, aliorum veterum verba quasi primigenia et obsoleta, quorum robigine non carere vidit Persius amici mascula ceteroquin carmina. Cf. E. G. Weberus in Pers. p. 58 sq. Quae quidem interpretatio cum simplicissima videatur, tum aliis rebus haud exigui momenti confirmatur. Ac primum ut par est Caesianae metricae fragmentum tamquam veri obrussam adhibeamus. Ibi autem non solum metrica illa peritia, quam Persius haud sine irrisione quadam in Basso admiratur, est conspicua, sed elucet etiam, quam in deliciis habuerit 'vir doctus atque eruditus' (Vict. de metr. et de hex. p. 209) quique 'multos' legerat (Terentian. Maur. 1889), priscorum po-

tissimum carmina. Cf. Caes. Bass. p. 265, 14: *ut vix invenerim apud Naevium., quos* (scil. *versus*) *pro exemplo ponerem;* ibid. 22: *apud nostros autem in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant victoriaeque suae titulum saturniis versibus prosequebantur, talia repperi exempla* e. q. s.; ibid. 30: *apud Naevium poetam hos repperi idoneos* e. q. s. Versum ex Eunucho Terentiana petitum in exemplo ponit apud Rufinum p. 555, 27. Accii versus citantur p. 267, 22 (cf. Mar. Vict. p. 77, 3). Cf. Terentian. Maur. v. 1889. 1969, Hauptii Observ. crit. p. 43, Westphalium t. I p. 173 ed. sec. Denique ‘antiquos auctores’ commemorat Caesius p. 260, 37 (cf. p. 265, 11), quibus quod etiam Catullus adnumeratus sit a primi saeculi grammatico, nihil mirandum est in tanta rerum publicarum morumque commutatione. Monuit de hac dicendi ratione, qua saepius huius temporis scriptores utuntur, praeter alios Wentzelius Symb. crit. p. 9. Neque igitur neglegendum est hac occasione, quod etiam Laevium laudavit p. 261, 26 et 262, 17, item M. Terentii Varronis saturas p. 261, 18 (quod addas apud Riesium l. s. s. p. 51), quorum poesim metrorum varietate quam maxime insignem tamquam mediam esse volunt inter priorem simplicitatem et Augustei aevi artis perfectionem. Ceterum haud pauca versuum exempla ex Varronis de re metrica scriptis Caesium recepisse et per se ipsum probabile est pro ea quae inter utrumque erat necessitudo (cf. Westphalium l. s. s. t. I p. 172), et fragmento Caesiano diserte confirmatur: cf. Keilius ad Caes. p. 266, 10.

Itaque cum antiquiorum poetarum memoriam libro de metris suo haud raro Bassus resuscitaret, fieri fere non potuit quin ipsa poesis eius, quam periisse nobis dolemus uno versiculo excepto apud Priscian. inst. l. X, 36 p. 527*), hoc studio

*) *Bassus in II lyricorum:*

Calliope princeps sapienti psallerat ore.

Ceterum parum certo fundamento nititur Heinrichii (in Pers. p. 72 sq.) speciosa sane coniectura de quattuordecim choliambis qui Persii satiras praecedunt. Quamquam enim artificiosos hos versiculos Caesiano ingenio vix indignos iudicaverim, tamen ne calidius opinionem hanc sequamur prohibemur Bernhardyi scrupulis ‘Grundr. der Röm. Litt.’ p. 653 ed. quint.

nutriretur. Ut carmina eius nimio quodam antiquitatis colore tincta non numquam poetam Enniorum magis et Naeviorum quam saeculi Neroniani aequalem prodere viderentur. Vivebant igitur chordae Bassi lyraque, sed tetrico pectine; sonabant sonum Romani roboris plenum, sed quaesitioribus modulis et ut nimis obstreperet non numquam quaedam priscorum quasi raucitas. Verum autem nos adsecutos esse Persii hac nostra interpretatione ipse Flaccus extra dubitationem ponit, non solum eis quae de foco Sabino et Bassi pectine tetrico praemisit, sed etiam versibus qui insequuntur. Quid? quod ipse animi causa tamquam ut morem gerat mirae amici consuetudini Ennium in partes vocat subridens:

'Lunai portum, est operae, cognoscite cives.'
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo. *)

Quorum versuum ironiam ut persentias, primae satirae memineris velim, ubi 'perpetuus Horatii imitator' (Bentl. ad Hor. sat. I 3, 29) eos castigavit acerrime, qui nimio antiquitatis studio abrepti Attios et Pacuvios extollunt v. 76 sqq.:

Est nunc, Brisaei quem venosus liber Atti,
Sunt, quos Pacuviusque, et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

Cf. Iahnium l. s. s. p. 98.

Haec si recte disputata sunt, simul adparet falsum esse quod statuit I. Steupius de Prob. grammat. p. 64, antiquorum memoriam Senecae philosophi aetate prorsus in tenebras recessisse. Nec minus evertitur illud quod eiusdem libri p. 66 legimus, post Verrium Flaccum usque ad Probi Berytii et Plinii maioris tempora neminem fuisse qui antiquorum memoriam coleret. Immo antiquitatis studium, quod circiter annum 75 p. Chr. coepisse frustra contendit Steupius l. s. p. 64, iam Senecae temporibus magis in dies crevisse ut Caesii Bassi luculentissimo exemplo nunc in comperto habemus aliorumque quos reprehendit Persius, ita rem ipse testatur philosophus Ep. 114, 13: *multi ex alieno seculo petunt verba:*

---

*) Explanavit versus H. Ilbergius Q. Ennii Annalium libri primi fragm. Bonnae edit. a. 1852 p. 17 sqq.

duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt. Neque enim quisquam haec nunc universe potius quam de suae aetatis hominibus Senecam dixisse cum Steupio (l. s. p. 65 n. 3) crediderit. Tradit sane Suetonius de grammat. c. 24 eo tempore quo Probus grammaticae studere coeperit Romae antiquorum memoriam prorsus abolitam fuisse, sed rationi non repugnat, si ipsius Probi auctoritate, quem circa annum 56 p. Chr. floruisse docet Hieronymus, Caesium aliosque non nullos ad veteres recolendos existimabimus excitatos esse. Et similiter de hac studiorum conversione iudicavit S. Heynemannus in egregia de interpolationibus Horatianis dissertatione Bonnae edita a. 1871 p. 60. Cf. L. Muellerus de re metr. p. 96, A. Riesius Varr. satur. Menipp. rel. p. 51. Denique legenda sunt quae dixit Bernhardyus 'Grundr. der Röm. Litt.' p. 311 n., licet non omnia aeque probari posse iam in aperto sit.

Nunc vero quoniam Persio duce paulo accuratiorem poesis Bassianae imaginem nancti sumus, vix iam diutius cum Muellero (de re metr. p. 18) ambigemus Quintiliani de Basso iudicium quo tetenderit X, 1, 96: *si quem adicere velis (*sc. *Horatio), is erit Caesius Bassus, quem nuper vidimus: sed eum longe praecedunt ingenia viventium.* Nam qua fuit iudicii elegantia Quintilianus, licet veterum lectionem utilem aestimet eosque vituperet qui suae aetatis auctoribus totos sese addixerunt, attamen multum abest ut inconsiderate consentiat cum nimiis istis antiquitatis admiratoribus. Et brevitatis causa sufficiat de media hac via quam ille tenebat legentes hodie relegare ad ea quae accurate exposuit Steupius l. s. s. p. 62 sq. Nisi igitur metrorum artificia premere males, quibus Caesium indulsisse ex Persio didicimus, ipsam illam antiquitatis adfectationem in Caesio displicuisse Quintiliano satis probabile est. Nec repugnabo si quis eo, quod i n g e n i a v i v e n t i u m opponat, indicare voluisse Quintilianum existimet, plus studio et arte valuisse Caesium quam ingenio.

Sed ad metricum tandem redeamus. Neque enim habeo quod de poeta addam, nisi quod metrorum studio etiam poeticam exercitationem haud mediocriter adiutam esse consen-

taneum est. Nec abs re fore existimem in memoriam nobis revocare peculiarem illam metricorum latinorum rationem, qua (etsi ut ipse Bassus plerique prosa oratione libros suos scripserunt) non solum grammatici munus, sed etiam poetae modo qualicumque suscipiebant. Et metra derivandi illam rationem, quam a Varrone Bassus acceperat, hoc praecipue sibi postulasse unicuique notum est, ut metra 'aut adiectione aut detractione aut concinnatione aut permutatione' (Caes. Bass. p. 271, 5) variarentur. Cuius modi variationes cum in Bassi fragmento ubivis praesto sint, hic non exscribo. Sed enim iam supra exemplum ab ipso Basso fictum esse observavimus hoc: *frugiferae sacra deae quae colitis* e. q. s. (p. 264, 1), quod et Hephaestio arguit p. 31, 22 ed. Westph. et ipse Caesius p. 263, 27 disertis verbis testatur: *apud nostros hoc metrum non reperio* (cf. Terentian. Maur. 1889).

Priusquam ad rationem quae inter Caesium et Iubam nostrum intercedit transeamus, relinquitur ut quaestionem de fragmento metrico, quod cum Censorini de die natali libro coniunctum reperitur, paucis absolvam. Nam postquam Carrio ea, quae post Censorini de die natali libellum quasi eiusdem auctoris essent in omnibus codicibus traduntur, utpote ab alio scriptore profecta separavit, Lachmannus metricam particulam ad Caesii Bassi auctoritatem revocandam esse coniecit, alias cum cura de hac re sese dicturum esse pollicitus: quod cognovimus ex Iahnii prolegomenis ad Censor. p. XIII. Quam sententiam auctoritate Lachmanni freti repetierunt alii homines docti velut Bernhardyus 'Grundr. der Röm. Litt.' p. 901 et 941 ed. quint. Verum quod promisso non stetit vir summus, vix adeo puto cum Wentzelio (Symb. crit. p. 14) dolendum esse. Vereor enim ne re denuo pensitata in iudicio suo Lachmannus non fuerit perstaturus (cf. I. H. Lipsius 'Litterar. Centralbl.' a. 1859 n. 6 p. 92). Est sane fragmentum hoc antiquioris alicuius metrici vel potius tale, quale ab antiquiore nescio quo possit desumptum videri. Etiam esse concedo, quae apte conveniant cum Bassi studiis qualia supra adumbravimus. Velut ex antiquioribus potissimum poetis, maxime tragicis exempla proferuntur, quorum non nullos versiculos anonymus servavit solus, neque adhibet scriptorem, ut mo-

nuit Iahnius l. s. s., Lucano recentiorem. Quod quo lubentius largior, eo facilius aliis eisque haud minoris momenti rationibus posse refutari opinionem illam mihi persuasum est. Neque enim video quo modo apertius indicari queat diversus huius fragmenti fons quam nominum metricorum quae inter Caesium et anonymum interest discrepantia. Discrepant autem inter se pedum significationibus, ut quem *chorium* plerumque adpellat antiquiorum usum secutus anonymus (cf. Censorin. ed. Iahn. p. 92, 7. 94, 18. 95, 3. 7. 97, 10. 15), Caesius denominet *trochaeum* (cf. p. 255, 3. 5. 260, 34. 38 al. 268, 20). Quamquam hoc quidem levius est. Nam ut vix mirum est vulgatissimum *trochaei* nomen ne illi quidem fuisse ignotum (cf. p. 93, 11. 13), ita si quis *chorii* vel *chorei* adpellationem apud Caesium in usu fuisse existimaverit, non errabit. Et legitur Caes. p. 259, 4 neque a probabilitate abhorret locum qui est apud Mar. Vict. p. 82, 13—24, alios, ad Bassum revocare. Cf. Terentian. Maur. 1874. Westphalius l. s. s. t. I p. 169. Sed gravius est, quod bibrevem pedem ubique *pyrrhichion* vocat Censorinus qui dicitur (cf. p. 92, 6. 94, 13. 96, 3. 97, 10. 11. 15), eundem *pariambum* Caesius constanti usu: cf. Keilius Grammat. lat. t. VI p. 252. Item pedi, qui ex una brevi sequentibus duabus longis constat, in anonymi fragmento *palinbacchio* nomen est (cf. p. 93, 2. 97, 5. 98, 14), *antibacchius* vocatur vel *antibaccheus* apud Caesium. Nempe hoc solum nomen in fragmento Caesiano exstare recte observavit Keilius l. s. s. Adde quod vulgari more dixit Censorinus p. 94, 2 *pentameter elegiacus*, Caesius *pentametrus herous* p. 264, 8. 11. 268, 14. Denique ne hoc quidem neglegendum puto, de pedibus tetrasyllabis vel coniunctis quos vocant ab anonymo omnino non referri. Contra Bassus p. 264, 28 ipse dicit 'et in pedum demonstratione' se exemplum proceleumatici posuisse. Unde certe elucet in trisyllabis non se continuisse Caesium, quod etiam ex Terentiano perspicitur. Mitto autem alia quae possunt minoris momenti videri, velut quod etiam universum dicendi genus a Caesii oratione non uno nomine discrepat: cf. Censorin. p. 95, 1 *comicus trimetros solet magis in breves minui*, ib. 10 *summum pedem patitur aut creticum aut dactylum*, alia. Sed enim complurium discriminum

vi coniuncta iam satis demonstratum puto quod dixi, fragmentum de quo agitur a Caesio profectum non esse. Ceterum quis fuerit scriptor, hodie difficile est dicere. Hoc solum in aperto est a Censorini libello haec fragmenta discernenda esse. Certe quo pacto Bernensis codicis auctoritas huic iudicio refragetur, quod sibi persuasit Wentzelius l. s. s. p. 14, non dispicitur. Codex enim Bernensis 87 anno MIIII scriptus (testante Fr. Hultschio praef. in Censor. p. XII) in ultimo folio continet c. V—VIII supra scripto titulo: *Ex libro Censorino de geometrica.* Sed inde nihil aliud effici elucet nisi in eo codice, ex quo tractatus hic *de geometrica* transcriptus est, ea quae Carrio separanda esse intellexit cum libello de die natali iam tum fuisse coniuncta.

Sed ad Iubam redeo. Ac Bassum ab illo exscriptum esse etsi diserto grammatici alicuius testimonio non traditum est, tamen iam supra rem evicisse nobis videmur praeeunte Westphalio l. s. s. t. I p. 228 al. Cf. Teuffelius 'Gesch. der Röm. Liter.' p. 858 ed. sec. Et cum magistri graeci rationes diversas esse perspexisset Iuba ab eis quas Caesius secutus erat, ita rem eum instituisse vidimus, ut Heliodori rationem octo libris prioribus includeret, quattuor (ut videbatur) extremis exsequeretur derivata. Quae derivandi metra ratio ut hac occasione a nobis dedita opera explicetur, nemo serio postulabit, nisi qui cupiat recoqui res saepe insulsissimas, paene dixerim pueriles. Mitto igitur hanc rem, cum praesertim a Westphalio eum doctrinae locum cum cura et industria explanatum videam l. s. s. t. I p. 143 sqq. 157 sqq., ut unicuique hodie pateat, cuius illum adire intererit. Neque multis disserere animus est de extremorum voluminum distributione qualis supra nobis veri simillima videbatur, cum ultra coniecturas ancipites vix progredi liceat. Sed ne quis quattuor tantum libros derivatis nos tribuisse miretur, etiam hoc sciendum est, tractatum de eis metris, quae ex heroo et trimetro iambo derivari non posse videbantur metricis, a Iuba vix additum esse. Nam ut hoc ab aliis factum esse probabiliter coniecit Westphalius l. s. s. t. I p. 166 sq., ita artigraphum post derivata de paeonico et proceleusmatico (de his autem praecipue agitur) denuo exposuisse nemo crediderit.

Quocirca duodecimo volumine metra potius Horatiana eum Caesii more exsecutum esse fortasse recte coniecimus (cf. etiam Bergkius in commentatione academica beneficii Thielemanniani lege edita Halis a. 1863 p. 3). Denique uno verbo monuerim, quonam vinculo libros octo qui antecedebant cum extremis illis copulaverit metricus vel, quod eodem redit, Heliodori systema cum rationibus Caesianis. Et quoniam rerum interna quadam cognatione duae hae partes sese excipere nequibant, aut nihil cohaeserint necesse est aut male. Quorum hoc potius quam illud usu venisse in Iubae opere crediderim. Et cum diversitatem rationum illarum perspectam haberet, operam sane dabat Iuba, ut videtur, ne temere duo systemata tamquam in unum confunderentur. Nihil enim certius puto quam Aphthonii demum vel Victorini culpa contortam istam asynartetorum et derivatorum perplexionem inductam esse, quae conspicua nunc est in Victorini libri tertii initio (cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 127. 131). Nec tamen dubium fuerit, quin uti res ferebant in altera operis parte fere ad alteram respexerit artigraphus, ut vel sic duae partes externo quodam affinitatis vinculo conexae viderentur. Quamquam igitur prototyporum expositionem ad derivatorum rationes accommodari noluit, quod potius ab eo grammatico e quo Diomedes hauriebat institutum esse supra didicimus, tamen aut multum fallor aut etiam in prototypis ille non numquam derivandi rationum memor fuit. Huc refero hexametri heroi cum iambo trimetro comparationem, quippe ex quibus omnia fere metra propagarent. Cf. Mar. Vict. p. 79, 8: *hexametro dactylico trimeter iambicus comparatur, quem latine senarium nominamus, veluti hexametron* e. q. s., item 26: *igitur cum constet esse inter hos versus quandam cognationem, probabimus omnia metra ex his profluere fontibus et ad haec referri veluti capita neque ullum aliunde quam ex his esse originem metrorum in tam immensa varietate.* Cf. p. 74, 1: *sed de his hactenus. nam quae ex heroo metro per adiectionem et detractionem, item per immutationem et concinnationem genera metrorum propagata quibusve vocabulis nuncupata sint, decursis speciebus prototypis, de quibus nunc sermo est, persequemur* e. q. s. Horum igitur paulo similiora etiam apud Iubam hic illic lecta fuisse mihi probabile est.

Sed iam hoc potius agitur, ut et certis quibusdam exemplis patefiat Caesio Iubam usum esse et qua ratione in illo exscribendo versatus sit, in clariore luce ponatur. Ac primum iuvat in memoriam revocare quod de eis Victorini locis supra monuimus, qui quidem in universum consentiunt cum Terentiano, sed non ita ut ex huius ipsius libris ad Marium pervenisse credendi sint. Cuius generis loci, quorum nulla molestia exempla congeri possunt permulta, non adsequor ex quo alio scriptore fluxerint quam ex opere Caesiano. Observavit hanc rationem Keilius de Marii Victorini arte grammat. p. IX: 'brevis et imperfecta disputatio de vi et potestate litterarum p. 37 et 38 (G.) cum iis quae uberius a Terentiano v. 1300—1334 et v. 342—389 exposita sunt ita consentiunt, ut vel ab hoc ipso petita vel, quod probabilius est, utrumque grammaticum eodem auctore usum esse appareat.' Et alia id genus infra ipse adferam. Simile quiddam de Diomedis locis dicendum est cum Victorino congruis. Nam cum Diomedes et ex Caesio pendeat quamvis aliis intercedentibus nec tamen Iuba eum usum esse veri simile sit, ad eundem Bassum probabiliter ducimur, e cuius libro quidam doctrinae rivuli ad utrumque pervenerint (cf. e. gr. Diom. p. 482 et Mar. Vict. p. 58, 2. Diom. p. 474, 9—19 et Mar. Vict. p. 51, 6—18.). Minus aperta res erit in Atilio Fortunatiano, quem aut ipsum Caesium aut excerpta Caesio consimilia adhibuisse fortasse iure obtineas. Nec inutile est Westphalium audire quid de hac grammaticorum consensione senserit. Quamquam enim falsa veris inmiscuisse censendus est l. s. s. t. I p. 119 sq., tamen vel sic rei accuratius cognoscendae valde idonea sint verba eius quae adpono. Est autem idem locus, quem supra a Teuffelio perperam intellectum esse notavimus. 'Zuerst hat Lachmann Terent. Maur. praef. XVI. XVII die Vermuthung ausgesprochen, dass die gemeinsame Quelle für Terentianus Maurus und Atilius Fortunatianus die Metrik des Caesius Bassus sei. Zu dem was Lachmann für diese Ansicht geltend gemacht hat, kommt noch eine Reihe andrer Thatsachen hinzu, die dahin führen, dass die sämmtlichen bei den lateinischen Metrikern sich findenden Darstellungen der *metra derivata*, die in der oben kürzlich

angedeuteten Weise Varro's den heroischen Hexameter und den iambischen Trimeter als die beiden *metra principalia* oder ἀρχέγονα ansehen und alle übrigen Metren durch *adiectio, detractio, concinnatio* und *permutatio* als *metra derivata* oder παραγωγά aus jenen beiden metra principalia hervorgehen lassen, auf die Metrik des Caesius Bassus als ihre letzte Quelle zurückgehen. . . . Die meisten dieser Metriker haben aber nicht unmittelbar aus Caesius Bassus geschöpft, sondern durch Vermittlung eines andern Metrikers, welcher das Buch des Caesius zu Grunde legend aus den spätern römischen Dichtern bis zu Petronius Arbiter und Septimius Serenus hin Zusätze zu den von Caesius aus den Griechen und den älteren römischen Dichtern aufgeführten Beispielen hinzugefügt hat. Dieser Metriker muss dem dritten Jahrhundert angehören und kann nicht viel jünger als Terentianus Maurus sein. Nur unter dieser Annahme erklärt sich die eigenthümliche Thatsache, dass die genannten Partieen der lateinischen Metriker, die sich von allen übrigen durch die eigenthümliche Art der Darstellung (die Derivation der παραγωγά aus zwei Grundformen) unterscheiden, so reich an Citaten aus Varro sind. Sie haben dieselben ohne Zweifel aus ihrer gemeinsamen Quelle, dem Buche des Caesius, überkommen, der sich bei jener παραγωγή der Metra an Varro angeschlossen und sich, wie es bei dem grossen Ansehen des Varro natürlich war, häufig auf einzelne Stellen desselben bezogen hat.' Quo in iudicio (si Victorinum potissimum spectamus) hoc praeter alia premendum est quod iam supra monuimus: non Aphthonium demum ex Caesio hausisse sed ipsum artigraphum. Iubam enim esse illum saeculi tertii grammaticum quem Westphalius significavit persuasum habeo.

Nolo chartas implere exemplis Caesii a Iuba exscripti cumulandis, praesertim cum ea quae cum fragmento Caesii quod exstat congruant diligenter indicata reperias apud Keilium. Verum ne tamquam fundamento careat disputatio nostra, aliquot locos subicio quos non ex Terentiano ad Victorinum pervenisse manifestum est, sed ex libro Caesiano. Sed numeros tantum paginarum congero. Conferas igitur inter se secundum Caesiani fragmenti ordinem: Mar. Vict. p. 131,

24—29: Caes. Bass. p. 255, 2—3; Mar. Vict. p. 92, 13—29: Caes. Bass. 255, 3—256, 6; Mar. Vict. p. 136, 19—29: Caes. Bass. p. 257, 7—18; Mar. Vict. p. 136, 31 — 137, 7: Caes. Bass. p. 258, 5—11; Mar. Vict. p. 139, 1—10: Caes. Bass. p. 265, 2 sqq.; Mar. Vict. p. 139, 17—19: Caes. Bass. p. 266, 5—7; Mar. Vict. p. 162, 1—3 (conl. Mar. Vict. p. 59, 6. 167, 18. Atil. Fortunat. p. 294, 24): Caes. Bass. p. 266, 26 — 267, 2; Mar. Vict. p. 162, 3—11*): Caes. Bass. p. 267, 2 sqq. Mitto alia permulta huius generis quae in promptu sunt: illud moneo et infra, ubi de dicendi genere exponetur quod Iuba adhibuit, omnem dubitationem de artigrapho Bassi excerptore expulsum iri, nec non alia quaedam esse quibus rei satis exploratae tamquam cumulus accedat. Sic exempla paeonici versus quadrati, quae habet Caesius p. 264, 23, praeter unum apud Victorinum recurrunt omnia: p. 98, 3 *sic Tiberis implacidus in maria labitur* et p. 98, 5 *egregia percoluit ingenia musice*, idque in eodem de paeonico tractatu quem optimo opinor iure supra ad Iubam rettulimus. Qui locus etiam ideo videtur memorabilis, quod quamquam Caesium exscripsit, tamen cavit metricus ne inmisceret suis quod cum Heliodori praeceptis discrepare videretur. Recte igitur praetermisit quod Caesius de cretici clausula addit p. 264, 20, quem locum iam supra adhibui: *qui et ipse [constat] eiusdem generis et temporum totidem quot ille, una parcior syllaba est, ne si fluat eodem (pedum) numero, rhythmos, non metrum fiat.* Nec tamen erat, ut intellexit, cur similem Bassi (p. 265, 4—6) de exitu proceleusmatici observationem secluderet: *habet hic versus proceleumaticos tres, quartum pariambum, semipede cluditur, ita ut detracta proceleumatico syllaba in tribrachum cadat et insistat, ne, ut dixi, numerus sit, non metrum.* Haec igitur recepit, sed non ita ut calamo tantum uteretur Terentiani more (cf. v. 1466—1471), sed ut accommodaret ea (ut videtur) praeceptis Heliodori: Mar. Vict. p. 99, 7: *recipit autem (*sc. *tetrameter catalecticus) prima et secunda et tertia sede proceleumaticum, quibus et clauditur, scilicet detracta proceleumatico syllaba*

*) Mar. Vict. p. 162, 7 delenda sunt, ni fallor, verba *et hic, 'iam satis — hospites'* utpote ex margine inlata.

ultima aut duabus brevibus ultimis in unam longam redactis propter anapaestum, uti metrum sit, non numerus. Accedit vero aliud quiddam. Nempe notum est, quod primus vidit Westphalius l. s. s. t. I p. 168, antiquiorum metricorum, quos Varrones Caesiique sequebantur, praeter alia hoc proprium esse, ut pedem qui ex prima brevi duabus longis insequentibus constat antibacchium dicerent, bacchium qui a duabus longis incipit. Quem usum constanter tenuit Bassus et qui eum exscripsit Terentianus: cf. Westphalius l. s. s., Keilius Grammat. lat. t. VI p. 252. Has autem significationes ab Heliodori rationibus abhorrere Iubam praeterire non potuit. Quaeritur igitur quo modo in eis Caesii locis sese gesserit quibus horum pedum memoriam iniectam vidit. Quod ut intellegatur, audi mihi Mar. Vict. p. 165, 29, qui locus ex Caes. Bass. p. 270, 3 fere ad verbum expressus est: *prior versus, ut diximus, ex choriambo et bacchio a brevi incipiente, sequens e tribus choriambis adaeque claudente versum bacchio subsistunt.* Nec dissimiliter dixit Atilius p. 300, 22. Eadem ratio aliis locis conspicua est, velut Mar. Vict. p. 86, 14 (conl. Caes. Bass. p. 263, 28). 125, 26 (conl. Caes. Bass. p. 256, 24. Terentian. Maur. 1913). 165, 29. al. Ne igitur duae contrariae eiusdem pedis significationes, quas in usu esse repperit, inter se confunderentur, eam videtur sibi legem imposuisse artigraphus, ut bacchii nomen ipse accuratius definiret addita interpretatione *a brevi incipiens* vel *a longis incipiens* (cf. Mar. Vict. p. 93, 11). Quod utinam constanter fecisset vel alterutram notionem per omnes operis sui partes retinuisset. Nunc vero ne parum sibi constans fuerit in his valde vereor, fortasse ut vitioso variandi studio quodam ductus sit, de quo plura dicam si res coegerit. Nam cum plurimis ille quidem locis Heliodori usum observaret, in aliis rursus Bassi nomina nescio an retinuerit inmutata: cf. Mar. Vict. p. 87, 19. Ceterum etiam Aphthonio vel Victorino aliquid dandum esse in rebus his minutioribus consentaneum est*). Iam vero si

*) Nihil huc facit Terentianus v. 2373, ubi verbosius tantum suo more loquitur, ut versus expleantur. Quod tamen recepit Aphthonius apud Mar. Vict. p. 135, 16. Ceterum alia argumenta in promptu esse, quibus Caesii doctrinam apud Iubam arguere possis, non ignarus sum, sed

Terentianum et rationem qua in Caesio exscribendo versatus sit comparabimus, hoc in primis notandum est, non id egisse Iubam ut doctrinam Caesii ad angustiorem orbem revocaret vel omnino resecaret, quod a Terentiano plerumque factum esse facile observatur (cf. v. 1971, Westphalius l. s. s. t. I p. 150), sed ut integram eam exhiberet vel etiam novis scientiae luminibus distingueret. Quam rationem uno saltem loco conlustrare lubet, ita tamen ut simpliciter eum cum Terentiani verbis componamus:

Terentian. Maur. 2394—97:	Mar. Vict. p. 135, 25—29:
Frequens in usu est tale metrum comicis vetustis Atella vel quis fabulis actus dedit petulcos, Quia fine molli labile atque deserens vigorem Sonum ministrat congruentem motibus iocosis.	*frequens hoc comicis metrum et praecipue antiquae comoediae scriptoribus nostri quoque Plautus et Caecilius et Turpilius non aspernati sunt, Atellanarum autem scriptores appetiverunt: est enim iocosis motibus emollitum gestibusque agentium satis accommodatum.*

Neque enim dubito, quin Marii locus in eorum numero referendus sit, quos non ex Mauro Aphthonius, sed ipse artigraphus ex fonte Caesiano petierit. Cuius rei ipsam uberiorem doctrinam satis documento esse putaverim. Nec tamen, ut alibi monui, derivandi metra doctrinam ex Caesii libro adsumpsisse Iuba satis habuit, sed etiam in aliis operis partibus eam exscribendi occasionem non praetermisit, velut in duobus prioribus Artis voluminibus et, ut generaliter dicam, ubicumque indigebat interprete Romano. Cf. e. gr. Mar. Vict. p. 51, 6—18. Quid enim gratius, quaeso, vel exoptatius ei esse potuit, quam ut bono et vetere scriptore uti

---

mitto ea utpote extra dubitationis aleam non posita. Velut vix premendum duxerim illud quod ex Victorini loco de metr. et de hex. p. 209, 6 peti poterit (cf. Lachmannus in Terentian. p. XVII, Westphalius l. s. s. t. I p. 170, Keilius Gramm. lat. t. VI p. 252). Quamquam enim non fugit me usum, quem commemorat Victorinus, haud paucis Marii locis posse confirmari, tamen nimis facile talia in codicibus oblitterari solent, quam ut certum ubique iudicium fieri queat.

liceret, qui non modo Varronis thesauros expilaverat, sed priscos in primis poetas, quos inspiciendi ipsi plerumque facultas defuerit, studiosissime arripuerat. Hinc igitur facile erat vel reconditiora antiquorum poetarum, quorum plurimi dudum in tenebras recesserant, exempla depromere, ut plurima eorum, quae apud Victorinum potissimum ex antiquiorum carminibus adferuntur, Iubae opera ex Caesii libro propagata esse certum mihi sit vel veri perquam simile*). Huc refero, ut pauca delibem, Ennii memoriam (Enn. annal. 563 ed. Vahl.) Mar. Vict. p. 56, 9 (cf. Atil. Fortunat. p. 284, 21), Pacuvii Mar. Vict. p. 77, 7 sqq., Accii Mar. Vict. p. 77, 3, cuius versus ab ipso Caesio laudantur p. 267, 22. Nec neglegendum erit hac occasione Iubam una cum Basso inter eos numerari a Rufino p. 565, 3, qui 'mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum' dixerant. Cf. Mar. Vict. p. 78, 19 — 79, 6. Et tragici ut videtur poetae exemplum exstat etiam fragm. Bob. p. X, 8 ed. Keil. (Gramm. lat. t. VI p. 622, 11): cf. Ribbeckius trag. fragm. p. 248 ed. sec. Ex eodem fonte repeto Lucilii versum (C. Lucil. satur. rel. p. 76, 12 ed. Muell.), quem attulit Mar. Vict. p. 56, 11. Nec P. Terentii Varronis Atacini, Catulli, Lucretii Cari cognitio aliter explicanda sit: cf. Mar. Vict. p. 60, 20. 66, 22**). 63, 28. 56, 9. al. Ceterum non temperasse sibi artigraphum, quin etiam exempla ab ipso Basso ficta vel e Graecis translata exscriberet, pro explorato habendum est. Admonemur hic Philicii metri, cuius exemplum a Basso fictum esse supra cognovimus p. 264, 1: *frugiferae sacra deae* e. q. s.: idem legitur Mar. Vict. p. 86, 19. — Denique aliud quiddam erat, quo liber Caesianus Iubae valde utilis esset Artem suam

*) Legens ac relegens Terentiani versiculos 1969 sqq.: *Non equidem possum tot priscos nosse poetas, Ut veterum exemplis valeam quae tracto probare: Maurus item quantos potui cognoscere Graios?* aegre retineor quin Iubam hoc loco tecte vituperari crediderim aliorum possessiones cupidius depascentem. Sed pro re nata incerta maneat coniectura.

**) Eodem loco etiam haec verba (p. 66, 26—28) nescio an ad Bassum nos ducant: *sed et nostri veteres eas syllabas, in quibus i productum invenitur, e anteposito scriptitabant, ut in antiquis libris invenimus.* Cf. Wilmannsius l. s. s. p. 90, L. Muellerus in Lucil. p. 223.

compondituro. Nam quod superioribus plus semel monitum est, quamquam si rei summam spectas diversae sunt Varronianae rationes atque Heliodori, haud raro tamen factum erat ut eosdem doctrinae locos exscriberent antiquiorum enchiridiis per manus traditos. Sic Heliodori praecepta non numquam iam apud Caesium reppererit artigraphus eaque suo usui etiam accomodatiora utpote tincta colore Romano. Quam rem arduam et expeditu difficilem ut aliis altius persequendam relinquo, ita eis quae supra attigi aliud nunc huius convenientiae exemplum lubet addere. Monet de congruentia locorum iam Gaisfordus in Hephaest. tom. II p. 195 ed. sec.: Caes. Bass. p. 265, 15: *apud Euripidem et Callimachum et quosdam antiquae comoediae scriptores tale inveni genus* e. q. s.: Hephaest. p. 54, 2 ed. Westph.: οἷον παρὰ μὲν αὐτῷ Εὐριπίδῃ Ἕῳος ἡνίχ' ἱππότας ἐξέλαμψεν ἀστήρ. παρὰ δὲ Καλλιμάχῳ e. q. s. Ceterum haud pauca, quae ad Bassum pertinent, capitibus quae sequentur in medium adferenda sunt.

Num quos alios praeter Caesium rei metricae auctores adhibuerit Iuba, difficile est respondere: etsi quae erant temporum illorum condiciones in uno fere Caesio eum acquievisse ad credendum me esse paratiorem iam supra dixi. Sed hoc adparet illum etiam in eo Caesii exemplum sibi imitandum proposuisse, ut eos potissimum poetas sua ipsius lectione amplecteretur, qui metrorum varietate praeter alios excellerent quam maxime. Sicut igitur Bassum scimus M. Terentio Varroni operam dedisse, cuius in saturis sex et viginti metrorum genera vel hodie exstare Riesius docuit in Varron. sat. Men. p. 87, item Laevio, Catullo, aliis metrorum multitudine insignibus: ita quod Iuba Annianum Faliscum et Septimium Serenum haud raro in partes vocavit, nulla fuit alia causa quam 'similis utrique poetae variorum pariter atque insolentium metrorum amor' (cf. L. Muellerus in Annian. p. 41). Quorum Serenus potissimum tanta metrorum affluentia quasi oscillavit, ut paene technici instar habendum esse haud inepte iecerit Westphalius l. s. s. t. I p. 174. Et iuvat Terentianum audire, quid de his iudicaverit v. 1973 sq.: *Nemo tamen culpet, si sumo exempla novella: Nam et melius nostri servarunt metra minores.* Idem vero sensit artigraphus,

quem exemplis ex Anniano et Septimio petitis (cf. Keilius Gramm. lat. t. VI p. 582) supra vidimus metra inlustrasse. Num vero inter Terentiani libros et Iubae Artem ratio intercesserit, caput quod subiecimus aperiet.

CAPVT IV.

De Terentiano Mauro quaestionem haud abs re erit ei statim adnectere disputationi, quam modo de fontibus Iubae institui, ut antequam de excerptoribus artigraphi exponamus, de Mauro tenebrae quantum fieri poterit dispellantur. Ac si ab ipso Iuba Terentianum iam adhibitum esse constaret, quanto expeditior tota nostra de Iuba quaestio redderetur neminem fugit: toties redeunt in Victorini potissimum libris verba Terentiani. Sed res perplexa est ac difficilis, ut primo quidem obtutu et cur neges illud et cur adfirmes, causae haud ita leves in propatulo esse videantur. Primum ipse mirus inter Victorinum et Terentianum consensus, cum praesertim etiam ibi haud raro compareat ubi Heliodorus ab eodem Iuba descriptus videtur, non neminem adducat ut ipsum Iubam, non Aphthonium demum Terentiano usum fuisse coniciat. Accedit quod Iubae libri a Terentiano adhibiti non sunt, id quod infra evincam. Rursus haud sine veri specie nescio an aliud quiddam mihi opponatur. Quid? qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, utpote qui Heliodori copias, simul Caesii librum commentariis suis inseruerit, eundemne credamus Terentiani verbosa carmina non modo non repudiasse, immo ita anxie secutum esse, ut ne eis quidem verbis abstineret, quae Maurus sola metri necessitate admiserat? — Sed iam satis opinor adparet dignas esse has quaestiones, quae diligentius examinentur et quoad eius fieri poterit ad exitum ducantur.

Ac tria omnino, si quid video, in hac re cogitari possunt: aut Iuba Terentiano usus est, aut Aphthonius demum ex eo hausit (ut de Victorino taceam), aut denique ab utroque Terentianum adhibitum esse statuendum erit. Quorum quod secundo loco posui, ab Aphthonio Maurum expressum esse, quamquam haud parvas inde difficultates quaestioni nostrae succrescere video, nullo pacto poterit negari. Rem apte inlustrat locus

Iubae a Rufino servatus p. 562, 19 sq., quem exscribo: *De choliambo sic. est autem proceritatis eiusdem versus qui unius pedis differentia nomen omittit. nam quod sexto loco, qui locus par est, non iambus sed spondeus vel trochaeus accipitur et a longa syllaba incipit, claudum carmen facit et choliambus nominatur, ut est*

ὦ Κλαζομένιοι Βούπαλος κατέκτεινεν.
ἀκούσαθ᾽ Ἱππώνακτος· οὐ γὰρ ἀλλ᾽ ἥκω.
o quae tenerulae conparis tenes crinem,
sudes in ista Veia latent fossa.

Cum his autem contendas velim ea quae de eodem metro tradit Marius p. 81, 4: *genera autem iambici metri sunt duo: nam ex his alia integra alia clauda, quae scazonta seu choliamba vocant, inducuntur, quorum differentiam paenultima versus syllaba demonstrabit. nam si brevis contigerit, erit rectum et integrum iambicum ita:*

vigoris adde concitum celer pedem;

sin vero longa, delumbe et claudum, ut est

novitate ductus, non ut inscius legis.

le longa, quae paenultima reperitur, metrum corrumpit: huius repertor Hipponax: nam pro iambo inductus trochaeus contra legem trimetri iambici metrum innovavit, quod adaeque et ex spondeo contingit. Qua quidem comparatione instituta quaenam, quaeso, probabilior est coniectura, quam ab Aphthonio Mauri versiculos (2183. 2403) adhibitos esse? Ut autem exempla haec ab Aphthonio vel Victorino, non a Iuba recepta esse vix dubium erit simpliciter iudicaturo, ita alii Victorini loci levitate vel stupore adeo insignes sunt, ut non nisi ab hoc ipso demum e Terentiano descripti esse possint. Velut Terentianus 1965 haec habet: *Inserit haec aeque Pomponius in choricis sic, 'Rhoeteis procul a terris', mox dispare versu Subiecto, 'Priamique aras damnare pias': tunc 'Obrue nos Danaosque simul' parilem dedit illi.* Quae quidem apud Victorinum p. 121, 16 perverse sic leguntur: *nec minus hephthemimeres tome subdito sibi versu trimetro catalectico, qui ex pyrrichio spondeo et iambo subsistat, aptum tragicis choris metrum praestabit, velut*

multa quoque et bello passus,

dehinc

fato profugus Lavinaque venit:

item

obrue nos Danaosque simul,

† *aras Priamique damnato pias tunc.*

quo genere metri et Euripides in Oreste et Pomponius noster in choricis suis usi noscuntur. In his praeter alia *tunc* illud, quod Terentianus de suo addidit, ut exempla inter se coniungeret, tam perperam a Iuba intellectum fuisse, ut cum ipso exemplo confunderet, nemini facile persuadeatur. Ne longus sim, subscribo eis, quae Keilius ad h. l. adnotavit: 'Terentiani verbis non intellectis Victorinus trimetrum iambicum catalecticum ex pyrrichiis spondeis et iambis subsistentem finxisse videtur: *Priamique aras damnato pias tunc.*' Cf. L. Muellerum in Annian. p. 37. Quamquam hoc unum fortasse ambiguum restat, quod minus refert, Aphthonio an Victorino tam pudendi erroris culpa rectius tribuatur: certe eam minime dabimus artigrapho. Sed enim res per se satis aperta eo potissimum conficitur, quod haud paucis Victorini locis vel eas dicendi formas receptas videmus, quibus Terentianus usus erat sola metri necessitate cogente: velut, ut in uno alterove eorum me contineam, p. 79, 35: *et Archilochus in Lycambam hoc metro saevit* et p. 137, 30: *quo dimetro etiam Archilochus carmen composuit in Lycambam et filias* (cf. Terentian. Maur. 2456: *Archilochus isto saevit iratus metro Contra Lycambam et filias);* Mar. Vict. p. 107, 10: *quod invenisse fertur Callinous Ephesius* (Terentian. Maur. 1722 *Pentametrum dubitant quis primus finxerit auctor: Quidam non dubitant dicere Callinoum);* Mar. Vict. p. 135, 19: *qui ex iambo natus ad finem quoque idem manebit* (Terentian. Maur. 2386: *Hic ex iambis natus ad finem quoque Manebit idem*). Aliud singularis huius congruentiae exemplum attulit Keilius nuper de Marii Victorini arte gramm. p. IX, quod repeto ut grammatici locum paulo correctius exhibeam: Mar. Vict. p. 35, 29 *hoc u littera facere nequibit, eodem quo i (quot* in libris est) *si fuerit loco*: Terent. Maur. 178 *hoc u simili si fuerit loco nequibit.* Neque igitur mirabere haud infrequentes esse in Victorino locos,

ubi ipsius Terentiani verba pro exemplis recepta sunt, qualis est, ut potiora quaedam exhibeam, p. 118, 20 ubi legitur: *ut est etiam hic,*

iamdudum tibi disserens probavi:

nimirum *iamdudum t. d. p.* sunt Terentiani verba v. 2571. Item, ut alia mittam (cf. Mar. Vict. p. 95, 27 et Terentian. v. 2891), ex Mauri verbis (v. 1814) hoc exemplum petiit Victorinus p. 123, 16: *huic simile anapaesticum, 'cuicumque libebit ut istos.'*

Quae omnia si reputaverimus, non improbabiliter statuemus etiam eum locum ab Aphthonio profectum esse, ubi nominatim Terentiani memoria fit apud Victorinum p. 83, 27: *quamquam Terentianus, non paenitendus inter ceteros artis metricae auctor, sedulo refragetur. nam secundam sedem in trochaico versu trimetro acatalecto velut legitimam iambo adsignat* e. q. s., praesertim cum Terentiani doctrina parum accurate relata videatur: cf. Keilius Grammat. lat. t. VI p. 322. Tenendum igitur est Aphthonium Terentiani libros adhibuisse excepto dumtaxat secundo, quod monuit Lachmannus praef. in Terentian. p. IX.

Itaque hoc saltem certissimum est non a solo artigrapho Terentianum adscitum esse: ut fortasse utrumque et Aphthonium et Iubam Mauri libris usos esse non nemo coniciat. Atque licet simplicitate talem coniecturam minus commendari concedendum sit, tamen hanc rationem per se ipsam veri vix dissimiliorem esse dixerim quam similiorem. Finge tibi Iubam non nulla ex Terentiani carminibus petiisse: quid, quaero, mirum esset si Aphthonius vel Victorinus, qui saepius ne intellegerent quidem, quos describebant (nedum perspicerent, quibus fontibus illi usi essent), praeter Artem iterum et ipsi Terentianum adibant? Ut eo, quod ab Aphthonio vel a Victorino Maurum expressum esse scimus, de Iuba nihilo simus certiores. Itaque alia num exstent sive argumenta sive testimonia, quibus quaestio haec ad liquidum perducatur, circumspiciendum est.

Et quod supra ubi de Mar. Vict. p. 106, 18 disseruimus Westphalio duce recte intellectum est, 'maiorum' nomine neminem alium quam ipsum Iubam ab Aphthonio vel Victorino significatum esse *(ut maiores nostri in hac arte sublimes tra-*

diderunt): idem fortasse etiam in alium Victorini locum cadere cuipiam in mentem venerit. Dico autem haec paulo corruptiora verba p. 120, 5: *memini de dimetro nos superius sub occasione tetrametri [metri] pleraque dixisse, quem veluti naturaliter epodis aptum dicunt, etiamsi Sappho carmen ex eo continuum induxerit, quod appellatur* δίμοιρον ἐπικόν, *idem et pentasyllabum, quia frequenter inventus cum aliis sui generis in epodis habebitur. nihil enim de eo amplius* (*amplius* addidit Keilius) *quam dictum est maiores tradiderunt. unde nunc ad ea, quae de hexametro pari ratione propagata sunt, revertemur.* In eis autem quae 'superius', id est p. 116, 2, dicta sunt, non solum Graecorum fontes, sed etiam Terentiani verba expressa esse liquet. Dabimus locum in codicibus turbatum sicuti Keilius eum constituit in adnotatione ad p. 115, 22, qui simul recte monuit δίμοιρον ἐπικόν quod legitur errori grammatici tribuendum esse, cuius loco aut δίμετρον ἐπικόν (p. 115, 1) aut τρίμοιρον ἐπικόν (p. 161, 30) fuerit dicendum: . . . *quod metrum vocatur* δίμοιρον ἐπικόν, *eo quod duos pedes heroos tantum recipiat, dactylum et spondeum. ex his igitur colis seu dimetris Sappho dicitur carmen composuisse continuum pentasyllabum. huius exemplum:*

primus ab oris
Troius heros
perdita flammis
Pergama linquens
exul in altum
vela resolvit.

qui dimetri etiam inter epodos recipiuntur e. q. s. Et re vera in his, quibus nihil amplius 'maiores tradiderunt', Terentianum ut diximus exscriptum esse, comparatio v. 2159 sqq. in clara luce ponat. Quod quidem eo certius est, quod et hic (cf. Terent. v. 2169 *saepe repulsus* — v. 2176 *moenia Romae*) et in eis quae proxime antecedunt v. 2141. 2147 multo plura exstant in Mauri carmine quam apud Victorinum (cf. p. 115, 17 et 22). Dummodo igitur 'maiores' illud, in qua significatione cardo rei vertitur, neminem alium nisi Iubam intellegi posse recte sumatur, quaestio iam profligata est. Sed illud ipsum dubitationi valde obnoxium esse iudicaverim. Licet

enim, ne quis verba 'maiores tradiderunt' vel in ipsius Iubae opere olim lecta fuisse iaciat vel denique Aphthonium sic a Victorino notatum esse existimet, vix verendum sit (nimis enim facilia haec essent ad confutandum), vel sic unum quiddam relinquitur, quo verba illa multo simplicius expediantur. Nam ut altero loco p. 106, 19 *maiores nostri in hac arte sublimes* non nisi de Iuba intellegi posse re ipsa confirmatum videtur, ita eo de quo nunc agitur loco p. 120, 10, quominus utrumque et Iubam et Terentianum 'maiorum' nomine comprehendisse statuatur Aphthonius vel Victorinus, nihil impedimento esse video*). Quocirca alia via ineunda erit.

Sed ne multus sim in re iam haud ita obscura, locum, ubi de Terentiano ab ipso Iuba adhibito non cogitari nequeat, ne unum quidem repperi. Noli enim hoc premere, quod non numquam vel eis locis, ubi Terentianus exscriptus est, unum alterumve eorum nominum vel artis vocabulorum, quibus Iuba uti solebat, comparet. Ac de oratione artigraphi et dicendi genere cum infra mihi plenius agendum sit, nunc paucis me contineo eisque, quae nuper composuit Keilius de Marii Victorini arte grammatica p. X: Mar. Vict. p. 31, 23: *tempus autem est spatium morae, per quod syllaba longa extenditur, brevis vero contrahitur;* p. 35, 7: *nam parente natura omnis vox sub duorum accentuum sono ore mortalium promitur, producto scilicet aut correpto, ex quis alter extenditur, alter contrahitur;* ib. 19: *neque enim haec commutatio numero metrorum officit congruentibus sub utraque lege temporum spatiis atque momentis;* p. 36, 27: *in collisione spatium temporis ipsa pronuntiandi celeritate consumitur;* p. 37, 6: *nam aut*

*) Adde quod etiam p. 139, 20 (quo loco infra utemur), ubi Terentianus ad verbum exscriptus est, eundem Aphthonium nobis audire videmur: *nam 'malum dabunt Metelli' clauda pars dimetri iambici est* (cf. Terent. Maur. 2518 *'dabunt malum Metelli', clauda pars dimetri*): *dehinc 'Naevio poetae' tribus trochaeis constat* (cf. Terent. Maur. 2523 *post 'Naevio poetae' tres vides trochaeos*), *quod phalaecium vocamus, nec quicquam oberit trochaeo quod suprema longa est* (cf. Terent. Maur. 2524 *nam nil obest trochaeo, longa quod suprema est*), *quod semper in metris indifferenter, sicut superius diximus, ponitur ultima syllaba.* Certe idem haec ex Terentiano transscripsit, qui supra p. 120, 5 his verbis usus est: *memini de dimetro nos superius ... dixisse.*

*brevis syllaba est loco longae posita, aut positione longa vim suae proceritatis loci condicione non obtinet**); ib. 20: *neque enim hic finalem syllabam causatus sis: nam nulla ibi proceritas sonat, ubi vere finalis non est.* Frustra autem esses, si ubi haec vel alia, de quibus infra dicemus, exstant in libris Victorini, statim Iubam manibus tenere tibi viderere. Nimirum Aphthonio accidisse arbitror quod in simili re de semet ipso quivis poterit observare, ut, cum unius potissimum auctoris commentarios decerperet, etiam orationem eius, cui operam dabat, maxime artis vocabula paulatim in suum usum converteret. Sic fieri fere non potuit, quin non numquam etiam loci a Iubae auctoritate alieniores orationem artigraphi scribendique genus plus minus redolerent. Quod ut perspicuum fiat, conferatur locus manifesto ex Terentiani versibus 1861—1907 expressus Mar. Vict. p. 127, 4—128, 11 (Terent. Maur. 1874 *praemonui chorion dici quem saepe trochaeum dicimus:* Mar. Vict. p. 127, 18 *docui superiore volumine* ⟨p. 86, 2⟩ *trochaeum eundem et chorium appellari* e. q. s.). Neque enim ne hic quidem Iubae vocabula, quorum non nulla Keilio duce modo exhibui, prorsus desunt: p. 127, 25 *instruendi sane sumus non numquam choriambico, si usus exegerit, iambicam basin immisceri, quod genus bacchiacum musici dicunt. exemplo erit versus ille:*

cui reserata mugiunt aurea templa mundi.

nam secundus pes 'ta mugiunt' duobus iambis censetur, nec tamen aliquid iacturae metro attulit, cum temporum inter utrumque congruant spatia. Singulari autem exemplo hoc loco demonstratur, quod supra generaliter dictum est Mar. Vict. p. 35, 19: *neque enim haec commutatio numero metrorum officit congruentibus sub utraque lege temporum spatiis atque momentis,* neque propterea de Iuba auctore hic poterit quisquam cogitare. Similiter iudicandum est de eis quae sequuntur apud Marium (p. 128, 3): *nec te syllabarum terreat numerus, cum intra praefinita temporum spatia teneatur, veluti*

tibi vetus ara caluit aborigineo sacello.

---

*) Quae sequuntur apud Marium sic corrigenda sunt: *ergo ri* (*ri* libri om.) *hic pro brevi accipietur lege communium* e. q. s.

Nimirum iteratum voluit, ut videtur, hac data occasione Aphthonius praeceptum quod supra uberius dederat fortasse Terentianum p. 1455 sq. secutus p. 46, 21: *nec te syllabarum adcrescentium in metris terreat numerus, cum uni cuique pedum praestituta legitime tempora* (fort. *tempora legitime*) *custodiantur* e. q. s. Quod autem de artis his vocabulis dixi, etiam magis cadit in ea, quae ad dicendi genus pertinent: errares, inde si Terentianum ab ipso Iuba expressum esse colligeres. Nam qui premeret hoc, monendus esset, vix adeo mirum esse quod etiam in stilum eius scriptoris, quem ante oculos habebat, in dies magis sese insinuabat Aelius Festus. Etiam illud cogitato, non ita diversis temporibus Iubam et Aphthonium vixisse, ut non id genus multa utrique communia fuerint. Velut, ut exemplum paulo luculentius eligam, nihil magis apertum est quam Mar. Vict. p. 123, 5—28 fluxisse ex Terentiani versibus 1811—1838. Et legimus ibi praeter alia haec, quibus verbis iam supra partim utebamur, p. 123, 16: *huic simile anapaesticum ʻcuicumque libebit ut istosʼ. inde intellegi datur ex huius modi anapaesticis carmen illud faliscum, quod constat ex spondeo, duobus anapaestis et syllaba, esse compositum:*

unde, unde colonus? Eoi
*a flumine venit Oronti**),

ultima catalectica superfluente syllaba. Atqui Keilius recte olim monuerat Quaest. grammat. p. 22, praeter alia etiam *intellegi datur* pro *intellegitur* dictum Iubae orationis esse proprium. Sed festinantius nos iudicaturos esse, si ex his solis de Iuba quidquam effici vellemus, iam apertum est. Quocum egregie convenit, quod apud Atilium Fortunatianum, quem multa e Iuba petiisse liquet (cf. Keilius Grammat. lat. t. VI p. 253 sq.), adhibiti Terentiani vestigia nulla sunt. Immo ubicumque consensio aliqua inter eos deprehenditur — et rarissime haec reperitur —, non alterum ex altero hausisse ibi adparet, sed utrumque antiquiore aliquo scriptore usos esse. Ut uno defungar exemplo, hos inter se contendas quaeso locos: Atil. Fortunat. p. 293, 25 sqq.: *Saturnio metro primum*

*) Versiculos scripsi e coniectura satis probabili Luc. Muelleri, quam dedit in Faliscis post Namatianum editis p. 42.

in Italia usi. dictum autem a Saturnia, urbe vetustissima Italiae. et hic versus obscurus quibusdam videtur, quia passim et sine cura eo homines utebantur; maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas huius modi versibus incidebant, [id est sic]

summas opes, qui regum regias refregit.

habet autem in prima parte iambicon dimetron catalecticon, in secunda trochaicon dimetron brachycatalecton, quod et ithyphallicum diximus, ut

dabunt malum Metelli Naevio poetae.

Terentian. Maur. v. 2497 sqq. *Aptum videtur esse Nunc hoc loco monere, Quae sit figura versus, Quem credidit vetustas, Tanquam Italis repertum, Saturnium vocandum. Sed est origo Graeca, Illique metron istud Certo modo dederunt; Nostrique mox poetae Rudem sonum secuti, Ut quemque res ferebat, Sic disparis figurae Versus vagos locabant: Post rectius probatum est Ut tale colon esset Iunctum tribus trochaeis, Ut si vocet Camenas quis novem sorores. Et Naevio poetae sic ferunt Metellos, Cum saepe laederentur, esse comminatos, 'Dabunt malum Metelli Naevio poetae'. Dabunt malum Metelli, clauda pars dimetri* e. q. s.

Ex eis quae de Terentiani libris ab Aphthonio adhibitis monuimus, simul velim perspicuum fiat, quod supra tetigi (p. 27), frustra laborare qui etiam alteri Artis parti, i. e. derivatorum expositioni quodam modo refingendae operam impendat. Nam primum nunc satis confirmatum est Aphthonium hac altera potissimum parte eis quae ex Iuba decerpsit ita versiculos Terentiani admiscuisse ut, quid Iubae sit, quid Terentiani aut denique ipsius Aphthonii vel Victorini, raro tantum ita ut omnis dubitatio tollatur adsequi liceat. Non nescio etiam in priorum librorum restituenda memoria summa cautione opus esse, sed difficultas de qua agitur multo etiam magis, mihi crede, in volumina extrema cadit. Luculentiora quaedam exempla infra pono, sed pauca e multis. Velut inspiciatur Mar. Vict. p. 136, 13—29, ubi de trimetro claudo sic agitur: . . . *a Graecis appellatus est scazon, id est claudus* (*idcirco graece nuncupatus est* σκάζων Terentian. Maur. 2400). *unde observandum est ne spondeus vel qui ex eo procreantur* (*quare cavendum est ne licentia sueta Spondeon aut qui pro-*

creantur ex illo Dari putemus e. q. s. Terentian. Maur. 2408 sqq.) *sede quinta in hoc versu ponantur, ne quattuor iugiter longae omne destruant metrum (destruant versum* Terentian. Maur. 2412). *erit in exemplo versus hic 'sella in curuli struma Nonius sedet' (cuius exemplum s. i. c. s. N. s.* Caes. Bass. p. 257, 7): *fiat mutato accentu pro sedet sedit, erit claudus (fac pro sedet sedit, erit scazon* Caes. Bass. p. 257, 9). *rursus hunc permutatio verborum faciet iambicum integrum (rursus permutatio verborum et hunc faciet iambicum rectum* Caes. Bass. p. 257, 11) e. q. s. Similiter res se habet Mar. Vict. p. 139, 16 sqq.:

Caes. Bass. p. 266, 5:

. . . *quem Metelli proposuerunt de Naevio aliquotiens ab eo versu lacessiti, 'm. d. M. N. p.'*

Terentian. Maur.:

'dabunt malum Metelli' clauda pars dimetri (2518):
post 'Naevio poetae' tres vides trochaeos: Nam nil obest trochaeo, longa quod suprema est (2523 sq.).

Mar. Vict.:

nam uno pede in capite hendecasyllabi posito saturnius versus fiet, cuius exemplum Metelli proposuerunt de Naevio aliquotiens ab eo lacessiti ita: 'malum dabunt Metelli Naevio poetae'. nam 'malum dabunt Metelli' clauda pars dimetri iambici est: dehinc 'Naevio poetae' tribus trochaeis constat, quod phalaecium vocamus, nec quicquam oberit trochaeo quod suprema longa est e. q. s.

Augetur vero difficultas rei etiam eo quod Terentianus, qua erat versus faciendi peritia, non numquam Bassi verborum tenacior fuit quam exspectaveris. Unde Mauri versiculi ab Aphthonio in prosam orationem soluti hic illic genuini Bassi haud ita dissimiles evasisse videantur. Velut Victorini verba p. 135, 25 *frequens hoc comicis metrum et praecipue antiquae comoediae scriptoribus* utrum ex Iuba Bassi sectatore sumpserit Aphthonius, an ex Terentiano qui eundem Bassum descripsit v. 2394: *frequens in usu est tale metrum comicis vetustis,* quis pro certo adfirmare ausit? Namque ut inspectum esse fortasse ab Aphthonio Terentiani versiculum largiendum est, ita quid impediverit Maurum, quominus verba quae congruunt ex Basso reciperet fere immutata, non dispicitur. Ut,

quamvis de verbis quae sequuntur apud Marium haud incertum me esse iam supra (p. 81) significaverim, certe haec quae exscripsi Iubae tribuere dubitem. Deinde vero accedit quod Aphthonium progrediente lectione ita vidimus orationem artigraphi non numquam expressisse, ut ne huic quidem indicio semper satis confidere liceat. Quae omnia perpensitans consilium etiam alterius operis partis reconcinnandae abieci quamvis invitus. Nec intellegentiores iudices hoc spero reprehendent: certe, si quis singulos locos examinaverit, impensae operae rei eventum non responsurum fuisse mecum sentiet.

His praemissis iam alia quaestio subicienda est. Nam etsi quod Keilius sibi persuasit praef. in Terentian. p. 324, Iubae libros, cum Terentianus scriberet, nondum editos fuisse, confidenter nec negare licet nec adfirmare, tamen nullum reperiri locum, ubi Maurus artigraphum adhibuisse videatur, iam supra monui. Nec mirandum sit quod is qui Caesii librum 'quem dedit metris super' exscriberet laudaretque, Iubae utpote eundem Caesium expilantis mentionem non fecit. Totus nimirum pendet e Caesio, nec video quo Lachmanni iudicium infirmetur in Terentian. p. XV: 'Atilii Fortunatiani' — immo Caesii Bassi, ut nostro iure hodie utamur — 'paucae pagellae exstant, apud Putschium p. 2671—2685, quarum maximam partem Terentianus ita expressit, ut si Atilii liber totus superesset, hoc poeta ad artem cognoscendam carere possemus'. Cf. ibid. p. XVI sq. et Westphalii t. I p. 169 ed. sec.

Sed dicet Westphalius, quamvis dubitanter: Petronii et Septimii Sereni versus, qui in Terentiani libris pariter atque apud Diomedem leguntur, Iubae auctoritate ab eis citati sunt. Quod iudicium antequam sub examen vocetur, intersit Westphalii argumentationem plenius referre. Scripsit ille l. s. s. t. I p. 171 sq. sic: 'Indess kann nicht Alles aus Caesius Bassus entlehnt sein. Wir müssen nothwendig eine Ueberarbeitung seines *liber de metris* durch einen späteren Metriker annehmen, welcher die von ihm aus den Griechen und früheren römischen Dichtern gegebenen Beispiele durch die späteren römischen Dichter ergänzt. Es sind dies namentlich Petronius Arbiter und Septimius Serenus. Die Darstellung des Teren-

tianus Maurus für sich betrachtet könnte zu dem Glauben führen, dass Terentianus selber es sei, welcher die Beispiele aus Petronius und Serenus aus eigner Lectüre hinzufügt. Aber diesen Gedanken wird man alsbald aufgeben, so wie man, um von Marius Victorinus zu schweigen, auf die offenbar aus derselben Quelle fliessende Darstellung des Diomedes eingeht. Terent. Maurus bringt zum *dimeter iambicus* v. 2493 folgende Verse des „*Arbiter disertus*“: *Memphitides puellae | Sacris deum paratae. | Tinctus colore noctis | Manu puer loquaci.* Diomed. § 65 sagt: *et illud hinc est comma, quod Arbiter fecit tale: Anus recocta vino | Trementibus labellis.* Alle diese Verse des Petronius müssen im Originale gestanden haben, die beiden aus ihnen schöpfenden Metriker haben nicht dieselben ausgewählt. — Noch klarer ist dies für Serenus. Terentianus Maurus citirt ihn dreimal, Diomedes dagegen zehnmal. — . . . . Fragen wir, wer jener Umarbeiter und Bereicherer des Caesius Bassus war, so werden wir natürlich darüber keine Auskunft erlangen können. Doch wird es nicht unstatthaft sein, dabei an Iuba zu denken. Denn einerseits kennt Iuba, worauf H. Keil aufmerksam gemacht hat, den Septimius Serenus, denn er benutzt im Fragmente bei Priscian p. 413 (G. p. 421, 5 K.) dessen Vers *Si qua flagella iugabis*, andererseits lässt sich nachweisen, dass Iuba den Caesius Bassus gekannt und benutzt hat'*).

Audio; sed quantum ad Iubam attinet, ne citius quam cautius haec a Westphalio excogitata sint verendum est. Mitto quod exempla novellorum poetarum a se ipso adiecta esse adfirmare videtur Maurus v. 1973: *Nemo tamen culpet, si sumo*

---

*) Ne dubitare possis, quid argumentatione sua effectum voluerit Westphalius, en imaginem intueare quam proposuit l. s. s. p. 171:

Caesius Bassus

Atilius — mit Beispielen der *novelli poetae* bereichert (Iuba, ut suspicatur W.)

Terentian. Victorin. Diomedes u. s. w.

exempla novella: *Nam et melius nostri servarunt metra minores* (cf. Keilius Grammat. lat. t. VI p. 252. 323). Nec illud premo, inde quod Petronii Arbitri versiculi apud metricos citantur certe non necessario nos ad Iubam duci, cum Petronium medio potius saeculo primo scripsisse inter viros doctos hodie satis constet. Verum alia causa Westphalii argumentatio labefactatur. Nam ut simpliciter dicam quod sentio, in eo manifesto ille erravit, quod eandem rationem, quam inter Iubam et Aphthonii vel Victorini libros intercedere probatum est, etiam ad Diomedis et Terentiani libros pertinere voluit. At enim eisdem argumentis quibus Caesii librum non ab ipso Aphthonio (nedum a Victorino), sed Iuba intercedente usurpatum esse intellegitur, eisdem de Terentiano (ut Diomedem nunc mittam) ratio plane contraria evincitur. Ut Westphalium hac occasione manifestum sit in errorem eius similem incidisse, quem supra redarguimus, ubi de prototypis a nobis disputatum est. Quamquam haec quae dixi non ita intellegenda sunt, quasi Terentianum alio metrico, unde novellorum poetarum exempla addiderit, usum esse quovis pignore negem. Potuit etiam alium praeter Caesium adhibere Maurus grammaticum, ac fortasse hoc exspectaverit quispiam: sed non fuit is Iuba. Quae ne tamquam ex tripode pronuntiata videantur, hoc teneto: eis locis, quibus similitudo illa valde memorabilis inter Victorinum et Terentianum intercedit, ut non alter ex altero pendeat, sed utrumque potius e communi aliquo fonte doctrinam suam derivasse intellegatur, ibi in Terentiani versibus Bassi doctrina religiose servatur, apud Victorinum eadem plerumque ad Heliodori Graecorumque artem redacta est. Nolo ea repetere, quibus iam supra Caesium Iubae auctoritate usurpatum esse ab Aphthonio demonstravimus: etiam luculentiora nunc proferam ad id quod volo comprobandum.

Ac de Victorini tractatu qui 'de pedibus' inscribitur, p. 43, 9—50, 2*), etiam Westphalius concessit, ea quae inter

*) Hoc exemplo quominus uterer non eo me deterreri passus sum, quod Westphalio placuit has de pedibus expositiones tamquam singulari quodam modulo metiri l. s. s. t. I p. 205 sqq. Nam perperam hoc instituisse censendus est. Quid enim? Terentiani de pedibus tractatum nonne ex eadem origine descendisse putabimus ac reliquas libri tertii

Victorinum et Terentianum (v. 1359—1565) congruunt ita ut Marium ex Terentiani versibus hausisse ponamas, expediri non posse (cf. l. s. s. t. I p. 206: 'Hiernach wird man nicht annehmen können, dass die von Marius gegebene Darstellung aus Terentianus geschöpft sei' e. q. s.)*). Et perlustrantibus nobis longiorem hunc tractatum id in primis memorabile erit, quod pariter initium capitis (p. 43, 9—p. 44, 9) atque extrema pars (p. 48, 24—p. 50, 2) non modo Heliodori Graecorumque doctrina aeque affluunt, sed etiam produnt ipsius Iubae qui illam in usum suum converterit vestigia apertissima. Et quod ad initium attinet, de pedis definitione conferas quaeso quos Keilius congessit locos: schol. Hephaest. p. 124, 2 et 127, 1 ed. Westph. fragm. Ambros. p. 266, 21 ed. Nauck.; deinde de syllabica parauxesi, cuius inter metricos latinos a solo Victorino memoriam fieri recte observavit Westphalius l. s. s., vide schol. Hephaest. p. 124, 25 et p. 127, 5 ed. Westph. Iam ea quae sequuntur apud Marium de Graecorum notis accentuum, quae 'syllabis ad de-

---

particulas? Nimirum etiam hac occasione recordandum fuit haud pauca eorum quae posteriores grammatici graeci tradunt iam Caesium Bassum ex antiquiorum enchiridiis in suum usum convertisse. Ut vel de antispasto Terentianum ipso Caesio duce in hac pedum explanatione exposuisse credam v. 1478 sqq., quod nemo mirabitur secundum ea quae supra de antispasti inventore monuimus. Neque igitur satis considerate (ne plus dicam) excogitata sunt quae legimus apud Westphalium l. s. s. p. 206: 'So viel steht fest, dass irgend ein lateinischer Metriker das griechische Original benutzt hat, aus welchem die byzantinische Darstellung der πόδες fliesst. Auf diesem Wege ist die dort gegebene verkehrte Auffassung der Wörter ἄρσις und θέσις, welche von wenig Vertrautheit mit der Rhythmik zeugt, zu den lateinischen Metrikern gekommen. Jener lateinische Metriker muss älter als Terentianus Maurus sein, also spätestens dem dritten Jahrhundert angehören' e. q. s. Quamquam haec plenius refutare non est huius loci.

*) Uni loco sane mirabili ne nimium tribuatur cavendum est. Terentian. Maur. v. 1380 habet haec: *verum uterque quantum in arsi, tantum habebit in thesi*, et eisdem fere verbis Victorinus p. 44, 24: *quorum uterque quantum in arsi, tantum retinet in thesi.* Sed enim nihil impedit, quominus haec similiter iam apud Caesium lecta fuisse statuamus. Cf. quae supra de Terentiano monui p. 93. Et videtur Terentianus potius versus gratia 'retinet' vel huius simile verbum quod apud Caesium legebatur in 'habebit' mutavisse: cf. Diom. p. 480, 8.

claranda temporum spatia superponuntur', ex eodem grammatico graeco translata esse non est cur moneam. Ut vix quisquam dubitaturus sit quin etiam, quod de pedis nomine et de pedis et rhythmi differentia disputatur, quippe quod solum supersit in hoc tractatus initio, ad Iubam auctorem referendum sit (p. 44, 3—9). Etiam luculentiora sunt artigraphi indicia in parte extrema (p. 48, 24—p. 50, 2). Velut (ut mittam in hac quoque particula mirum illum intercedere inter grammaticum latinum et Hephaestionis scholia p. 128, 25—129, 26 ed. Westph. consensum) in Victorini 'de paeonico metro' capite, quod supra docui totum ex Iubae commentariis petitum esse, amphimacri in breves soluti praeter aliud quoddam hoc proponitur exemplum p. 98, 7 *Philopolemus:* ecce id ipsum legitur etiam in extremo hoc quode nunc agimus tractatu p. 49, 15: *incipiunt autem et porriguntur tempora in pentasyllabis a quinque usque ad decem, id est a pentasemo ad decasemum* χρονικῇ παραυξήσει, *ut sit pentasemus, ut (ut* addidi*) Philopolemus, e quinque brevibus* e. q. s. Quid quod etiam versus ille, quo Iubam utentem videmus in Rufini excerptis, *armiger in Ida pede vago litora petens*, hoc ipso Marii loco redit p. 49, 29? Habes igitur, ut dixi, et initium et clausulam disputationis ex Iubae opere aperte expressa, vix ut audacius nunc mediam quoque partem (p. 44, 10—p. 48, 23), quae cum Terentiani versibus (1359—1565) ea qua dixi ratione congruit, ex eadem cum reliquis origine descendisse conicias. Sed iam coniectura nihil opus est. Etenim temerarium esset, si quis casui daret quod fere omnia in hac media parte, quae apud Terentianum desiderantur, Graecorum doctrinae, id est Heliodori nos admonent. Ut Iubam potius subodorari mihi videar 'Graecorum opinionem secutum'. Sed perlustres mecum quaeso paucos saltem eius generis locos, ut id quod dixi merito credatur. *Qui brevem primam tenebit,* Terentianus inquit v. 1382, *deinde longam syllabam, Erit iambus, pes virilis acer et raptim citus.* Similiter Mar. Vict. p. 44, 25: *at qui e brevi prima sequente syllaba longa digeritur, erit iambus temporum trium, ut parens,* sed addit haec: ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, *id est maledicere, quod in iambicis plerumque versibus reperitur, vel* ἀπὸ τοῦ ἰέναι βάδην:

a brevi enim profectus per longam porrigitur. Nec minus Iubam agnoscas in trochaei definitione, ubi haec sunt quae apud Terentianum frustra quaeres p. 44, 29: *huic contrarius trochaeus, dictus a cursu et celeritate (nam* τρόχος ἀπὸ τοῦ τρέχειν *vocabulum sumpsit), idem et chorius (*fort. *chorius dictus)* ἀπὸ τῆς χορείας *[sumpsit].* Item in molosso apud Marium abundant haec p. 45, 11: *dictus a Molossis qui in Thessalia degunt,* vel etiam in dactylo p. 45, 16: *qui [et] a situ et similitudine digitorum, qui in manibus habentur, vocabulum traxit. nam ex utraque parte breviores longiori iunguntur,* in anapaesto l. s. 20: *anapaestus autem a situ contrario et repercussione dactyli, quod est* ἀντιπαίεσθαι, *dictus; ideoque (*add. *et) antidactylus nuncupatur.* In eadem quasi incude fabricata sunt quae leguntur p. 44, 23; p. 45, 9*); 23; p. 46, 5; al. Sed ut omnis de Iuba dubitatio evanescat, accedit aliud quiddam ad persuasionem perquam idoneum. Neque enim eis solum quae addita sunt Iubae auctoritas confirmatur, sed magis etiam eis quae adversus Bassi rationes inmutata esse perspicitur Victorini disputatione cum Terentiani versibus comparata. Nempe ubi Varronis Caesiique de pedibus doctrinam cum Heliodorea scimus discrepare, ibi ut Terentianus Caesio addictus est, ita is quem Victorinus descripsit a Caesianis rationibus recedit 'insistens Heliodori vestigiis'. Atque hoc eo minus debemus neglegere, ne quis forte consilio graecanicam doctrinam a Mauro abiectam esse opinetur perperam scilicet respecto v. 1971. Cuius generis maxime memorabilis est locus, ubi de bacchio pede et palimbacchio agitur. Et bacchius pes erit, si Terentianum sequeris v. 1410, *cum duas longas sequetur una brevior syllaba,* sin audies Victorinum p. 45, 22, *cum . . . longis duabus praeponitur brevis.* Nec magis convenit pro re nata inter eos de 'antibacchi' (Terent. Maur. v. 1410 sq.) vel

*) Leguntur ibi haec: *idem* (scil. *tribrachys*) *et pygnomus a quibusdam, ne vos praetereat, vocatur.* Verum ne quem moveat illud quod tamquam ex 'Caesio Basso p. 2666' ad h. l. adnotavit Keilius: *sed hunc alii trochicum appellarunt, alii pignoma, alii brachysyllabon,* haec ex 'breviatione pedum' quae dicitur adlata esse sciendum est, cui falso Bassi nomen in editionibus inscriptum esse ipse Keilius monuit Grammat. lat. t. VI p. 253.

'palimbacchii' (Vict. p. 45, 25) definitione*). Atque hoc ipso, quod palimbacchius pes dicitur apud Victorinum, antibacchus apud Maurum, fontium diversitas arguitur (cf. Keilius Gramm. lat. t. VI p. 252). Caesium igitur sequebatur Maurus idque constanter (cf. v. 1909 sqq. 2374. 2388. 2393. 2526. al.; Westphalius l. s. s. t. I p. 143), non Heliodori rationem vel Iubae artigraphi, quamquam ne contrarium quidem nominum illorum usum (cf. v. 1413 sq.) ignorat nec de antispasto in hac pedum oppositione referre dubitat. Cuius quidem rei facilis explicatio in promptu est.


Haec autem si recte observata sunt, nobis quidem aegre persuadebitur casu factum esse, quod in eodem Marii tractatu, quem Iubae esse iamiam intelleximus, p. 48, 23 non Δωδωναῖος, ut apud Terentianum v. 1565, sed *Irenaeus* pro exemplo epitriti quarti legitur. Hariolaretur sane, si quis solo hoc exemplo inniti vellet vel ab eo proficisci: nunc autem re ipsa multis et certis argumentis confirmata etiam nomini illi lucis non nihil adfunditur. Indicatur, ut iam Christius coniecit in Leutschii Indic. philolog. a. 1871 n. 6 p. 309, Εἰρηναῖος (ut Suidae verbis utar) ὁ καὶ Πάκατος κληθεὶς τῇ Ῥωμαίων διαλέκτῳ, μαθητὴς Ἡλιοδώρου τοῦ μετρικοῦ γραμματικὸς Ἀλεξανδρεύς e. q. s., de quo nuperrime disputavit M. Hauptius loco supra (p. 8) indicato. Et conferas de hoc veterum grammaticorum more Ritschelium de Oro et Orione p. 12 sq. (Opusc. philol. t. I p. 595), Lehrsium in Zimmermanni Diariis antiq. stud. a. 1835 p. 454 sq., Christium

---

*) Nimius autem esses, si etiam inde velles aliquid colligere, quod de anapaesto ante dactylum egit Terentianus (v. 1402 sqq.) vulgari ordine relicto, quem retinuit Victorinus p. 45, 14. Immo neglegentius proque arbitrio rem egit Maurus. Neque enim Caesius, qui anapaesticos versus ex heroo dactylico derivaret, ordinem hunc omnibus quod sciam probatum dereliquisse putandus erit. Sed ad Heliodorum faciunt quae de paeonibus leguntur p. 47, 30: *sescupli enim ratione subsistunt ideoque metris minime utiles aestimantur. sed et epitriti dicti ob adiectionem tertiae partis non minus inutiles* (*non minus inutiles* libri om.) *quam sunt paeones meritoque a Graecis ita dicti* ἐπίτριτοι: *nam sunt heptasemi. unde ex tetrasyllabis, qui sunt numero XVI, quattuor tantum utiles adseruntur* e. q. s. Et aliena sunt haec a Terentiano.

in Philol. t. XVIII p. 127*). Nec inutiliter recordabere (nisi satius erit tacere inferioris aevi grammaticum), Plotius Sacerdos quoties vel suum ipsius nomen vel Simplicii Maximique, ad quos librum misit, versibus suis, si sunt versus, inculcaverit.

Quae cum ita sint, concidit Westphalii opinio, a qua profecti sumus. Non Iuba usus est Maurus, sed ipso Caesio, alio fortasse nescio quo grammatico posterioris aetatis adsumpto. Eundem Caesii librum, ut summam disputationis comprehendam, Iuba adhibuit adscito Heliodoro (fortasse etiam Pacato): Iubam expilavit Aphthonius, ita tamen ut Terentiani versus haud raro simul inmisceret, Aelium denique descripsit Victorinus. Haec igitur, si quid video, imago nobis informanda erit:



Sed ut in Victorini de pedibus tractatu paulisper subsistamus, quin Iubae debeatur haec disputatio dubitare iam non licet. Et ut verbis fere non immutatis hoc caput ex

*) Quamquam ne nimis argutetur in re paulo obscuriore, prudentior cavebit. Possis enim dubitare, utrum ab Heliodoro Irenaei discipuli memoria facta sit, an suum ipsius nomen grammaticus inseruerit (ut Irenaei potius commentarios Iuba expilasse statuendus esset), an denique posterioris aevi nescio quis Graeculus vel etiam ipse artigraphus Irenaei mentionem iniecerit. Quorum quod extremo loco posui confidenter reiciendum est. Et licet priorum utrum verum sit accurate hodie definiri nequeat, praesertim cum Irenaeum ab inlustris praeceptoris doctrina longius discessisse veri vix simile videatur, tamen in eam potius inclino sententiam, ut ipsum Heliodorum Iubae etiam hic ad manus fuisse credam.

Artis libro primo (ut coniecturam meam sequar) sublatum esse credam, etiam eo adducor quod, nisi totam rationem voluit disturbari Aphthonius, quidquam maioris momenti vel resecari vel immutari in hac pedum enumeratione non potuit. Nec mirabimur antiquariorum de pedum adpellationibus doctrinam, qua Diomedis expositionem circumfluere videmus, in Victorini commentario desiderari. Nam sicut ipsum Caesium in his rebus parciorem fuisse Terentiani comparatio docet, ita ei qui prototypa quinque libris exsequeretur certe non deerat locus eius modi doctrinam sicubi intererat aliis operis partibus inserendi. Tamen ne in singulis paulo calidius artigraphi auctoritatem amplectamur, ita cavendum erit, ut ne levissima quidem indicia, quibus Aphthoniana vel Victorini manus patefiat, neglegamus. Cuius generis certe unum repperi locum p. 46, 6: *inter haec ne quisquam* — 33 *catholice pronuntiaretis.* Neque enim posse saltem factum esse negaverim ut Terentianus simul ab Aphthonio adhiberetur p. 46, 21 in eis, quae iam supra rettuli: *nec te syllabarum adcrescentium in metris terreat numerus, cum uni cuique pedum praestituta legitime tempora custodiantur* e. q. s. conlatis Terentiani v. 1455 sq.: *Dum suo pedi reservet praestituta tempora, Syllabarum nil nocebit longior progressio.* Quamquam etiam aliter hanc paucorum sane verborum congruentiam explicari posse largiendum est. Sed ut re vera Aphthonius in Iuba excerpendo hoc loco paulo liberius versatus esse credatur, suadeant etiam verba eius p. 46, 9: *quod supra* (id est p. 35, 26) *cursim attigi, repetendum hoc vobis existimavi.* Et eis quae tradita sunt diligenter pensitatis non possum non conicere verbosius fortasse Aphthonium de divisione et inter se coniunctione temporum et syllabarum disputasse quam apud Iubam hoc loco factum sit. Sed de singulis eo minus certo hodie iudicari poterit, quo magis adparet ea quae leguntur per se ipsa ab Artis doctrina non abhorrere: ut non tam de suo vel ex Terentiani versibus disputationem auxisse videatur Aphthonius, quam Iubam ex Iuba ut ita dicam paulo fusius interpolasse. Quamquam cum artigraphi usu dicendi videantur discrepare quae exstant p. 46, 7: *quod per divisionem et coniunctionem inter se temporum et syllabarum disyllabi pedes in metris extendantur, tri-*

syllabi vel tetrasyllabi contrahantur e. q. s. Solet enim verbis 'extendere' et 'contrahere' ita ille uti, ut producendi et corripiendi vim aequent, non dividendi et coniungendi, quod infra etiam planius patescet, ubi de vocabulis et oratione metrici paulo curatius disseremus. Alia denique esse, quae non eo quo nunc legimus loco olim legi potuerint, perspexit Keilius. Nam p. 49, 11 verba *ex quibus magis mele et rhythmi lyricorum modulorum quam metra formari poterunt* potius ad pedes pentasyllabos et hexasyllabos referenda sunt. Et turbas hic factas esse observatione de cognatione et mensura pedum incommode interposita proditur. — Quo quidem in iudicio fere acquiescendum erit.

Tantum de Terentiano Mauro. Nolim enim molestius hanc disputationem exspatiari, praesertim cum etiam in capitibus extremis plus semel de illo monendum esse videam. Restat nunc ut, quod supra promisimus, Diomedis libro tertio qualis auctoritas ad instaurandam Iubae memoriam tribuenda sit, indagetur. Memineris autem iam supra (p. 55) prototyporum explicationem, quam apud Diomedem legimus p. 503—506, a Iubae rationibus nobis visam esse abhorrere. Iam vero si Victorini 'de pedibus' caput ad Iubam recte rettulisse iudicabor, Diomedis tractatum p. 474, 30 — p. 482, 10 ab artigrapho alienum esse sua fere sponte intellegetur. Supersedeo equidem singillatim diversitates persequi, quibus Diomedes a Mario dissidet, conspicuas illas non modo exemplis sed ipsa doctrina reique tractandae ratione: unum quiddam notaverim in primis iudicio nostro fidem facturum. Nempe de pentasyllabis et hexasyllabis haec leguntur apud Marium p. 48, 24: *hac inspectione conicere poteris, quem ad modum ex disyllabis et trisyllabis pentasyllabi, sed et geminatis trisyllabis hexasyllabi pedes formati videantur, quorum syllabatim per tempora species comprehendi poterunt. nam etiamsi propriis nominibus, ut alii pedes, minime exprimuntur, tamen situ syllabarum et substantia temporum manifesti sunt.* Optime vero cum his consentiunt scholia Hephaestionis (id est, ut breviter dicam, Heliodorus) p. 129, 10 ed. Westph.: οἷϲ (scil. πενταϲυλλάβοιϲ) ὀνόματα μὲν (οἱ παλαιοὶ) οὐκ ἔθεντο ἰδίωϲ ἑκάϲτοιϲ, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆϲ τῶν προειρημένων μετὰ ϲυλλαβῆϲ ϲυνθέϲεωϲ ἕκαϲτον δη-

λοῦcι e. q. s. Cf. Arist. Quintil. p. 49 ed. Meib. Cui vide quam contrariam rationem observet Diomedes p. 481, 13, quippe qui pedum pentasyllaborum species non modo omnes exhibeat, sed 'propriis nominibus' exprimat*). Quo iam satis manifestum esse puto, quod aliis non minus certis argumentis demonstrare possum, Diomedis hunc tractatum e diversa origine descendisse. Plana et perspecta est origo alius Diomedis tertii libri particulae, longioris dico 'de poematibus' disputationis p. 482, 14 — 492, 14. Totam enim hanc ex Suetonio derivatam esse postquam Keilio (Gramm. lat. t. I praef. p. LII) olim persuasit O. Jahnius (Mus. Rhen. nov. t. IX p. 629), Reifferscheidius deinde eam ad praefationem libri Suetoniani de poetis rettulit Quaest. Sueton. p. 371 sq. Quod iudicium num ab omni parte probandum sit, equidem hoc loco non quaero (dubitavit de re paulo scrupulosius, ut videtur, Christius Philol. t. XVIII p. 162): eo confidentius adfirmo a Iubae metrici commentariis uberiorem de poematis generibus expositionem alienam esse. Nec fere aptiorem in Arte locum habuissent ea, quibus hic tractatus excipitur, 'catholica' dico 'de extremitate nominum', quae leguntur p. 492, 16 — 494, 2. Itaque si a brevi initio libri recesseris (p. 473, 1 — 474, 28), solae restabunt paginae 494, 4 — 503, 22 et 506, 15 — 529, 28, quae nobis in quaestionem vocandae sint. Sed ut promptius de Diomede iudicium fiat firmaque ac stabili nitatur ratione, viam ita nobis muniendam esse arbitror, ut de Iubae latinitate et genere scribendi, id quod saepius promisi, pauca exponam.

---

*) Observasse hanc rationem inter veteres Philoxenum ex Dracone Stratonicensi quem vulgo dicunt p. 132 sq. disceremus (cf. Leutschius Philol. t. XI p. 328, Caesar 'Grundz. d. gr. Rh.' p. 34, Westphalius t I p. 203 sq. ed. sec.), nisi locus dubitationibus obnoxius esset. Quamquam enim eius modi industriam ab antiquiorum grammaticorum consuetudine omnino discrepare Westphalio vix crediderim, tamen etiam alio nomine loci auctoritatem impugnari posse idem evicit l. s. s. p. 228. Cf. Philol. t. XX p. 248.

CAPVT V.

Complura quae ad hanc de oratione metrici quaestionem faciant iam supra occupavi, in usum meum convertens quae H. Keilius occasione data notaverat artis potissimum quibusdam vocabulis intentus. Et viam nobis monstravit vir doctissimus quae ingredienda est. Nam quoniam olim de syntaxi scriptoris, quamvis ut res ferebat paucissima, monuit (Quaest. grammat. p. 22), nuper non nulla composuit quae, ut brevitatis causa ita loquar, ad lexicon scriptoris pertinent: de Marii Victorini arte gramm. p. X. Auxit vero numerum vocabulorum nuperrime Fragm. Bob. de metris p. VII sq. (cf. Gramm. lat. t. VI p. 619 sq.). A qua bipertita ratione nobis ita tantum recedere placuit, ut simul in universum de stili colore et habitu breviter moneamus. Ceterum paucis eisque certis me continere malo exemplis quam locis dubiis undique coacervatis ipse eius modi observationibus fidem imminuere.

Iuvat autem (ut hoc praemittam) memoria semper tenere de artigrapho reique metricae auctore agi, non de quovis aliarum rerum scriptore. Cum vero omnes metrici latini de Graecorum doctrina plus minus pendeant, artes quas illi conscripserunt Graecorum *terminis technicis* quos hodie dicunt affluere consentaneum est. Sic igitur Iuba quoque artis vocabula graeca in sermonem suum recipere nusquam dubitavit. Cuius generis si singula quaeque exempla hac occasione vellem enumerare, etiam si fieri id posset, operae pretium vix facerem, cum praesertim in eis quae hucusque disputavimus compluries haec ratio comparuerit. Magis fortasse e re sit, si breviter monuero artigraphum, quotiens graecanicis vocabulis uteretur, fere constanter eis interpretationem latinam aut subiecisse aut praemisisse pariter atque exempla graeca et latina coniunctim ab eo proposita esse scimus. Cuius consuetudinis unum alterumve saltem exemplum ex magna eius modi locorum frequentia lubet in mentem revocare: Mar. Vict. p. 38, 12 *ametabola, quae a tenore suo non immutetur;* p. 43, 10 *ordine incrementorum, quem Graeci syllabicen parauxesin vocant; item*

temporum, quem Graeci chronicen parauxesin nominant. Ib. 14 *temporum vero incrementa a duobus ad duodecim procedunt, id est a disemo ad duodecasemum.* Ib. 25 σημεῖον *autem veteres* χρόνον, *id est tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quaedam accentuum, quae Graeci* προσῳδίας *vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponuntur* e. q. s. p. 53, 27 *cola, quae latine membra, item comma, quod caesum a nobis proprie dicitur.* Non nulla vero quae per se ipsa faciliora viderentur ad intellegendum, ut ipse nude transcripserit fieri potest, velut *rhythmopoeia* (Mar. Vict. p. 43, 3), *arhythmia* (ib. p. 43, 5. 6), *dichronos* i. e. διχρόνως (ib. p. 31, 20), *mele et rhythmi* (ib. p. 49, 12), alia. Sed huius rationis per se planae et perspectae exemplis congerendis chartam perdere nolim*). Verum maxime interest dicendi genus et in primis artis vocabula, quae ad Iubam certo iudicio referri possunt, hoc loco plenius componere. Non nulla huius generis ‘quae maxime memorabilia sunt’ observavit, ut dixi, Keilius de Marii Victorini arte gramm. p. X, velut *spatium morae*, quod temporis notione intellegendum est Mar. Vict. p. 31, 23 aeque ac *spatium temporis* Mar. Vict. p. 36, 27, vel *temporum spatia atque momenta* ib. p. 35, 20. Quod rectissime a Keilio observatum esse ut planius intellegatur, exempla quaedam alia addam, velut e tractatu ‘de mensura longarum et brevium syllabarum’ (Mar. Vict. p. 39, 5 sqq.), quem Iubae deberi iam Westphalius intellexit ‘Die Fragm. und die Lehrs. der griech. Rhythm.’ p. 12, haec: *propter spatia temporum* p. 39, 6, *temporum spatia* ib. 10, *mo-*

---

*) Nec opus fuerit singulis locis verbose iterum inlustrare rationem illam, quam in vertendis Graecorum enuntiatis Iubam aliosque ante eum secutos esse extremo potissimum secundo disputationis nostrae capite eluxit. Pauca igitur huius generis tamquam exempli gratia attigisse sufficiat, velut *abundare:* πλεονάζειν, *adicere:* προστιθέναι, *amplexio:* ἐπιπλοκή, *clausula:* κατακλείς, *collectio:* συναίρεσις, *compositus:* σύνθετος, *contrahere:* συστέλλειν, *contrarietas:* ἀντιπάθεια, *contrarius:* ἀντιπαθής (ἀντικείμενος), *depositio:* ἀπόθεσις, *detrahere:* ἀφαιρεῖν, *extendere:* ἐκτείνειν, *figura* (*species*): σχῆμα, *finire:* ἀπαρτίζειν, *inconexum:* ἀσυνάρτητον, *indifferens:* ἀδιάφορος, *infirmiora:* ἀσθενέστερα, *origo* (*progenies*): γένεσις, *praestat:* πλέον ἕλκει, *recipere:* δέχεσθαι (εἰσδέχεσθαι, ἀναδέχεσθαι), *scandi:* βαίνεσθαι, *supergredi:* ὑπερβῆναι, al.

menta temporum ib. 17, *temporum spatio* ib. 23, alia. Vel ex capite 'de pedibus' Mar. Vict. p. 43, 8 sqq., quod totum ex Iubae commentariis exscriptum esse modo demonstravimus, hos conferas quaeso locos: *ad declaranda temporum spatia* p. 43, 27, *spatia temporum* ib. 29, ib. p. 47, 10. 48, 14. — Valde usitatus est Iubae verborum *contrahere* (cυcτέλλειν) et *extendere* (ἐκτείνειν) usus notione corripiendi et producendi, quem item recte notavit Keilius l. s., quamquam ne aliis quidem inconsuetus fuit (cf. Censorini fragm. de metr. p. 99, 1 ed. Iahn.): Mar. Vict. p. 31, 24 *spatium morae, per quod syllaba longa extenditur, brevis vero contrahitur;* Mar. Vict. p. 39, 14 *per circuitum longius extentae pronuntiationis;* ib. p. 42, 5 *longum (*scil. *tempus) contrahat;* ib. p. 45, 12 *hi temporum inter se brevitate et extentione discrepant;* ib. p. 63, 1 *distinctionis mora breve tempus extendit* (sic correxit Santenius pro *ostendit* in Terentian. Maur. p. 200); ib. p. 93, 34 *superiorem autem a se syllabam, quae fuerat brevis, commercio suae proceritatis extendit.* Cf. Atil. Fortunat. p. 279, 27 *natura (*scil. *fit longa), cum vocalis extenditur.* Praeterea attendas etiam ad eandem verbi *acuere* significationem Mar. Vict. p. 31, 18 *dum corripiuntur aut acuuntur* e. q. s.; ib. p. 38, 34 *ut verba . . . vel corripiat vel acuat.* Cum hoc autem usu vix discrepat, quod verbum *extendi* non nunquam etiam generaliore quadam vi Iuba adhibebat: Mar. Vict. p. 64, 3 *tetrasemos autem (*scil. *amplexio binaria) propter quattuor tempora, quibus uterque pes extenditur, appellatur* e. q. s.; ib. p. 93, 23 *quorum uterque (*scil. *bacchius et paeon tertius) quinque temporum spatio extenditur:* quibus locis idem significat quod *prolatari* Mar. Vict. p. 45, 13 *prior (*scil. *tribrachys) trium, sequens (*scil. *molossus) sex temporum spatio prolatatur*, ubi etiam *temporum spatio* quod legitur Iubae nos admonet. Contra alia quaedam eorundem verborum significatio ab artigrapho aliena videtur, quippe quae producendi et corripiendi notioni repugnet: Mar. Vict. p. 46, 6 sqq. *inter haec ne quispiam nos aut ignoratione aut incuria praeterisse forsitan putet, quod per divisionem et coniunctionem inter se temporum et syllabarum disyllabi pedes in metris extendantur, trisyllabi vel tetrasyllabi contrahantur, quod supra cursim attigi, repetendum hoc vobis existimavi;*

ib. p. 58, 23 sqq. *observabis autem ut temporibus, non syllabis pedes dividas, ut solvantur duae longae in quattuor breves et tetrasyllabo pede pro disyllabo utaris parique vice quattuor syllabarum brevium tempora in duo contrahantur, quod per* (adde *metri*) *necessitatem fieri licet* e. q. s.; ib. p. 89, 33 *nam si maioris ionici duas breves in unam contrahas longam* e. q. s. Confirmatur suspitio eo, quod horum locorum duos priores Aphthonii, non Iubae esse etiam aliis de causis satis perspicuum est. Et de Mar. Vict. p. 46, 6 iam supra aliquid monui (p. 102 sq.). Locus vero alter Mar. Vict. p. 58, 23 sqq. ab ea sede in qua nunc legitur (i. e. in capite 'de strophe et antistrophe et epodo') certe alienus est. Et perperam huc eum invectum esse comprobant verba *quod et in ceteris metris generali praecepto servabimus*, quae quoniam de metro nihil dictum est non poterunt non inepta videri. Aphthonium igitur verba haec ex alieno loco adiecisse simulque ad suum dicendi usum accommodasse putabimus. Vix autem nunc audacius esse videatur etiam tertio quem protulimus loco Mar. Vict. p. 89, 33 (90, 2) Aelii Festi vel Victorini manum agnoscere, ut omnino usus ille ab Iuba abiudicandus sit. Dixit potius artigraphus apud Rufinum p. 562, 14 *nam si sequentem longam syllabam in duas breves dividas, fiet de iambo tribrachys... nam si prior syllaba spondei solvatur in duas breves, fiet anapaestus* e. q. s.; Mar. Vict. p. 99, 2 *longa eius in duas breves soluta et syzygia in simplices pedes divisa*, et etiam simplicius eadem notione Mar. Vict. p. 35, 17 *ut pro syllaba longa duae breves aut pro duabus brevibus una longa ponatur.* Et de vocabulo *solutiones pedum* eiusque similibus Iubae propriis monuit nuperrime Keilius Fragm. Bob. de metris p. VII. Nec dubitari potest quin Aphthonius locutiones usitatissimas *breves in longam coniungere* vel *copulare* vel *colligere* vel earum similes, quae saepissime in Victorini libris leguntur, apud Iubam invenerit. Cf. Mar. Vict. p. 75, 11 *recipit... spondeum, qui est anapaesti collectio* e. q. s., ubi etiam aliis indiciis artigraphus proditur. — Haud minus recte Keilius observavit l. s. s. vocis *proceritas* usum Iubae esse proprium. Et liceat non nulla alia exemplis iam a Keilio prolatis (Mar. Vict. p. 37, 8 et 21) addere: ib. p. 37, 23 *vim proceritatis capere*

non potest; ib. p. 93, 30 sqq. *igitur secundae coniugationis prima syllaba, quae debet esse brevis, mutatur ea condicione, ut vim suae proceritatis quartae syllabae brevi, quae est ultima primae coniugationis, impertiat; et ipsa quidem brevis remanet facta unius temporis, superiorem autem a se syllabam, quae fuerat brevis, commercio suae proceritatis extendit.* Ubi vides verbo *extendere* iudicium nostrum comprobari: atque ex Iubae opere haec transcripta esse ipse indicat Aphthonius p. 94, 6: *at Iuba noster* e. q. s. Neque enim ad ea solum quae sequuntur Iubae auctoritatem valere existimabunt iudices excerptorum consuetudinis non ignari. Spectat in his quae attuli proceritas ad syllabam longam, neque tamen generaliore huis vocis usu ille abstinuit, velut in loco apud Rufinum servato: *est autem proceritatis eiusdem versus qui unius pedis differentia nomen amittit* e. q. s.: cf. Mar. Vict. p. 96, 33 *qui* (scil. *cretici) et ipsi quinque temporum proceritate nituntur;* ib. p. 103, 19 *quae* (scil. *metra) autem ex duobus imperfectis colis [id est membris] conciliantur, vix est eorum separationem divisionemque cognoscere, in his praecipue, quae minimae proceritatis conexa iunguntur* e. q. s.; ib. 25 *cum sit traditum colum ita demum iustae proceritatis accipi, si decem et octo temporibus suppleatur;* ib. p. 105, 26 *cuius sit* (scil. *colon) aut proceritatis aut generis;* ib. 30 *brevia et non perfectae proceritatis in hoc genere versuum cola.* — Amantissimus est Iuba vocis *incrementum* (gr. παραύξησις), quamquam haec ne prioribus quidem inconsueta est (cf. Caes. Bass. p. 259, 5; 10; 28): Mar. Vict. p. 39, 26 *habet enim et de natura et de positione longioris syllabae incrementum;* ib. p. 43, 11 *ordine incrementorum, quem Graeci syllabicen parauxesin vocant;* ib. 12, 14, 17. p. 48, 30, al. — Valde usitata est est Iubae *mora* vox: Prisc. de metr. Terent. p. 420, 20 *nam quoniam ter feritur hic versus, necesse est, ubicumque ab ictu percussionis vacat, moram temporis adiecti non reformidet;* Mar. Vict. p. 39, 29 *drus enim syllaba quamvis unam vocalem natura brevem habeat, tres tamen aliae consonantes cum eadem elatae non parum temporis in mora pronuntiationis occupabunt* (cf. Caes. Bass. p. 260, 30 ... *exiguam pronuntiando interponas moram);* ib. p. 63, 1 *distinctionis mora breve*

tempus extendit; ib. 8 *in sexta sede* (adde *iambi) trisyllabos figura non ponitur, quia moram habet.* — Notabilis videtur etiam usus vocis *virtus* pro *vi* vel *potestate* adhibitae: Mar. Vict. p. 31, 18 *quinque vocales existunt a e i o u, quae gemina virtute temporum praeditae* e. s. q.; ib. p. 38, 12 *nam quamvis maior in liquida quam in muta virtus sit;* ib. 19 . . . *ut iugatae* (scil. *muta et liquida) instabiles semper et lubricae sint, quia non pari aut aequali virtute nituntur.* — Nec praetermiserim verbi *causari* significationem paulo rariorem: Mar. Vict. p. 67, 22 *quibus* (scil. *versibus in media parte laesis) qui medentur, finalis syllabis excusatione succurrunt, ne media versus sede iambus habeatur, causantes, quod parte orationis terminata pro longa posita o accipienda sit* e. q. s.; ib. p. 37, 20 *neque enim hic finalem syllabam causatus sis: nam nulla ibi proceritas sonat, ubi vere finalis non est* e. q. s. — Legebatur apud Iubam vox *medietas*, de qua Ciceronem audias Tim. c. 7: *partes ex toto desecans intervallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Graeci* μεσότητας *appellant: sed quasi ita dixerim, intellegatur: erit enim planius.* Cf. Mar. Vict. p. 62, 26 *non enim solum in fine ponuntur sed et in medietate versuum et inter initia coniunguntur;* p. 67, 15 *nam aut in principio aut in medietate aut in extrema sui parte corrumpuntur* (scil. *versus*); ib. p. 88, 20 *quae commutatio plerumque inter initia versuum fit nec facile in medietate* e. q. s.: cf. H. Kretschmannus de latinitate L. Apulei Madaurensis p. 45, H. Koziolus 'der Stil des Apuleius' p. 310. — Iure Arti adscribas verbum *praestituere* vel *praefinire*: Mar. Vict. 88, 6 *indifferenter enim auctores lyrici metro antispastico initia praestituerunt* (*praestituerunt* Keilius, *praestiterunt* ς, *perstiterunt AB*), ubi etiam adverbium *indifferenter* notandum est, de quo monuit Keilius Fragm. Bob. de metris p. VII. Ib. p. 40, 2 *igitur cum metris nihil maius minusve adferat huius modi ratio, nec praefiniti sibi temporis modum adiectio consonantis excedat, musicis potius quam metricis id auscultandum esse dicemus.* Alia eaque rariora vocabula, quibus hic illic artigraphus videtur usus esse, librariorum festinantia obscurata sunt: Mar. Vict. p. 36, 27 *cuius* (scil. *communis syllabae) exemplum apud*

Homerum 'ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα', *apud nostrum* '*insulae Ionio in magno*'. *nam sub tali (subtili ABς, sub illa* Keilius) *coniunctione longae quae sunt huius modi, utriusque vocalis nomen incurrunt, et in collisione spatium temporis ipsa pronuntiandi celeritate consumitur* e. q. s., ubi cum *nomen* ineptum sit, *momen* restituendum esse nemini dubium erit (cf. Lachmannus in Terentian. Maur. 662).

Iam in horum quae congessi vocabulorum numero unum alterumve reperitur quod inferioris latinitatis proprium est. Cuius generis alias non nullas voces subicio, quamvis paucas eligens ex eis quas in schedis meis notatas video. Mar. Vict. p. 39, 32 legitur *sed haec scrupulositas musicis et rhythmicis relinquatur;* ib. p. 78, 5 *uniformitas omnium brevium metrum facere non sufficit;* ib. p. 83, 26 *simili inter se contrarietatis ratione* e. q. s., de quibus vide C. Pauckeri Subindenda lex. lat. ('Mél. Gréco-Rom.' ed. Petropoli III, 3) p. 451 n. 25; Mar. Vict. p. 48, 28 *situ syllabarum et substantia temporum manifesti sunt (*scil. *pedes);* ib. p. 49, 5 *rursus XVI tetrasyllabi (*scil. *pedes) simili ut superiores geminatione triginta duo ex se schemata, id est figurationes, pedum pentasyllaborum reddiderunt;* ib. p. 47, 25 *consimilis ferme his et illa ionicorum ordinatio est;* ib. p. 49, 8 *hi quoque (*scil. *pentasyllabi) . . . hexasyllabos pedes pari ratione in schematibus sexaginta et quattuor simili duplicatione protulerunt.* His aliquot adverbia placet subicere: Mar. Vict. p. 76, 23 *scio quaesitum, cur dactylicum singulis pedibus, anapaesticum per syzygian scandatur, cum inter se omnifariam congruant:* cf. A. Draegeri 'Histor. Syntax' t. I p. 103, H. Koziolus l. s. s. p. 283 n. 3; Mar. Vict. p. 96, 31 *observabis itaque singulorum differentias taliter*: cf. Draegerus l. s. t. I p. 99. Mich. Zinkius 'Der Mytholog Fulgentius: ein Beitrag zur röm. Litteraturgesch. und zur Grammat. des afrik. Lateins' fasc. II p. 41 n. 2; Mar. Vict. p. 56, 4 *quae in comoediis ioculariter dicta corrupta aut semiplena efferuntur* e. q. s., quod adverbium argenteae quae vocatur latinitatis est. Eiusdem generis est *multiformiter*, quo Iuba usus est apud Prisc. p. 421, 1 *idem* (scil. *Iuba) in octavo*: '*qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt* '*hoc genus versuum* e. q. s.: cf. Draegerus l.

s. s. t. I p. 97. Item huc referendum est *non alias quam* pro notissima locutione *non aliter quam* vel *atque* adhibitum: Mar. Vict. p. 47, 16 *haud alias quam spondeus inter disyllabos tetrachronos est;* ib. p. 76, 26 *igitur cum anapaesticus et septem et octo pedum reperiatur, placuisse maioribus eum per syzygias caedi, non alias quam si dactylicus supergrederetur hexametrum, utique per syzygias scanderetur.* Ex prisco sermone vel ex poetarum usu receptum est adverbium *mage*: Mar. Vict. p. 94, 9 *at Iuba noster . . . negat hoc vitium, ut quidam adserunt, rhythmicum fore, sed mage metrica ratione contingere* e. q. s. 'Nec mirabimur', ut Handii verbis utar Tursellin. t. III p. 553, 'novissimo aevo imitationem esse restauratam'. Perquam placet Iubae usus vocis *adaeque* etiam sine negatione adhibitae: Mar. Vict. p. 46, 11 *adaeque in spondeo soluta in breves prior longa anapaestum, sequens dactylum procreabit;* Mar. Vict. p. 48, 13 *supersunt epitriti, qui et hippii, adaeque numero quattuor* e. q. s.: cf. Koziolus l. s. s. p. 296. Nec non haec dicendi ratio notatu digna videatur: Mar. Vict. p. 39, 29 *non parum temporis in mora pronuntiationis occupabunt,* cum *parum* ab antiquioribus scriptoribus rarissime ita usurpari notum sit, ut notioni *multum* opponatur.

Sequitur ut de syntaxi scriptoris non nulla quae memorabiliora videantur addamus. Ac de praepositionum usu, ut in particulis aliquantisper persistamus, haec enotaverim: Mar. Vict. p. 44, 14 *sed pariambus ideo, quod minus habeat unum tempus ab iambo;* ib. p. 39, 30 *erit ergo haec brevis ab ea longior, in qua sola u* e. q. s.: cf. Handium l. s. s. t. I p. 44; Mar. Vict. p. 77, 7 *quae periodus circa sex versatur dipodias:* cf. Kretschmannus l. s. s. p. 115 sq., Handius t. II p. 62. Posterioris aetatis scriptores *inter* praepositionem pro *in* adhibebant (cf. Kretschmannus l. s. s. p. 116, Draegerus t. I p. 565): Mar. Vict. p. 62, 26 *non enim solum in fine ponuntur, sed et in medietate et inter initia coniunguntur;* ib. p. 88, 20 *quae commutatio plerumque inter initia versuum fit nec facile in medietate* e. q. s., quorum utrumque locum iam supra aliam ob causam exhibuimus. Non minus delectatur Iuba *iuxta* praepositione, ubi scriptores antiquiores *secundum* praeferunt (cf. Handium l. s. s. t. III p. 542): Mar. Vict.

p. 49, 32 *iuxta quae intellegi datur varia divisione coniugationum naturam versuum vel a trochaico in iambicum vel ab iambico in trochaicum posse transduci;* ib. p. 88, 9 *nam si sit iuxta legem pedis ex iambo initium metri, fit purum antispasticum metrum* e. q. s. Mentione dignus est usus *sub* praepositionis: Mar. Vict. p. 32, 4 *rursus duae inter se vocales iugatae ac sub unius vocis enuntiatione prolatae syllabam faciunt natura longam* e. q. s.; ib. p. 36, 26 *nam sub tali* (cf. supra p. 111) *coniunctione longae quae sunt huius modi, utriusque vocalis nomen incurrunt,* cuius consimile exemplum iam Keilius in adnotatione attulit: Mar. Vict. p. 38, 19 *sub uno enuntiatu coniunctae communem syllabam . . . efficient.* Posteriorum scriptorum latinitatis etiam his locis admonemur: Mar. Vict. p. 80, 19 *quippe cum tribus temporibus, ut idem iambus, constare videatur (*scil. *trochaeus), posset quidem sub huius modi parilitate misceri;* ib. p. 35, 20 *congruentibus sub utraque lege temporum spatiis atque momentis,* quo loco iam saepius utebamur; ib. p. 38, 14 *quod sub exemplo magis aperiam.* Cf. Draegerum l. s. s. t. I p. 68. Quamquam in his non numquam minus certum videtur, quid Iubae debeatur quidve Aphthonius suo dicendi mori obsecutus inmutaverit. — Tamquam praeteriens hoc quoque monebo, particulas *itaque* vel *ergo* plerumque secundo loco poni ab artigrapho, *igitur* sede prima: cf. Iuba apud Prisc. p. 421, 1 *qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt* e. q. s.; Mar. Vict. p. 39, 30 *erit ergo haec brevis ab ea longior* e. q. s.; Rufin. p. 561, 11 *Iuba in libro quarto sic dicit: iambicorum itaque exempla quae maxime frequentata sunt subdidi* e. q. s.; Mar. Vict. p. 40, 1 *igitur cum metris nihil maius minusve adferat huius modi ratio* e. q. s.; ib. p. 48, 30 *igitur cognatio et quaedam ad incrementum propagatio* e. q. s.

Maxime vero in syntaxi Iubae infinitivi usus, sive ex poetarum vel recentioris aetatis scriptorum consuetudine profectus sive ad Graecorum morem conformatus, dignus erit qui aliquot exemplis inlustretur. Quamquam ea quae nimis vulgaria sunt facile mitto, velut *amare* verbum cum infinitivo iunctum, de quo iam monet Quintilianus I, 3, 17 *graeca vero translata vel Sallustii plurima, quale*

est: vulgus amat fieri. Huius generis protulerunt aliquid B. ten Brinkius l. s. s. p. 18 et Keilius Quaest. gramm. p. 22, de quo iam supra monui, *intellegi datur* pro *intellegitur* dictum: Iuba apud Rufin. p. 562, 17 *unde intellegi datur iambica metra de iambo et spondeo fieri et de eorum solutionibus* (cf. Mar. Vict. p. 80, 5); Mar. Vict. p. 35, 19 *id quod in [trimetris] anapaesticis iambicis et ceteris huius modi versibus datur cognoscere,* quem locum Iubae esse ex eis quae sequuntur manifestum est; ibid. p. 49, 32 *iuxta quae intellegi datur* e. q. s.; ib. p. 97, 13 in capite de rhythmo paeonico: *unde datur intellegi eundem pedem per solutionem cretici et bacchii communem esse utriusque;* ibid. p. 105, 33 *unde intellegi datur per singula metra, quae octo sunt numero, totidem incrementa differentiarum reperiri,* ubi Graecorum doctrina, prototyporum numerus, vocabuli *incrementum* usus Iubam scripsisse haec verba una voce conclamant. Cf. Kretschmannum l. s. s. p. 137. Item graecam originem redolet structura quae legitur Mar. Vict. p. 103, 21 *quae autem ex duobus imperfectis colis [id est membris] conciliantur, vix est eorum separationem divisionemque cognoscere, in his praecipue, quae minimae proceritatis conexa iunguntur* e. q. s., ubi etiam vocis *proceritatis* vicinitate Iuba auctor patefit. Aliarum huius generis licentiarum hisce me contineo exemplis: *observare* cum infinitivo iungitur Mar. Vict. p. 64, 4 *observabis autem in hac specie semper duas breves aut adicere aut detrahere;* ib. p. 90, 9 *ergo observabimus pedem molossum maiori ionico in fine, minori autem inter initia ponere et cavere ne in medietate collocetur,* quem locum ex Arte fluxisse secundum ea quae supra de *inter* praepositione et de *medietas* voce observavimus nemini dubium erit. Nec inepte cum his componetur haec structura: Mar. Vict. p. 89, 14 *vitat autem hoc metrum suis pedibus concludi.*

Notabilis est in hac syntaxis provincia enuntiatorum condicionalium quae dicuntur conformatio. Quem locum ut Keilius non praeteriit (l. s. s. p. 22), ita pro nostro consilio paulo eum explanatius aperire non recusaverim. Ac primum ea forma frequentissima est, ut in membro condicionali scriptor coniunctivo utatur, in apodosi quam dicunt

indicativo temporis futuri. Cuius generis non nulla exempla infra posui: Mar. Vict. p. 49, 30 *nam si ut trochaicum scandas, erunt omnes coniugationes e trochaeo et anapaesto; si contra ut a trisyllabo incipias, erunt omnes coniugationes ex dactylo et iambo et efficietur iambicus versus;* ibid. p. 63, 27 *rursus trochaico si detrahas primam syllabam, iambicum efficies* e. q. s.; ibid. p. 64, 31 *qui herous hexameter merito nuncupabitur, si competenti divisionum ratione dirimatur;* ibid. p. 71, 28 *si misceantur syllabae, erit decentissimus;* ibid. p. 82, 16 *erit et monometron, si ut Graeci per syzygias scandas;* ibid. p. 86, 16 *si hexametrum sit, Philicium . . . nuncupabitur;* ibid. p. 97, 28. 104, 31. 34. 105, 3. 5. 9. 16. al. Hunc vero dicendi usum paulo liberiorem quamvis notum sit ne a veterum quidem consuetudine plane abhorrere, tamen vide ne ipse quoque ad syntaxin Graecorum revocandus sit in eo scriptore, qui Graecorum enchiridia de manibus vix posuerit. Cf. schol. Hephaest. p. 140, 4 ed. Westph.: εἰ δὲ καὶ τὴν τετάρτην ἀφέλοις, ἀναδραμεῖται εἰς τὸ ἀρχαῖον τὸ ἀπὸ μείζονος; ibid. p. 146, 17: καὶ εἰ μακρὰ μὲν εἴη αὕτη, ποιήσει τὸν τέταρτον παίωνα; ibid. p. 155, 13: τῷ ἰαμβικῷ εἰ προσθείης κατ᾽ ἀρχὴν μακρὰν συλλαβήν, τροχαϊκὸν ποιήσεις; ibid. p. 173, 14, al. Eius modi vero graeci sermonis exempla nobis comparantibus adeo haud scio an non mirandum sit, quod etiam praesentis temporis indicativo utitur artigraphus, cum in membro condicionali coniunctivus vel praecedat vel etiam insequatur. Cf. Mar. Vict. p. 43, 5 *unde si apte congruant spatia, rhythmum faciunt;* ibid. p. 49, 24 *aliud est enim, si duabus praecedentibus sociata faciat coniunctionem ex trisyllabo et disyllabo;* ibid. p. 88, 9 *nam si sit iuxta legem pedis ex iambo initium metri, fit purum antispasticum;* ibid. 13 *si autem spondeus pro iambo ponatur, fit coniugatio pro antispasto epitriti quarti;* ibid. p. 45, 20. 94, 21. 22. 105, 11. 14, fragm. Bob. IX, 16 ed. Keil. Nempe etiam huic generi aliquid luminis adfundetur Graecorum comparatione: cf. schol. Hephaest. p. 102, 11: εἰ ποιήσαιμι πολλάκι δ᾽ ἰφθίμους, σώζεται τὸ μέτρον e. q. s.; ibid. p. 146, 21: εἰ μὲν μακρὰ εἴη ἡ λήγουσα, γίνεται μολοττός, alia id genus. Ceterum observari potest futurum tempus in apo-

dosi multo frequentius quam praesens reperiri. Hinc patet Keilium recte nunc rescripsisse futurum tempus in Rufini loco, ubi libri fluctuant p. 562, 14: *nam si sequentem longam syllabam in duas breves dividas (diuidas AB, diuides R, soluas ς), fiet de iambo tribrachys;* ibid. 16: *nam si prior syllaba spondei solvatur in duas breves, fiet (fiet ς, fiat AB, fit R) anapaestus; si vero secunda, dactylus fiet (dactilus fiat ABR, fiet dactylus ς).*

Alia quaedam dicendi licentia, quam his quae monui subiungam, ad coniunctivum pertinet in causalibus quae dicunt enuntiatis adhibitum. Saepissime enim, ubi modus indicativus exspectatur, coniunctivum praefert scriptor idque post *quod* praecipue, *si quidem,* alias coniunctiones causales. Observavit hoc genus Hermannus Wentzelius in scriptione gratulatoria gymnasii Oppoliensis a. 1864 edita p. 11, quamquam grammatici Bobiensis fragmenta nimis credule ut videtur pro ipsis artigraphi verbis nobis vendidit. A quo liberiore dicendi usu distinguenda esse enuntiata, quae ex aliorum opinione adferuntur obliqua quae dicitur oratione, ne verbulo quidem monerem, nisi hac ipsa re tritissima usum illum, de quo hic agitur, inlustrari quodam modo putarem. Nescio enim an hac ratione habita minus mirandum sit quod talis scriptor, qui in aliorum copiis describendis paene totus versatus sit, cum causas adfert, coniunctivum modum adeo in deliciis habet. Haec autem sunt aliquot exempla: Mar. Vict. p. 39, 9 *nam musici (volunt) non omnes inter se longas aut breves pari mensura consistere, s i q u i d e m et brevi breviorem et longa longiorem d i c a n t posse syllabam fieri* e. q. s.; ibid. p. 41, 29 *differt autem rhythmus a metro, q u o d metrum in verbis, rhythmus in modulatione ac motu corporis sit; et q u o d metrum pedum s i t quaedam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo quidam; et q u o d metrum certo numero syllabarum vel pedum finitum s i t, rhythmus autem numquam numero c i r c u m s c r i b a t u r;* ib. p. 44, 14 *sed pariambus ideo* (scil. *appellatur*), *q u o d minus h a b e a t unum tempus ab iambo;* ibid. p. 45, 25 *qui* (scil. *bacchius*) *a Bacchi carminibus seu cantilenis . . . nomen accepit, vel q u i a familiariter hic rhythmus bacchantibus aptus s i t;* ib. p. 62, 25 *ionica autem utraque*

trochaicis (scil. *depositionibus gaudent*), *si quidem sint his finitima et familiaria metra singula singulis* e. q. s.; ibid. p. 73, 34 *et appellatur quadrupes* δυωδεκάσημος περίοδος, *eo quod quattuor pedes temporum duodecim quasi per circuitum quendam recurrentes contineat.* Cf. ibid. p. 63, 16. 75, 3. 25. 93, 20. Sed talia exscribentem dies et charta deficiat: plura huius usus exempla qui volet, nulla molestia in reliquiis inveniet. Hoc solum memoro, quamquam per se ipsum patet, eius modi structuras, quae a prioris aevi sinceriore latinitate alienae sunt, pro re nata non vitatas esse ab excerptoribus, immo etiam largius admissas esse. Quem ad modum igitur fieri sane poterit, ut unum alterumve eorum exemplorum, quae tamquam ex Arte protulimus, ab Aphthonio vel Victorino demum profectum sit (quis enim talia ubique praestet?), ita ne de re ipsa dubitemus, cum multitudine locorum prohibemur tum eo praecipue, quod structura quaeque cum aliis quibus Iuba non se abstinuit licentiis apprime convenit.

Iam in eo est ut, quod promisimus, de totius orationis conformatione et colore pauca dicamus. Ac si quis vel ad unum alterumve eorum locorum quos supra attuli diligentius animum adverterit, elegantiae quoddam studium in Iuba non poterit non agnoscere, sed tale quod modestioribus finibus sit circumscriptum. Medio quodam utitur dicendi genere artigraphus, fere ut pariter remotus sit a popularium suorum turgida et luxurianti oratione atque a ieiunitate aliorum velut Varronis, quem scimus omnem orationis ornatum consulto vitasse. Inserit igitur haud raro praeceptis suis comparationes ex vita humana vel natura desumptas, quibus rem de qua agitur luculentius nobis ante oculos ponat vel etiam alacriorem orationem reddat, haud dissimilis in hac quidem re inter Graecos Herodiani (cf. A. Lentzius praef. ad Herod. p. CXXVI). Lepidus est locus de virtute asini cum mulo coniuncti Mar. Vict. p. 38, 14 sqq., de quo supra dixi p. 51 sq. Conferatur etiam Mar. Vict. p. 39, 32: *nam quod ad nos attinet, notemus plerasque syllabas ratione pares esse, spatio autem seu sono impares, ut dicimus omnes Germanos longos esse, quamvis non sint omnes eiusdem staturae.* Anaclasin quae dicitur sic per-

adposite inlustrat Mar. Vict. p. 93, 24: *anaclomena appellant, quod retrorsum inclinentur, ut (* leg. *ut et) in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pandantur.* Sed missis singulis et quae minoris momenti videri possunt, duas iam orationis proprietates commemoro, ubertatem dictionis et varietatem. Et quod ad illam attinet, aliquid veri inesse puto B. ten Brinkii iudicio, qui 'genus dicendi ad Ciceronis ubertatem et numerum non nihil conformatum' esse dixit l. s. s. p. 7, modo addatur non numquam scriptorem ad immodicam fere verborum copiam delapsum esse. Quamquam non neglegendum est, quam abhorreat rursus a Pompeii ineptiis vel a talibus Africanae latinitatis ambagibus, qualium specimen dedit Keilius de grammat. quibusd. latinis infim. aetat. comment. p. 4 n. Accedit quod hic illic ignoramus, quid ab ipso artigrapho profectum sit quidve Aphthonius vel Victorinus molestioribus suis ambagibus amplificaverint. Sed fusius quoddam et verbosius dicendi genus ipsi quoque grammatico placuisse concedendum erit. Pauca adferam quae pro certis exemplis habita velim. Initium autem fiat a locis non nullis, ubi in Caesio exscribendo ita Iuba versatus est, ut diversitas stili ilico in oculos incurrat:

Caes. Bass. p. 271, 2:

. . . *tantum me tamen hoc libro consecutum (*scil. *possum admonere), quem et paucis composui diebus et memoria tantum modo adiuvante, ut quodcumque metrum novum aliquis se invenisse iudicavit, ad haec quae enumeravi utique referatur* e. q. s.

Mar. Vict. p. 173, 22:

. . . *illud tamen non adroganter ausim dicere, id nos [his voluminibus quattuor] consecutos, ut, si novum atque incognitum auribus metrum commentum se quispiam duxerit, infitias ire non possit ad haec velut omnium generum semina, quae investigata a nobis et huic commentario tradita reperiuntur, necessario referri* e. q. s.

Caes. Bass. p. 271, 23:

habet autem metrorum contemplatio, si exercitatio accessit, in cognoscendo voluptatem, cum et quaecumque dicuntur metra ce-

Mar. Vict. p. 100, 18:

habet enim metrorum inter se ratio summam in cognoscendo voluptatem, qua et veterum sub quacumque lege tradita celeriter

leriter intellegamus unde sint et qua ratione composita, multa ipsi nova excogitare possimus.	*comprehendere et multa ipsi aemulante studio nova concipere animo atque informare possimus.*

Cf. Keilius in Mall. Theodor. p. 583. Adparet opinor hac comparatione non solum (quod diu intelleximus) Iubam Caesii vestigia pressisse sed orationem eius nimia interdum verborum copia amplificasse, paene dixerim interpolasse. Idem hoc intemperans exaggerationis studium aliis non nullis exemplis synonymorum quae dicuntur coacervatorum inlustrabo: Mar. Vict. p. 38, 19 *ut iugatae instabiles semper et lubricae sint, quia non pari aut aequali virtute nituntur* (conl. p. 42, 10); ib. p. 39, 21 *fit ut etiam accedentibus duabus consonantibus longior prolixiorque videatur;* ibid. 31 *auctiorem enim uberioremque auribus sonum reddit;* ibid. p. 44, 5 *ut nos pedibus nostris ingredimur atque progredimur* (fort. *procedimus*), *ita et versus per hos pedes metricos procedit et scandit;* ibid. p. 44, 19 *auctor et parens reliquorum;* ibid. p. 48, 29 *ad proprium statum condicionemque;* ib. p. 94, 13 *diversitatem varietatemque fecerunt;* ib. p. 97, 15 *cui par similisque etiam is rhythmus;* ibid. p. 98, 27 *satius tamen est adnecti eum copularique comico anapaestico;* ibid. p. 103, 21 *vix est eorum separationem divisionemque cognoscere.* Sed haec sufficiant. Consociatur vero cum hac synonymorum accumulatione interdum consonantium quae dicitur adliteratio: Mar. Vict. p. 45, 16 *qui* (scil. *dactylus*) *[et] a situ et similitudine digitorum . . . vocabulum traxit;* ibid. p. 45, 23 *qui* (scil. *bacchius*) *a Bacchi carminibus seu cantilenis . . . nomen accepit;* ibid. p. 62, 25 *siquidem sint his finitima et familiaria metra singula singulis.*

Varietatis studium, quo Iubae orationem insignem esse supra dixi, in tali potissimum materia laudabile est, qua scriptor cogitur easdem res vel notiones saepissime repetere. Quod cum in re metrica maxime usu veniat, id operam dedit Iuba ut, ubi rerum varietas nulla erat, certe verba et orationem variaret rerumque convenientiam sermonis coloribus multifariam distingueret. Quo factum est, ut legentes eiusdem rei saepius repetitae taedium minus capiat. Quamquam non

diffitendum videtur ita interdum hoc studio modum migrasse Iubam, ut a sana orationis simplicitate recederet. Et libet etiam huius proprietatis aliquot luculentiora exempla promere. Cf. Mar. Vict. p. 62, 5 *propric autem iambica metra gaudent acatalectis et catalecticis et hypercatalectis conclusionibus, adversantur autem brachycatalectis. trochaica vero hypercatalectis reiectis residuas conclusiones admittunt. choriambica autem et antispastica isdem conclusionibus, quibus etiam iambica, laetantur. ionica autem trochaicis depositionibus sociantur, et ideo hypercatalecta illis exosa sunt. dactylica vero et anapaestica magis acatalectis delectantur.* Mar. Vict. p. 64, 19 *huic si copulaveris longam, erit choriambicum . . . item longa alia apposita facit ionicum maiorem . . . brevis autem praelata antispastum informabit sic* e. q. s.; ibid. p. 94, 20 *nam si puro choriambico primam decutias syllabam, fit omne quod residuum est ionicum a minori. et rursum si ionicum a minori syllaba una mutiletur, quod remanet antispasticum deprehendas. item ablata antispastico prima syllaba ionicum a maiori perficiet.**) Eandem varietatis gratiam studiose quaesitam prae se fert locus apud Mar. Vict. p. 105, 8, quem Iubae esse supra (p. 59) intelleximus: *nam si ex duobus iambicis, quae penthemimere vocantur, versus unus formetur . . . item si ex duobus iambicis dimetris catalecticis fiat permixtio . . .* 14 *similiter duo dactylica si coniungas penthemimere . . .* 16 *vel si anapaestica hephthemimere copulentur* e. q. s. Sed haec iam satis esse arbitror ad stili varietatem quam diximus inlustrandam. Addiderim solum, quod inde sua sponte consequitur, tales locos qui nimis displiceant eorundem verborum iteratorum molestia, vix errore nos implicari si a

---

*) Ut etiam dilucidius patescat hoc variandi studium, cum his quaeso contendantur scholiastae graeci verba in Hephaest. p. 139, 21 sqq. ed. Westph.: τίθημι μέτρον ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονος ‘βλαστεῖ δ’ ἐπὶ γῆς δένδρεα παντοῖα φύοντα.’ τοῦτο ἀπὸ μείζονος ἰωνικὸν τετράμετρον βραχυκατάληκτον· ἀφαιρῶ αὐτοῦ τὴν πρώτην συλλαβήν, τὸ καταλειπόμενον γίνεται χοριαμβικὸν ‘στεῖ δ’ ἐπὶ γῆς.’ ἀφαιρῶ καὶ τὴν δευτέραν, τὸ καταλειπόμενον γίνεται ἰωνικὸν ἀπ’ ἐλάσσονος ‘ἐπὶ γῆς δέν.’ ἀφαιρῶ καὶ τὴν τρίτην, τὸ καταλειπόμενόν ἐστιν ἀντισπαστικὸν ‘πὶ γῆς δένδρε.’ εἰ δὲ καὶ τὴν τετάρτην ἀφέλοις, ἀναδραμεῖται εἰς τὸ ἀρχαῖον τὸ ἀπὸ μείζονος ‘γῆς δένδρεα.’

Iuba alienos iudicarimus vel certe adeo ab excerptoribus inmutatos esse, ut reliquiarum numero inseri nequeant. Sic ambigas fortasse, utrum Victorini caput 'de tome sive incisione versuum' p. 64, 30 sqq. ex ipsius Terentiani versibus (1669—1704), quibus maxima pars eius respondet, conflatum sit an Aphthonius haec (sicut videri potest) Iuba intercedente ex Caesio derivaverit. Sed quocumque modo quod ad artigraphum attinet, iudicabimus, res eo conficitur, quod *complere* verbum fastidium movet legenti: cf. p. 65, 7 *pentametrum complet*, 10 *completque sensum*, 14 *sensum complet*, 21 *dactylum complet*, 27 *dactylum ... implet*, 35 *sensus impletur*.

Verum redeat tandem, unde paulo longius oratio deflexit. Nam pauca haec, quae de Iubae genere dicendi primis quasi lineamentis adumbravi, fieri non poterit quin etiam ad solvendam eam quaestionem valeant quam postremo loco tetigi: cuius sit scilicet momenti Diomedis liber tertius ad Iubae memoriam instaurandam. Quamquam non iam hic agi de toto libro tertio supra patefactum est: restabant paginae 494, 4—503, 22 et 506, 15—529, 28, de quibus scrulus poterat residere. Nunc vero firmiore fundamento iacto non modo de his ipsis locis certius nobis existimare licebit, sed etiam iudicium, quod supra de reliquis libri partibus verum videbatur, novis indiciis stabilire. Quod antequam fiat, memineris necesse erit eis grammaticis Diomedem adnumerandum esse, qui quidquid bonae frugis praebent ad verbum fere ex antiquioribus exscripserunt, quamvis nemo neget Charisium et Diomedem, qui eisdem grammaticis utebantur, et in breviorem formam redegisse ea quae accuratiora apud priores reperiebant et suo quemque ordine interdum neglegentius digessisse (cf. Keilius praef. ad Grammat. lat. t. I p. XLIX sqq.). Fac autem Iubam, sicuti fieri poterat, inter auctores Diomedis fuisse, hoc certe nobis sumendum erit, grammatici quem sequebatur orationem vel dicendi genus hic illic compilatorem retinuisse. Sed apud Diomedem huius generis ne levia quidem offeruntur vestigia. Poterit hic quispiam, ne quid silentio praeteriisse videar, *medietas* vocem artigrapho nostro non inusitatam premere, utpote qua semel usus sit Diomedes p. 502, 2; neque illo usu, quem

Iubae in deliciis fuisse supra monui, Diomedes abstinuit, hunc dico: p. 508, 25 *nam si haec verba . . . suppleas, facies integrum trochaicum sic;* p. 509, 16 *quam* (scil. *partem) si suppleamus, integrum iambicum faciemus sic*: quae quidem exempla facile augeri possent, nisi id absurdum esset. Neque enim ex talibus quidquam efficitur, quae omnium saeculi tertii vel quarti scriptorum communia esse in confesso est. Accedunt vero alia quibus originis diversitas eorum, quae iam supra a Iuba aliena esse intelleximus, luculentius nunc confirmetur. Huc refero, ut in paucis me contineam, quod in prototyporum brevi expositione talia leguntur: longiari vel ampliari metrum in tetrametrum: p. 505, 15 *longiatur autem a dimetro usque pentametrum;* ib. 22 *a dimetro autem in tetrametrum longiatur;* p. 506, 7 *a dimetro in trimetrum ampliatur*, quorum loco Iubae verbum procedit vel extenditur in usu erat. Item abhorret ut videtur a Iubae latinitate magnitudo vox pro graeca μέγεθος insolentius adhibita p. 505, 15 *et prima quidem regio primae gressionis antispasticae magnitudinis omni genere a poetis movetur*, cum quibus conferenda sunt artigraphi verba apud Mar. Vict. p. 88, 6 *indifferenter enim auctores lyrici metro antispastico initia praestituerunt.* Dicebat Iuba, ut supra memoratum est, solutiones pedum admitti vel longam solvi in duas breves: locutio Diomedi usitata est resolvere et resolutio, quibus ter utitur p. 475, 6; 494, 16; 505, 24, semel dixit p. 495, 5 *deinde soluta spondii altera syllaba sine damno temporis dactylum quoque suscepit*, nisi hoc quoque loco *deinde resoluta* e. q. s. rescribendum erit. Denique ut hoc diserte adfirmem, eorum vocabulorum, quae supra Iubae propria esse intellectum est (velut contrahere, extendere, temporum spatia atque momenta, mora temporis, incrementum, proceritas, momen, virtus, alia), in Diomedis libris legitur nullum. Quid igitur plura? Iubae commentarios Diomedes ante oculos non habuit. Quod non verendum est ne quis ita intellegat, quasi ab ipso Diomede Varronem et Caesium, ad quos saepissime provocat, inspectos esse putem. Sed qui fuerint illi qui intercesserint, id et difficillimum erit (quae hodie est fontium penuria) exquirere et a nostro consilio alienius.

Quotiens igitur cumque rerum illa similitudine, quae inter Iubam et Varronis Caesiique locos apud Diomedem obvios saepius intercedit, artigraphi nostri admonebamur, ibi Diomedis verba in adnotamenta potius, cum ex re videbatur, quasi commentarii instar recepi.

CAPVT VI.

Cum de compilatoribus Iubae paulo accuratius quam in superioribus fieri poterat disputaturus sim, iuvat a Westphalii verbis exordium sumere, quibus artigraphi reliquias auguratus est magnam partem posse recuperari t. I p. 126 ed. sec.: 'Von den lateinischen Metrikern dieser Periode war ohne Zweifel Iuba der ausführlichste, denn von seiner nicht mehr erhaltenen Metrik wird das achte Buch citirt. Für die folgenden Metriker scheint sie die hauptsächlichste Fundgrube gewesen zu sein: es lässt sich aus ihnen ein grosser Theil der Ueberlieferung Iuba's wiederherstellen.' Et eisdem paene verbis Keilius haec nuperrime scripsit fragm. Bob. p. VIII: 'constat autem eius de arte metrica libros, in quibus ille copiosius, quam a quoquam ex latinis grammaticis factum erat, doctrinam metrorum exposuerat, apud eos, qui post tertium saeculum latine de metris scripserunt, summa auctoritate fuisse et plurimos artis scriptores qui post eum fuerunt eius copiis usos esse.' Cf. Gramm. lat. t. VI p. 607.

Inter omnes autem, quorum scriptis Iubae doctrina servata est, primarium locum tenere Aelium Festum Aphthonium, sive multitudinem spectas eorum quae ex artigrapho descripsit sive rationem excerpendi, superioribus et plane opinor et plene intellectum est. Ab hoc igitur auspicabimur, reliquos ita adiecturi ut temporum ratione minus habita primum in eos grammaticos inquiramus, apud quos Iubae nominatim mentio iniecta est, dein brevem de ceteris disputationem addamus. Est autem Henrici Keilii laus, quod rationem, quae inter Aphthonium et Marium Victorinum intercedit, primus

recte perspexit. Nam postquam Bergkius Philol. t. XVI p. 639 sq. artem grammaticam Marii Victorini nomine inscriptam Aelio Festo Aphthonio tribuendam esse iecit magis quam certa ratiocinatione comprobavit, Keilius nuper ita ut absit dubitatio rem absolvit in egregia de Marii Victorini arte grammatica dissertatione (prooem. univ. Hal. aest. a. 1871) p. III sqq. Neque enim solum intellexit Keilius, quam vim habeat subscriptio quae quarto libro artis grammaticae Marii Victorini in libris manu scriptis subiecta est*), sed etiam quae Aphthonii sunt ab eis quae Victorinus praemisit recto iudicio discrevit. Initium autem eorum quae ad Aphthonium pertinent constituit p. 31, 17 (p. 37 G.), ubi verbis *quibus primae potestatis quinque vocales existunt* e. q. s. ei qui antecedit novus de litteris et syllabis commentarius subicitur manifesta ab initio lacuna mutilatus. Quae nova commentaria cum non modo disputandi ratione, sed etiam fontibus qui adhibiti sunt a superioribus diversa sint, quin recte ad Aphthonium relata sint nemo dubitabit. Neque casu duas has Victorini et Aphthonii opellas olim coniunctas esse suspicabere eis quae Keilius disputavit perlectis, nihil ut relinquatur nisi 'ut ipse Victorinus Aphthonii libros in suum usum converterit et iis quae alios auctores secutus composuerat subiunxerit' (l. s. p. XI). Ad hos igitur libros Aphthonianos, utpote qui soli ad metricam pertineant, nobis accuratius animadvertendum est.

Aetatem Aelii Festi Aphthonii, 'viri perfectissimi', si extremum saeculum tertium vel initium insequentis dicam, a vero non aberrabo. Cf. Bergkius Philol. t. XVI p. 646. Neque enim Iubam solum adhibuit, sed etiam Terentianum, quem sub finem saeculi tertii vixisse Lachmannus demonstravit. Ipsum autem Aphthonium exscripsit Marius Victorinus circa annum tricesimum quinquagesimum.

Technicorum nomina in Aphthonii libris memorantur (praeter Aristoxenum Philoxenum Heliodorum) quattuor: Varro, Iuba, Terentianus, Thacomestus. Et de Thacomesto

---

*) AELII FESTI APTHONII V. P. DE METRIS EXPLICIT LIB. IIII. FELICITER UTERE STEPHANE SCRIPTOR ET LECTOR.

haec legimus apud Mar. Vict. p. 140, 1: *quidam volunt hunc* (sc. *versum Saturnium) feriri sexies et recipere pedes septem, hoc est spondeum, iambum, pyrrichium, pariambum, dactylum, trochaeum, anapaestum, e quis est Thacomestus, et nasci a trimetro scazonte.* Praeter hunc locum nihil nos scire de homine fatendum est. Quare suspitio suboritur, num nomen recte sit traditum. Quamquam de Theoctisto, Prisciani praeceptore (cf. Priscian. Inst. l. VI 51. l. XVIII 56) frustra cogitavit Bergkius Philol. t. XVI p. 647 n. 34. Neque enim video quo pacto vel Marius Victorinus (ut de Aphthonio taceam), si modo recte ille saeculo quarto medio adscribitur, Prisciani 'sapientissimum dominum et doctorem' potuerit adhibere. Cf. Osannum 'Beitr. zur griech. und röm. Litteraturgesch.' t. II p. 161. 342. Atque ut ipse Bergkius rem dubitanter proposuerat, ita incerta videbatur talis coniectura H. Duentzero Philol. t. XXVIII p. 233. — M. Terentii Varronis semel mentio fit in Marii libris p. 55, 11: *versus est, ut Varroni placet, verborum iunctura* e. q. s. Ipsum autem M. Terentium Aphthonio ante oculos fuisse confidenter nego, idque eo magis, quod ne Iubam quidem ipsius Varronis libros inspexisse ut concederemus supra a nobis impetravimus. Reliqui sunt Maurus et Iuba, quorum ille nomine adposito excitatur Mar. Vict. p. 83, 27: *quamquam Terentianus, non paenitendus inter ceteros artis metricae auctor, sedulo refragetur.* Et vidimus in superioribus, quam diligens fuerit Aphthonius in exscribendis eius versiculis. Locos denique ubi Iubae nominatim memoria exstat apud Marium (p. 88, 4. 94, 6) iterum hic expromere longum est.

Sed operam dabat Aphthonius, ut ne Iubae et Terentiani lectione sese continuisse videretur. Nam ut Varronis et Thacomesti a se lectorum speciem eum adfectare videmus, ita haud raro tacitis auctorum nominibus ad *quorundam* opinionem provocat. Quae significatio liceto bscurior sit quam quae certam ubique explicationem habeat, tamen non nulla sunt quae haud sine probabilitate quadam statui posse videantur. Atque ut a planis et perspectis initium fiat, primum Terentianum adparet non numquam generaliore hac significatione ab Aphthonio significatum esse. Sufficiet non nullos huius modi

locos indicasse Mauri versiculis una adscriptis: Mar. Vict. p. 33, 29 (Terentian. Maur. 204), p. 109, 29 (Terentian. 1753), p. 110, 2 (Terentian. 1757), p. 110, 12 (Terentian. 1777), p. 148, 19 (Terentian. 2558), p. 150, 14 (Terentian. 2640), p. 154, 1 (Terentian. 2866). Dein accedunt complures loci, ubi tam plana Heliodori vel doctrinae graecae vestigia deprehenduntur, ut *quidam* illi Iubam satis aperte indicent. Quamquam e re nata non numquam dubitare poteris, utrum Iuba iam Heliodorum tali modo significaverit an Iubam Aphthonius. Quorum paucos compono: Mar. Vict. p. 67, 30 *cui* (scil. *versui* Il. Μ 208) *quidam ita medentur, ut dicant Homerum, artis poeticae patrem, geminata littera* ὄφφιν *dixisse, sicut et* ὄϲϲοι ὔμμιν ὄττι. Cf. quae supra dixi p. 54. Nec abnuam, si quis eiusd. pag. l. 4 Iubam significatum putet: *sed ut ad propositum revertamur, quidam superioribus tribus quartam speciem addiderunt, quam Graeci dicunt* κρᾶϲιν e. q. s. Ex Iuba fluxerit adnotamentum Mar. Vict. p. 75, 1: *unde* (scil. *anapaestus) a quibusdam antidactylus dicitur:* cf. ibid. p. 45, 22 et quae in superioribus monui p. 20 et 57. Heliodori fortasse sectatorem iam supra nobis prodere videbantur verba quae leguntur Mar. Vict. p. 76, 28: *duae periodi seu systemata, ut quidam vocant.* Iubae tribuimus supra quae leguntur Mar. Vict. p. 90, 18: *ionicum metrum quidam a genere hominum vocabulum accepisse existimarunt* e. q. s. conl. fragm. Ambros. p. 262, 3 ed. Nauck. Ex artigrapho manasse existimanda sunt quae de pentametri inventore addidit Aphthonius eis quae ex Terentiano excerpserat: p. 107, 10 *alii vero Archilochum eius auctorem tradiderunt, quidam Colophonium quendam, super quorum opinione apud grammaticos magna dissensio est.* Ex eodem fonte Terentiani memoria suppleta videtur p. 110, 19: *alii vero* παρὰ τὸ εὖ λέγειν *elegos dictos arbitrantur.* Cuius haud absimile adnotamentum, quod apud Terentianum frustra quaeres, ad eundem Iubam refero p. 117, 19: *quod quidam hexametrum heroum* περιττοϲυλλαβέϲ *dixerunt.* Nec improbabiliter addiderim hac occasione quod legitur p. 142, 23: *idemhocex tribus penthemimericis fit et appellatur ab aliis tripenthemimeres, ab aliis trisyntheton.* De Marii Victorini p. 145, 24 sqq., ubi generaraliter 'auctorum' mentio fit, iam supra monui. Facile discerni

possunt duo inter se diversa systemata Mar. Vict. p. 167, 24: *hoc metrum* (scil. Hor. carm. I 11) *quidam inter prototypa, id est primiformia, volunt accipi et appellant antispasticon hecccdecasyllabon sapphicon, quidam a choriambico derivatum adserunt.* Cf. ib. p. 172, 7: ἑκκαιδεκασύλλαβα *sapphica, quae quidam antispastica dixerunt* e. q. s. Et altera ratio Heliodorea est, altera Caesii vel Terentiani. Difficilius erit iudicium de Marii p. 161, 28: *quod metrum* (scil. '*terruit urbem*') *vocatur dimocron epicon, ideo quod duos pedes heroos accipiat, dactylum et spondeum. quidam pentasyllabon epodon dixerunt a numero syllabarum: alii trimoeron epicon: est enim pars tertia epici versus* e. q. s., nisi quod *dimoeron epicon* Aphthonio videtur deberi. Idem coniecit Keilius, cuius adnotatione ad p. 116, 2 res optime inlustratur.

Sed alia huius modi exempla enumerare ut inutile, ita longum duco. Neque enim quisquam talia sufficere existimabit ad Artis fragmenta paulo tutius discernenda. Et inutiles esse has rationes et fallaces inde optime perspicitur, quod generalius hoc dicendi genus iam apud Iubam non numquam adhibitum videri iure obtineas. Quo in numero fortasse referendum est locus qui legitur Mar. Vict. p. 51, 29 sqq.: *quidam autem non pedem metrum esse volunt, sed syllabam ... alii rursum nec pedem nec syllabam metrum putant esse dicendum, sed tempus* e. q. s. Cf. Westphalium 'Die Fragm. u. d. Lehrs. der gr. Rh.' p. 91 sq. et quae supra monui p. 54. Ex libro Caesiano (cf. Caes. Bass. p. 259, 2) receperat Iuba hanc generaliorem significationem apud Mar. Vict. p. 149, 32: *quod est metrum, ut grammatici vocant, choriambicum, ut musici, bacchiacum* e. q. s. Nec dubitaverim quin ea, quae de strophe et antistrophe referuntur Mar. Vict. p. 60, 1, satis fideliter ex Iuba transscripta sint: *hoc genus in sacris cantilenis ferunt quidam instituisse Theseum ... alii tradunt hoc sacrorum cantu concentum mundi cursumque ab hominibus imitari.* Quamquam nemo praestiterit priorum nomina, quae fortasse etiam hoc loco apud Caesium commemorata erant, artigraphum prorsus tacuisse. Cuius similis dubitatio nascitur haec mihi legenti Mar. Vict. p. 69, 11: *auspicandum igitur ab eo nobis pede potissimum credidi, qui*

heroum, principium omnium, continens etiam nominis sui appellatione signavit, si quidem non nulli ambigant, a quo e duobus metrorum ordinem inchoantes exordium capiant. Quam vero lubricum sit et periculosum talia paulo confidentius velle discernere, vix ullum aptiorem ad demonstrandum locum reppereris quam Mar. Vict. p. 96, 10, ubi *quidam* illud ter uno quamvis fusiore enuntiato repetitur: *paeonicum metrum sive creticum, ut quidam ferunt adserentes paeonas originem ex cretico seu amphimacro traxisse longis eius prima et suprema in breves solutis, quibus paeon primus et quartus creari noscuntur, quod etiam ex bacchio et palimbacchio adaeque fit, unde et bacchiacum a quibusdam hoc metrum dicitur, quidam ultimo loco posuerunt proceleumatico repudiato.* Nec quisquam in se suscipiat tenebras removere de talibus locis qualis est Mar. Vict. p. 50, 24: *hoc quidam a Lino Apollinis antistite, alii ab Orpheo, non nulli ab Homero inventum putant.* Item incertum maneat iudicium de Mar. Vict. p. 45, 9. 47, 2. 5. 54, 6. 55, 21. 70, 3. 71, 15. 18. 80, 17. 87, 27. 113, 6. 140, 1 sqq. 161, 2. 5, aliis.

His exemplis prolatis facile agnosces morem illum posterioris aevi compilatorum vulgatissimum, quo ne omnia ex uno vel duobus auctoribus compilasse videantur ita se gerunt, quasi etiam alios sua lectione cognitos habeant. Neque infirmari poterit hoc iudicium eo, quod in tanta locorum qui huc spectant multitudine non nulli reperiuntur, qui Iubae vestigia minus aperte in fronte gerant (velut e. gr. Mar. Vict. p. 118, 21. 119, 9. 128, 13. 131, 20. 148, 8). Sed adfirmare licet ne his quidem inesse, quod ex Iubae copiis excerptor haurire non potuerit. Ut igitur per se ipsum probabile erat Aristoxenum, Philoxenum, Heliodorum, Varronem, Thacomestum (si nomen recte traditum est) Iubae auctoritate ab Aphthonio laudatos esse, ita nunc ne de eis quidem locis ambigemus quid nobis statuendum sit, ubi 'quorundam' opinionem refert grammaticus vel 'non nullorum' vel ubi generaliter ad 'grammaticos' provocat. In qua re etiam illud aliquid ponderis habuerit quod, qua est iactantia homo et doctrinae ostentatione, si plures quam quos diximus auctores vel semel inspexisset, nomina eorum quin intersereret vix se

continuisset. Nunc autem eius modi cantilena eisdem fere verbis iterata recurrit: Mar. Vict. p. 71, 14: *super quo etiam nunc inter grammaticos lis pendet;* p. 107, 11: *super quorum opinione apud grammaticos magna dissensio est;* p. 140, 5: *unde apud omnes grammaticos super hoc adhuc non parva lis est.* Et quod de vanitate hominis dixi doctrinaeque iactatione, id ipsius verbis liceat breviter confirmare: Mar. Vict. p. 34, 25: *sed ut ad propositum nobis redeam, discussa litterarum tam enuntiatione quam potestate, quod cumulo plenissimae eruditionis aptum ac necessarium praeterire absurdum foret, consequens erit* e. q. s.; p. 46, 6: *Inter haec ne quispiam nos aut ignoratione aut incuria praeterisse forsitan putet* e. q. s. (cf. Mar. Plot. p. 508, 25: *ne quis nos imperitiae arguat;* ibid. p. 543, 18: ... *non imperitia iudicet ignoratum*); p. 68, 16: *nobis autem, quibus in isto artis metricae commentario omnia insinuandi curae ac moris est, ne aut per imperitiam id praeterisse ab obtrectatoribus diceremur, utrumque super huius modi condicione versuum aperire atque expromere in maximo opere et studio fuit;* p. 113, 12: *ut omnifariam artis metricae disciplinis et gratia hoc opusculum instruamus.* Sed tales ambages exscribentem dies deficiat.

Quattuor igitur si quid video partes in Victorini opere, quoad eius fieri poterit, inter se discernendae sunt: nam eis, quae ex Iubae Arte et Mauri versiculis excerpsit Aphthonius, admixta sunt ea quae ipse vel addidit de suo vel mutavit breviando, interpolando, imitando. Denique accedunt quae debentur Victorino. Quocirca iam eo res redit, ut primum excerpendi rationem, quam Aphthonius in compilandis libris suis observavit, in clariore luce quam supra fieri poterat ponamus, deinde pauca addamus de Mario Victorino.

Atque Aphthonius cum magnum Iubae opus Mauro simul adscito in quattuor librorum angustias coacturus esset, fieri non poterat quin paucis in excerptis sese contineret et exemplorum praesertim multitudinem resecaret. Ac comparantibus vel unum Artis fragmentum a Rufino exscriptum cum Victorini farragine suboleat nobis necesse est parcum se praestitisse Aphthonium in Iubae copiis excerpendis. Quam

rem breviarii auctor ipse disertis verbis plus semel indicat: cf. p. 74, 5: *nec tamen omnia, quorum infinitus atque immensus est numerus, ausim promittere, sed quae potior auctoritas adprobat vel frequens usus celebrando commendat;* p. 95, 9: *cuius pauca exempla subiciam;* 132, 4: *prout potero, e pluribus pauca comprehendam.* Ut notiora quaedam Terentiani more (cf. M. Hauptius Observ. crit. p. 43) eum in suum usum elegisse manifestum sit. Cum hac ratione convenit quod saepius non tam interno quodam conexu quam arbitrio excerpentis res inter se coniunguntur. Nec inepte rudis haec rerum compositio inlustrabitur crebro huius modi transitionum usu: p. 73, 23: *hoc quoque dignum eruditis auribus non praetermiserim;* p. 74, 29: *inter haec, ne ignorasse videar, non praetermiserim; quod ferunt* e. q. s.; p. 78, 8: *leges* e. q. s.; p. 80, 13. 131, 20: *lego praeterea;* p. 82, 13: *inter haec non supersederim pauca etiam ... dicere;* p. 82, 25: *admonemur hic ... non praetermittere;* p. 87, 12: *hoc quoque, ne praeterisse ignoratione videar, attingam;* p. 126, 21: *non supersederim etiam ...;* p. 112, 20: *hoc quoque notandum* e. q. s.; p. 113, 11: *operae pretium est inter haec et de reciprocis versibus ... dicere,* al. Et excerptorum paucitas quamquam non impedimento fuit, quominus ordo ab artigrapho institutus ut supra vidimus in universum teneretur, fuit tamen in causa, ut non numquam res inter se quam maxime pugnantes unius eiusdemque libri angustiore spatio comprehenderentur. Sic Iubam de asynartetis et confusis libro octavo exposuisse supra didicimus: Aphthonius difficilem hunc artis metricae locum libro suo tertio ita cum derivandorum metrorum doctrina ab asynartetis alienissima tamquam conglutinavit, ut vel hinc adpareat, quam invalidum fuerit eius ingenium ad perplexas asynartetorum rationes vel perspiciendas vel excerpendas. Sed de hoc loco iam supra satis a nobis dictum est. Elucet autem, cum pro tenuitate excerptorum compilatori a Iubae librorum distributione discedendum esset, ea quae ad novam hanc rationem instituendam pertinent ab ipso Aphthonio profecta esse. Huc referendae sunt in primis partitiones illae et transitiones libris vel maioribus librorum partibus praemissae, quarum aequalitate magnave inter se similitudine unius eiusdemque scrip-

toris manus facile agnoscitur. Quorum locorum hac occasione non nullos congeram partim numeris tantum indicatis: Mar. Vict. p. 34, 25: *Sed ut ad propositum nobis redeam, discussa litterarum tam enuntiatione quam potestate . . . consequens erit* e. q. s.; p. 40, 6: *Decursis syllabarum modis . . . consequens reor prius de arsi ac thesi . . . dicere ac deinceps pedum rationem paucis exponere;* p. 60, 27: *Nunc de metrorum, prout versus processerit, praescripto et legitimo fine clausulaque dicemus* (cf. p. 63, 12); p. 64, 31: *Incisiones etiam versuum . . . ante omnia in hexametro heroo necessario observandae sunt* (cf. p. 66, 5. 67, 14); p. 74, 1: *Sed de his hactenus. nam quae ex heroo metro per adiectionem et detractionem, item per immutationem et concinnationem genera metrorum propagata quibusve vocabulis nuncupata sint, decursis speciebus prototypis, de quibus nunc sermo est, persequemur* e. q. s.; p. 100, 4: *Decursis metrorum per novem species fastigiis elementisque principalibus . . . dicendum dehinc secundum ipsam disciplinae originem consentaneum reor* e. q. s.; p. 102, 4: *Demonstratis igitur exemplis temptabimus procedente lectione* e. q. s.; p. 104, 27: *quorum modos, in quantum colligi potuit, studiosi lectoris auribus intimabo;* p. 114, 11: *Sed ut ad propositum versus hexametri ordinem redeam, decurso pentametro heroo consequens est tetrametrum eius inducere;* p. 119, 1: *Sequitur ut iuxta propositum ordinem trimetri quoque heroi, vel siquid ex eo editum est, ratio habita inspectaque pandatur;* p. 131, 30: *Decurso dactylo atque his quae ex eo generantur celeberrimis dumtaxat metris . . . adoriemur iambum;* p. 141, 5: *Emensis atque discussis his secundum propositum nobis ordinem, quae ex dactylico atque iambico genere per multiplices compositionum figuras informata derivantur, superest* e. q. s.; p. 155, 20: *Discussis septem speciebus hendecasyllabi . . . superest* e. q. s.; p. 158, 1: *Decursis omnibus ab incunabulis artis huiusce generibus metrorum, quibus magni auctores tam nomina dederunt quam etiam frequenter usi sunt, non ab re arbitror* e. q. s.; p. 160, 22: *Quamvis sciam in secundo volumine, in quo de prototypis tractavimus novem, omnia nos metrorum genera sub eorundem praeceptis et disciplina comprehendisse . . . tamen promissi memor, quod (*leg. *quo) de Horatianis metris specialiter persequendis meam fidem obstrinxeram, ne per*

coniventiam id praeterisse arguar, ut potero, singula quaeque percurram e. q. s. Cf. p. 138, 30. 148, 9. 168, 12 al.

Priusquam singulis aliquot exemplis Aphthonianam excerpendi rationem inlustremus, iuvat memoria repetere, quod supra certa paginarum computatione patefactum est (p. 51) non pari diligentia se praebuisse Aphthonium in exscribendis Artis libris duobus prioribus atque in voluminibus quae secuntur. Quae observatio eo confirmatur quod in primo Marii libro et exempla graeca multo plura exstant quam in reliquis et rarius ibi adsciscitur Terentianus. Neque incommode id ita interpretari queas, ut inde a tertio Artis libro rem festinantius egisse existimetur Aphthonius, non quod exscribendi molestia defatigatus esset, sed quia intellexerat rem sic uti coepta erat ad finem perduci vix posse. Nam si eadem ratione qua rem adgressus erat etiam reliquos Artis libros excerpsisset, a tertio usque ad octavum Artis volumen non unius tantum libri spatio, quod nunc explevit, ei opus fuisset, sed tribus potius vel quattuor. Qui ambitus cum breviarii fines multum egrederetur, quinque Artis volumina, quibus prototypa continebantur, unius libri sui secundi angustiis circumclusit. Ut quae leguntur apud Marium inde a p. 31, 17 usque ad p. 68, 20, ex Artis libro primo et secundo petita sint, p. 69, 4—99, 20 ad quinque insequentes redeant. Atque huic rationi, quae primo adspectu non nemini mira videatur, etiam illud favet, quod ipsius Artis libri duo priores fortasse ceteris aliquanto ampliores exstiterunt, quippe quibus lectores tamquam primis artis elementis imbuendi essent. Accedit quod, ut quinque insequentibus Artis voluminibus decem prototypa exhiberentur, non tam copia materiae quam ipsa principalium natura postulatum erat. Nam bina metra quae inter se responderent singulis voluminibus artigraphum comprehendisse intelleximus. Quamquam ne sic quidem negari poterit, multo alacriore studio Aelium Festum libros duos priores exscripsisse, sive ut tamquam firmo quodam fundamento iacto ipse penitus instrueretur eis quae a tironibus sciri plurimum interest, sive quod lectorum commodo sic optime se inservire arbitrabatur. Suo igitur iure dixit in libri secundi limine p. 69, 4: *Credo nos omnia, quae ad instructionem metricae*

disciplinae, velut quaedam primae institutionis incunabula, necessario his quibus huiusce artis voluptas ac studium est intimanda sunt, adfatim persecutos. Nec sine consilio factum putes, quod in eiusdem voluminis capite primo p. 74, 5 haec scripsit tamquam velis contractis ea spectans quae posteriore aliquo loco expositurus erat: *nec tamen omnia, quorum infinitus atque immensus est numerus, ausim promittere, sed quae potior auctoritas adprobat* e. q. s.

Hinc quid iam ad nostram rem consequatur, sua sponte elucet: nostro enim iure utimur, si in libris duobus prioribus reconcinnandis aliquanto liberius versamur quam in reliquis. Sic de pedibus caput non dubitavi paene integrum inter Artis reliquias recipere, cum in libris posterioribus verba Victorini saepissime satis habuerim in superiore adnotatione*) conlocasse. Quamquam etiam in libro secundo Aphthonium ad verbum non nulla ex Iubae commentariis descripsisse elucet (cf. p. 80, 5—6 et Iubae verba apud Rufin. p. 562, 17). Neque igitur retinebar quin etiam ex hoc Marii volumine haud ita pauca reciperem, non quod crederem ea plerumque sic ut Iuba scripserat servata esse, sed quod ibi metrici doctrinae tam multa certaque indicia exstare vidi, ut iusto timidius fuisset talia secludere. Quam nostram Artis refingendae rationem si per singula quaeque fragmenta comprobare vellem, magnum taediique plenum volumen mihi conscribendum fuisse vel ex eis adparet quae supra de Artis libris primo secundo octavo monuimus (p. 50 sqq.). Sed ne quid gravius eorum quae ad Aphthonium spectant praetermisisse arguar, non nihil addo. Atque ut omnino, ne quasi ultra scopum tenderem, parcum me esse volui in fragmentis inter reliquiarum numerum recipiendis, talem me praebui etiam in Aphthonio. Quare non solum eos locos seclusi, ubi neglegentius rem

*) In reliquiis componendis eam viam tenui, quam apud nos docti homines dudum in eius modi conlectionibus ut lectori commodissimam ingressi sunt. Asteriscum adposui eis fragmentis quae leguntur Iubae nomine non addito. In adnotatione superiore fontes quantum potui collegi, ad quos doctrina artigraphi revocanda est, additis grammaticorum locis e quibus fragmenta a nobis hausta sunt. Sic fieri non potuit quin reliquiarum tenuitas hic illic quadam tenus compensaretur.

egisse videretur grammaticus, sed in primis eos ubi vel levissima adhibiti Terentiani suspitio exstaret. Sed hoc ex eis quae supra de Terentiano disputavimus sua sponte consequitur. Verum alia difficultas quae oboritur haec est. Fit enim ut de ipsa fragmenti alicuius origine non dubites, sed utra ex parte Artis ab Aphthonio desumptum sit non liqueat, ex principalium expositione an ex altera parte qua de derivatis disputatum erat. Velut probabile sane est eorum, quae de metrorum usu et adpellatione exponenda erant, iam prioribus Artis voluminibus magnam partem exhaustam esse (cf. supra p. 27), sed ut tamen, quid singulis locis statuendum sit, nemo pro certo adfirmaverit. Sic quae leguntur Mar. Vict. p. 70, 17: *e cuius* (scil. *dactylici hexametri) genere hae metrorum species gignuntur, diphilium seu choerilium, logaoedicum seu archebulium, aeolicum sive sapphicum* e. q. s., facile fieri poterat ut eadem vel eorum similia in tertio Artis volumine legerentur (cf. quae supra exposui p. 76), sed cum dubitatio non plane exclusa sit, eius modi locos in prototyporum expositionem recipere veritus sum.

Sed quod supra promisi, Aphthonianam excerpendi rationem aliis non nullis locis explanare non recusabo. Atque cum Marii de paeonico metro caput deque proceleumatico totum supra ad artigraphum revocaverimus, nunc his ipsis exemplis excerptoris festinantiam patefacere haud abs re fuerit. Misera autem excerpta nobis ab Aphthonio servata esse vel ex primo alterius capitis enuntiato satis elucet p. 96, 10—15, ubi membra relativa quae dicunt, parentheticae enuntiationes, denique *quidam* illud, quod supra notavimus, durissime coacervantur, ut tuis quasi oculis cernas excerptorem alia ex aliis locis temere in unum conflantem, alia quae paene oblitus erat qualicumque modo superaddentem. Cuius generis est et de paeonico capitis initium et insequentis p. 98, 21: *quidam tamen decimam huic speciem post novem prototypa impertiendam esse, e quibus est et Philoxenus, ex eo putaverunt, quod laconicum longis constantem quindecim huic propter contrarium respondere posse conspicerent (qui tamen non ex omnibus molossis conectitur; nam spondeos invicem miscet), ut est* e. q. s. Nec excerpendi morem non redolent quae p. 97, 19

leguntur: *et rursus exempla repetamus.* Quod autem per se ipsum probabile est, multo pauciora addidisse vel mutavisse Aphthonium quam praetermisisse, id etiam hoc capite satis confirmatur. Pauca igitur sunt quae malis abesse, multa desiderantur. Quamquam non nulla exstant quae manifesto interpolata sunt vel ex nimio quodam interpretandi studio fluxerunt, ita ut dubitare liceat, utri Aphthonio an Mario tribuenda sint. Unum exhibeo locum ubi eius modi emblemata facili negotio removeri poterunt p. 97, 34—98, 2: *sed et [hic] tetrameter paeonicus [catalecticus], is dumtaxat, qui maxime in usu est, [ex longa et tribus brevibus] ab Aristophane compositus est totus, ut vides, ex paeone primo, ultimo amphimacro, syllabis quidem minore, temporum tamen totidem, unde et catalecticus videtur* e. q. s. Et pronomen *hic* iam a Keilio recte sublatum est: nos induximus et *catalecticus*, quod otiose additum esse verba extrema arguunt, et *ex longa et tribus brevibus*, quae olim verbis *ex paeone primo* videntur adscripta (conl. Caes. p. 264, 19). Nec vero in brevi illo de proceleumatico tractatu desunt vestigia excerptoris raptim et obiter largas quas ante oculos habuit copias contrahentis. Cavendum autem erit ne quis falsa integritatis specie inretitus artigraphi verba recuperare sibi videatur audaciore aliqua sanandi ratione admissa. Quod nescio an acciderit Caesari 'Grundz. der griech. Rhythm.' p. 181 vel etiam magis Bergkio, qui in commentatione academica beneficii Wolframsdorfiani lege edita Hal. a. 1861 p. 3 initium capitis sic constituit transpositione quadam usus parum probabili: *Ambigitur super auctoritate proceleumatici, quod constat ex duobus pyrrichiis, id est quattuor brevibus, an inter prototypa metra hoc quoque recipiendum habendumque sit: quidam (novem prototypis adsociandum negant) propterea, quod numquam ex pyrrichio, qui duplex in proceleumatico habetur, formata aliqua in metris species proferatur (quando uniformitas omnium brevium metrum facere non sufficit), nec molossicum, quod constat ex tribus longis, propter nimiam similitudinem induci aut videri metrum potuit.* Nam ut breviatoris verba sic paulo commodiora evaserint, tamen veteris commentationis imaginem nemo refingi posse sperabit, qui quidem unum illud meminerit, de paeonico et proceleu-

matico toto libro septimo Iubam disputasse. Satius igitur habui in Keilii rationibus acquiescere, qui ad verba p. 99, 4 *praeterea (praeterea A ς, propterea B) quod — species proferatur* adnotavit haec: 'additur autem altera causa, cur ad anapaesticum metrum proceleusmatici revocandi sint', ut hinc quoque misera horum excerptorum condicio intellegatur. Quanta vero festinantia Aphthonius cum totum librum secundum tum tenues has de quibus agitur disputatiunculas conscripserit, praeter ipsam excerptorum brevitatem et neglegentiam inde optime perspicitur, quod poetarum Graecorum exempla prorsus desiderantur. Quorum permagnum numerum olim apud Iubam lectum fuisse non solum universa Artis indole qualem supra cognovimus vel Atilii Fortunatiani p. 291, 1 comparatione edocemur (cf. Westphalius t. I p. 225 ed. sec.), sed etiam indiciis non nullis quae excerptoris neglegentia obscurari non poterant. Velut versum tetrametrum *perit abit avipedis animula leporis* sive fecit Serenus sive non fecit, certe is fictus est ad exemplum graeci versiculi ἴθι μόλε ταχύποδοϲ ἐπὶ δέμαϲ ἐλάφου (cf. supra p. 11 sq.), ut utriusque linguae exempla etiam hoc Artis loco olim lecta fuisse adpareat. Neque aliter res se habuit in exemplo metri laconici (cf. Brunckius ad Aristoph. Vesp. 349, Gaisfordus in Hephaest. t. II p. 92 ed. sec.) Mar. Vict. p. 98, 26, quod graecorum exemplorum indicia rimanti praeterire non licet. Est autem versus:

ite, o Spartae primores, fauste nunc parcas ducentes,

ubi, cum recte ut videtur *nunc fauste* proponeret Ritschelius Opusc. philol. t. I p. 273 pro ordine qui in libris legitur *fauste* (*faustae* ς *AB*) *nunc*, certe *parcas* quod traditur non in *turmas* mutandum erat. Nimirum quod poeta graecus, Tyrtaeus opinor, in versu illo quo Heliodorus aliique ante eum pro exemplo usi erant dixerat μόραϲ vel μοίραϲ (cf. Cic. Tuscul. II, 16 *Spartiatarum procedit mora* ⟨*mora* Gronovius, *ad modum* in libris est⟩ *ad tibiam* e. q. s.), id ipsum Iuba per *parcas* transtulisse censendus est eadem graeci sermonis inscitia ductus, cuius iam supra unum alterumve exemplum cognovimus. Intellexit hoc iam ante nos Bergkius, qui ipse quoque anapaestos illos, quos Philoxenus ut videtur falso molossicum metrum esse statuit, ad Tyrtaei poesim rettulit Poet. lyr. t. II p. 405 ed. tert. Atque etiam superiore aliquo

Marii loco (p. 77, 23) embaterii, proprii carminis Lacedaemoniorum, memoria iniecta est, etsi errore locus vix caret: cf. Westphalius t. II p. 406 ed. sec. — Spectant haec ad sesundum Aphthonii librum: nunc aliud exemplum addatur ex libro primo, quo quam circumspecte etiam in hoc volumine agendum sit iterum adpareat. Dico 'de vitiis versuum' caput p. 67 sq., ubi aperta Iubae vestigia emicare iam supra (p. 58) monui, cum verba (p. 67, 25) *at in ultima miuros* — (31) ὅϲϲοι ὕμμιν ὅττι ad artigraphum revocabam. Quae autem antecedunt apud Marium p. 67, 13—24 de versibus 'in principio aut in medietate' corruptis, ut ex eisdem Iubae commentariis derivata esse quam maxime probabile est, ita breviatoris manu nimis mutilata sunt. Sic de versibus in initio vitiatis haec leguntur p. 67, 16: *igitur cuius initium pro condicione propriae legis nequaquam integrum processerit,* ἀκέφαλοϲ *dicitur veluti capite imminuto, ut 'fluviorum rex Eridanus': item 'adicias nec te ullius violentia vincat'.* Quod si cum eis quae secuntur comparaveris, etiam primae huic versuum vitiatorum classi olim excusationem additam fuisse fere similem earum, quae in eo qui λαγαρόϲ adpellatur et in miuro adiectae sunt, vix negabis. Item hiatu insignia sunt quae secuntur: *in media vero parte laesus* λαγαρόϲ *appellatur, ut 'Anchisen facio certum.' quibus qui medentur, finalis syllabae excusatione succurrunt, ne media versus sede iambus habeatur, causantes, quod parte orationis terminata pro longa posita o accipienda sit, ut 'quam Iuno fertur' et 'quis te, magne Cato, tacitum', item 'classe veho mecum'.* Et *quibus qui medentur,* quod in libris est, ne cum Keilio in *cui q. m.* mutes, ipsius editoris vigilantissimi verbis praecavere licet, utpote qui *quibus* illud ita defendi potuisse recte adnotaverit, 'ut aliud eiusdem vitii exemplum excidisse diceretur.' Truncatum esse Iubae locum vel inde arguitur quod praeter Homeri versum illum, quem miuron existimabant Τρῶεϲ δ᾽ ἐρρίγηϲαν e. q. s., graecum exemplum non legitur. Ut vero de eis quae secuntur paullo incertior sim, incerta fit origine versuum *sed iam purpureo* e. q. s. Nam ut mittam credulitatem istam, qua olim in Livii Andronici auctoritate acquiescebant (cf. Menagiana tom. I p. 190 sqq. ed. tert., A. Weichertum

Poet. lat. reliqu. p. 65), haud multo probabilior est Scaligeri opinio Laevii potius versus illos esse coniectantis, quam calidius amplexi sunt Weichertus l. s. p. 70 et Hermannus epit. doctr. metr. p. 128 ed. sec. (cf. Hauptius Observat. crit. p. 43). Quamquam aliis argumentis impugnanda ea erat atque quibus olim impugnatam videmus a G. I. Vossio, Santenio, aliis. Neque igitur quidquam aliud videtur relinqui, nisi ut ab ipso Mauro versiculos illos fictos esse ponamus, idque ipsum statuit Hauptius l. s. praeeunte ex parte Welckero in libro de tragoediis Graecis p. 625. Adprobavit hoc iudicium Bernhardyus 'Grundr. der Röm. Litt.' p. 417 ed. quint. Et quo saepius rem perpendo, eo magis eadem mihi quoque sententia arridet. Neque enim assentior Ribbeckio, qui veteris poetae versus a Caesio Basso transformatos esse coniecit Trag. Rom. fragm. p. 4 ed. sec. 'Putabimus igitur', ut Hauptii verbis utar, 'Caesium Bassum μειούρους quosdam versus ex innumeris numeris Livii elicuisse sibi visum esse, ut Saturnios apud Graecos poetas deprehendi eum putasse Atilius Fortunatianus monstrat p. 2680 P. (i. e. Caes. Bass. p. 265, 15): quos cum ut inconditos respueret Terentianus, ipse novos ex hoc genere versiculos composuit.' Ex Terentiano deinde repetiit eos Aphthonius, ita tamen ut non nulla ex Iuba ut videtur adderet. Neque enim Weichertus audiendus est (l. s. s. p. 64), cui non dubium est quin 'Marius Victorinus a Terentiano totus pependerit.' Velut apud Victorinum haec comparent p. 68, 2, quae apud Terentianum non leguntur: *novam potius hanc speciem quam miuron existimant versum et teliambon appellant.* Retinuerat nisi fallor Iuba ipsius Livii, qui teliambi Caesio visi erant, versiculos, quibus paulo accuratiorem definitionem subiecisse putandus erit. Nam quas nunc versibus Terentiani rationes subiectas videmus apud Marium p. 68, 9, eas a solo Aphthonio vel Victorino profectas esse vix censebimus. Certe tamquam consuisse videtur Aphthonius qualicumque modo aliquot doctrinae pannos, quorum unum alterumve ex Iuba adsumpserit. Commode enim sic explicari poterit, quod etiam infra apud Marium p. 79, 11 de Margite Homeri plane eadem eisdem fere verbis leguntur: *ideoque dicitur et Homerus in Margite suo miscuisse hos versus*

(scil. *hexametros dactylicos et trimetros iambicos) tamquam pares**). Quamquam paulo incertior haec est coniectura, quam ut in Iubae reliquiarum numero verba illa ausim referre. Neque temperasse sibi videtur hoc loco Aphthonius quin etiam de suo ea quae ex Terentiano et Iuba decerpserat augeret: quod ni ita esset, vix addidisset opinor tanta verborum inmoderatione quae leguntur p. 68, 16: *nobis autem, quibus in isto artis metricae commentario omnia insinuandi curae ac moris est, ne aut per imperitiam aut per neglegentiam id praeterisse ab obtrectatoribus diceremur, utrumque super huius modi condicione versuum aperire atque expromere in maximo opere ac studio fuit.* Neque enim omnia haec ex sola vanitate hominis, quam supra tetigi, repetierim. Sed haec quidem hactenus.

De Mario Victorino**) pauca habeo quae dicam. De aetate hominis ea est vulgaris virorum doctorum opinio, ut eundem esse putent atque rhetorem urbis Romae qui Constantio imperatore vixit. Quam sententiam comprobavit Lachmannus in Terentian. p. XIII: 'C. Marius Victorinus rhetor,

---

*) Verba quae exstant p. 68, 15: *viderit, qua ratione id in opere suo Livius* mihi delenda, non corrigenda videntur Frustra his et superioribus grammatici verbis operam navabat Leutschius in 'Goett. Gel. Anz.' a. 1855 p. 1968.

**) Nihil nobis res est cum commentario de ratione metrorum p. 216—228, qui Maximo Victorino adscribitur, nec cum tractatu de finalibus metrorum illi subiecto p. 229—242. Sed ne in libris quidem de arte grammatica p. 186—205 et de metris p. 206—215, quos C. Mario Victorino (eidem qui per quattuor volumina Aphthonium excripsit) recte ut videtur tribuit Basiliensis editor (cf. Keilium Gramm. lat. t. VI praef. p. XXVI), ea quae certo iudicio ad Iubam referri possint repperi. Fortasse Cornelii Epicadi et Caesii Bassi memoriam (p. 209, 9 sq.) Iuba intercedente ad Victorinum pervenisse suspicabere; sed incerta est coniectura, cum artigraphum non ipsi Victorino ante oculos fuisse et ex maiore opere satis adpareat et ipso de metris deque hexametro commentario comprobetur. Quare nescio an ex Firmiani Lactantii de metris libro, cuius ibidem memoria fit p. 209, 12, antiquiorum notitiam accepisse Marius censendus sit. Ceterum num Firmianus Iubam usurpaverit nescimus. Comparatis vero inter se eis quae Victorinus p. 78, 19 et Lactantius apud Rufin. p. 564, 7 de metris comoediarum scripserunt, utrumque in Aphthonio excerpendo versatos esse mihi quidem dubium non est: ut eiusdem aetatis grammatici ex eodem fonte sua hauserint.

natione Afer, artem metrorum antequam ad fidem perveniret, hoc est ferme quinquaginta et trecentis post Christum natum annis, conscripsit'... Neque hodie est cur ab ea recedamus: cf. Grammat. lat. t. VI praef. p. XXVI. Qui autem reputaverit secum, quomodo libros Aphthonianos grammaticus in suum usum converterit, generis hominum recordabitur a Prisciano denotati ad Iulian. ep. § 3: 'qui alienis laboribus insidiantes furtimque et quasi per latrocinia scripta aliis subripientes unius nominis ad titulum pertinentis infanda mutatione totius operis in se gloriam transferre conantur.' Qua in re hoc solum mirandum est, quod subscriptionem illam quarto libro subiectam, quam supra rettuli, non delevit. Nisi igitur ipso grammatico invito subscriptio relicta est, noluit ille nomen eius auctoris, quem per quattuor librorum spatium descripsit, plane silentio praetermitti. Ac paulo accuratius nobis inquirentibus, quam rationem Victorinus in Aphthonii libris exscribendis secutus sit, hoc dubium non est, quin initio saltem operam dederit, ut longiora haec excerpta qualicumque modo cum eis quae ex alio fonte praemiserat cohaererent neve saltem apertius haec cum illis pugnarent. Quamquam haec opera tantum abest ut prospere grammatico successerit, ut uno vel duobus locis, ubi diversos inter se commentarios conectere studuit, res male sit gesta. Velut cum bis iam de syllabis positione longis disputasset (p. 27, 1 et 29, 27), cavendum sane putavit, ne Aphthonianam harum expositionem iterum describeret p. 35, 21. Respexit igitur ad locos qui antecedunt hisce verbis: *positione vero octo modis, ut supra relatum est, fiunt. ex quibus sex videntur aperti, de septimo etiam nunc tractemus* e. q. s. 'In quo loco', ut Keilii verbis utar de Marii Victor. arte grammat. p. XI, 'illud etiam memorabile est, quod qui supra octavus modus positionis dictus erat hic tamquam septimus ponitur, cui mox p. 44 G. (p. 36 K.) octavus modus, is qui supra fuerat sextus, ita subicitur, ut iis quae antecedunt in compendium redactis oratio male procedat.' Sed licet stupor hominis vel neglegentia inde satis eluceat, vel sic satis manifestum puto in initio operis paulo liberius Marium in Aphthonio exscribendo versatum esse. Idem hoc eis verbis comprobatur p. 36, 9,

quibus ad syllabas communes transitus fit: *nunc de communibus plenissime tractemus, unde sumus digressi.* Sed processu operis mox defatigatus non tam addidisse quaedam Marius censendus est vel inmutavisse quam Aelii Festi longiores disputationes neglegentius in artius contraxisse calamo potius usus quam iudicio. Quo factum est ut etiam subscriptionem illam supra adlatam in contextu servaret: delevisset eam opinor, nisi progrediente lectione fere totum sese Aphthonio addixisset*). Et pauca fuisse, quae in Aphthonii libris de suo adiecit Marius, etiam inde dispicitur quod, ut ipse quoque aliquid saltem praestitisse sibi videretur, similiter ut priorem illam partem a re metrica alienam praemisit, ita alterum illum de metris Horatianis tractatum a Keilio primum editum (p. 174—184) operi adnexuit, in quo, etsi eundem iterum Aphthonium haud raro expressit, placuit ei *omnia quae apud Horatium metra tam in carminibus quam epodis continentur sub exemplis singulorum asmatum ac propria specierum designatione comprehendere* (p. 174, 3 sqq.). Cf. Grammat. lat. t. VI praef. p. XVII sq. Facile autem haec cum expositione quae antecessit in unum ab eo potuisse coniungi, ita ut molestae earundem rerum repetitiones evitarentur, si modo in exhauriendis Aphthonianis commentariis minus librarii quam rei metricae scriptoris partes suscepisset, apertum est. Cf. Keilius de Marii Victorini arte grammat. p. VI. Haec quae dixi nemo sic accipiet, quasi in singulis Victorini manu quidquam additum esse negaverim. Sed praeterquam quod ipsum iam Aphthonium haud raro male rem instituisse observavimus, accedebat praeterea frequens operis in scholis inferioris temporis usus, cui excerpta sua Victorinum maxime destinavisse iam Keilius perspexit l. s. s. p. XI. Hinc permultas sine dubio et varias emblematum labes hi libri traxerunt, qui etiam a librariis neglegenter sunt habiti. Neque enim probabile est cum Thiemanno (l. s. s. p. 432)

---

*) Similiter iudicavit C. Thiemannus in Fleckeiseni Annal. a. 1873 p. 432: 'Sein eigenes (Victorinus) Verdienst sinkt somit auf Null herab und besteht hauptsächlich in der fast wörtlichen Ueberlieferung der ihm vorliegenden Schrift des Aphthonius'.

eius modi interpretamenta uni nescio cui anonymo tribui. Quae si quis perpenderit, fere desperandum esse concedet fore ut umquam ea quae de suo Victorinus addiderit ab Aphthonii excerptis certo ac firmo iudicio discernantur. Immo ut nunc res se habet saepius quam vellem incertus haereas, quid Victorini neglegentia vel imperitia obscuratum sit, quid ex interpretandi studio scholastico fluxerit vel denique librariorum incuria sit corruptum. Nec liber de metris et de hex. p. 206—215 ad hanc rem satis utilitatis praebeat. Tamen non nulla Victorini additamenta repperisse sibi visus est Keilius l. s. s. p. XI sq.: alia quaedam adnotatio nostra suppeditabit.

Artem 'ad Constantium imperatorem' (quod hic addere liceat) scripsit Asmonius (Prisc. Inst. l. X p. 516, 16), quem eundem esse atque Memnonium a Martyrio apud Cassiodorum de orthogr. p. 2299 memoratum coniecit Leutschius 'Grundr. zu Vorles. über die griech. Metr.' p. 21. In qua arte ille Iuba auctore metricam certe tetigisse censendus est, id quod discimus ex loco a Prisciano adlato de metr. Terent. p. 420, 1: *Asmonius etiam idem confirmat his verbis: 'comici poetae laxius etiamnum versibus suis quam tragici spatium dederunt'* e. q. s., quippe qui satis accurate conveniat cum Aphthonii excerptis Mar. Vict. p. 80, 30: *similiter apud comicos laxius spatium versibus datum est* e. q. s. Erravit autem Bergkius, cum propter hunc ipsum consensum pro Asmonio Aphthonii potius nomen apud Priscianum reponendum esse sibi persuaderet. Quae coniectura non minus incerta est quam Leutschii de Memnonio opinio. Nam ex consensu illo nihil aliud consectarium est nisi utrumque grammaticum ex eodem auctore hausisse. Accedit enim quod non ad verbum inter se congruunt sed alius alia rectiora praebent. Quod quidem longum est pluribus exponere, cum praesertim iam a Keilio res diligenter inlustrata sit de Marii Victor. arte grammat. p. VI sq. Ceterum quantum spatii dederit Asmonius huic de metris disputationi, in qua Iubam ut videtur pro fundamento adhibuit, hodie prorsus ignoramus. Etenim ne hoc quidem certum est, quod in editione Prisciani olim coniecerat Keilius, Iubae verba quae post Asmonii locum apud Priscianum leguntur

(p. 420, 7) Asmonii auctoritate adlata esse. Quamquam enim hoc iudicium suum vir doctus nuper repetiit de Mar. Victor. arte grammat. p. VI sq., tamen altera illa sententia mihi multo probabilior est, quam ipse Keilius proposuit in Quaest. grammat. p. 18, ubi causam esse negavit cur Priscianus Iubae libros non legisse crederetur. Sed utcumque haec res se habet, certe Asmonium non totum in arte metrica tractanda versatum esse ex altero Prisciani loco l. X p. 516 adparet, utpote qui ad eam grammaticae partem quae de verbo est pertineat.

Marius Plotius Sacerdos*) semel Iubam nominat in fine tertii libri ubi de metris agitur p. 546, 8. Scribit grammaticus: '*arietat in muros et duros obice postis*' e. q. s. *quos pedes quidam faciunt dactylicos, primas duas breves ligatas pro longa accipientes, sicut praecepit Iuba metricus. sed errant* e. q. s. Haec autem ipsa verba, quibus Iubae mentio inseritur, interpolatori tribuit I. Steupius de Prob. gramm. p. 165 n. 44, ubi in aetatem Sacerdotis inquirebat. Miro enim modo post *quosdam* inferri unum Iubam metricum, ut verba *sicut praecepit Iuba metricus* delenda ei esse videantur. Sed tantum abest ut planum hoc certumque testimonium eiciam, ut etiam dicendi genus in tali scriptore ferendum esse existimem, praesertim si in parenthesi illa dicta fuisse putabimus. Quamquam una fortasse vocula quae facile excidere potuit addenda erit: *sicut praecepit (et) Iuba metricus* conl. Mar. Vict. p. 98, 22. 140, 3. Ceterum de re ipsa cf. Keilium de Mar. Plot. Sac. p. IV. Sic igitur pro certo habendum esse arbitror Marium Plotium aut post Iubam vixisse aut eius fuisse aequalem. Quorum ut hoc probem, non illud, et eo adducor quod ante Diomedem fuisse Sacerdotem viri docti observarunt (cf. Steupius l. s. s. Keilius Grammat. lat. t. VI p. 425), et eo quod rationes ab Osanno prolatae ('Beitr. z. griech. u. röm. Litt.' t. II p. 298)

---

*) Hoc verum grammatici nomen esse mihi quidem persuasit Keilius de Marii Plotii Sacerdotis libro de metris p. IV sq. et Gramm. lat. t. VI p. 420. Bobiensem duorum artis grammaticae librorum codicem, ubi M. Claudius legitur, secutus erat Wentzelius Symb. crit. p. 49. In incerto rem relinquit I. Steupius de Prob. gramm. p. 165. Cf. eundem in Leutschii Ind. philol. a. 1873 p. 371.

aetati Iuba posteriori non convenirent. Inter reliquias artigraphi unum locum illum recepi modo allatum. Quae continentia nemini mira videbitur, qui rationes a Sacerdote adhibitas satis consideraverit. Octo prototyporum numerum videtur custodire (p. 500, 7), sed videtur tantum: nam recepto paeonico utraque ionica tamquam in unum coniungit. Sed divisis mox ionicis et spondeadeo addito *metra sunt generalia ex octo undecim, dactylicum, spondeadeum, anapaesticum* e. q. s. (p. 500, 24). Qua in enumeratione cum dactylicum et anapaesticum ceteris praeponat, infra rursus Diomedis exemplo iambicum et trochaicum inter utraque illa inmisit. Tractandi ratio qua utitur Plotius ab omnibus qui memoriam tulerunt diversa est: primum species percenset singulorum metrorum, dein schemata quae dicit, in quo quam minuta fuerit subtilitate Wentzelius monuit Symb. crit. p. 42, qui hoc illi ut proprium vindicavit, 'ut omni ratione omissa minutias studiosissime observaret easque, quotienscumque offerretur occasio, consectaretur.' Nec minus singularis ea est ratio, ut praecepta sua haud raro versibus concluderet, quod nuper animadverterunt Keilius de Mar. Plot. Sacerd. p. X sq. et Steupius in Leutschii Ind. philol. a. 1873 p. 372. Exempla quibus metra inlustrantur saepissime ipse finxit, ut vel suum ipsius nomen vel Simplicii Maximique ad quos librum misit posteritati traderet. Metrorum adeo fuit imperitus, ut vel syllabarum mensuram misere neglegeret, cuius generis exempla post Keilii accuratam disputationem hic repetere longum est: cf. Gramm. lat. t. VI p. 423 adn. Qua commentatione simul adparet nimis benevole de metrico iudicasse L. Muellerum in Mus. rhen. t. XXVII p. 284 sqq. Respondet huic imperitiae genus dicendi saepe puerile, quode monuit Wentzelius; superat eam fortasse sola impudentia, qua in alios invehitur: cf. p. 502, 1. Quibus omnibus consideratis quod non nulla, quae ad Iubam nos ducere videntur, inter testimonia tantum recepi, vix quisquam reprehendet. Neque enim solo fine libri tertii comprobatur Iubae commentarios Sacerdoti ad manum fuisse. Velut tetrametri proceleumatici exemplum p. 532, 22 *id agite, peragite celeriter itinera* idem est quo Iuba utitur apud Mar. Vict. p. 99, 16. Idem legitur Mar. Vict. p. 101, 21.

Ex uno eodemque fonte fluxerunt versus apud Mar. Vict. p. 82, 12 et Mar. Plot. p. 526, 15: *Musae Iovem laudate* e. q. s. Ad Iubam fortasse ducimur metri iambelegi definitione p. 543, 20 conlata cum schol. Aristoph. Pac. 775 p. 5 ed. Thiem., Hephaest. p. 51, 19 ed. Westph., Mar. Vict. p. 145, 24. Quod ad graeca exempla attinet, quorum inter omnes metricos latinos plurima attulit, dubitari poterit utrum suae lectioni ea debeat, id quod adfirmare videtur p. 543, 16, an ex Iuba sumpserit. Atque hoc quidem inde quispiam sibi persuadeat, quod p. 522, 19 eidem versus citantur quos attulit Iuba apud Rufinum p. 563, 3. Nec pauca eius generis exempla etiam nunc in Hephaestionis enchiridio leguntur. Denique eam rationem tenebat metricus, ut exempla graeca artigraphi more latinis consociata exhiberet, quorum quod hodie non numquam latina tantum servata sunt, id librariorum vel recentiorum grammaticorum neglegentia factum esse certis indiciis comprobavit Keilius Grammat. lat. t. VI p. 423 sq. Sed facile adparet omnem dubitationem de hac re sic non evelli. Atque etiamsi certum esset non 'de graecis nobilibus metricis', ut ipse scribit l. s. s., sed ex Iubae Arte grammaticum versus graecos desumpsisse, quod ut vere stabiliri possit vereor, vel sic quanta nobis cautione opus esset adparet. Nam ut mittam, versus illos etiam a librariis pessime habitos esse, hoc in primis notabile est, ipsius metrici neglegentiam et stuporem graecorum poetarum exemplis non magis pepercisse quam latinis. Nec non ab ipso grammatico aliquot exempla graeca ficta esse liquet: cf. Keilius ad p. 517, 6. 520, 20. 525, 10. 529, 27.

Semel item, ut hodie videtur, ad Aen. V, 522 conl. IV, 549 Iubae artigraphi memoriam iniecit Servius Maurus Honoratus. Percurri igitur, 'quae nomine eius circumferuntur', ut Ribbeckii verbis utar Proleg. crit. in Verg. p. 189, 'variis modis contaminata contracta amplificata interpolata scholia'. Sed nihil repperi quod ad restituendam Artem valeat. Licet enim multus sit Servius metricis vel prosodiacis observationibus (cf. Em. Teuberus de Mauri Servii Honorati vita et comment. part. I p. 39 sq.), tamen pro interpretis officio satis habuit ad poetae verba sese adplicare. Indicat

igitur versus hypermetros (cf. Aen. I 332. 448. II 744. al.), spondiacos (Aen. VII 634. al.), aliisve metricis rebus insignes; reprehendit quae alii 'contra metrum' senserunt (cf. Aen. II 798. III 336. 535. al.); adnotat quaecumque 'propter metri necessitatem'*) 'interposita' videbantur (Aen. I 3), 'correpta' (Aen. I 73. 575. II 417. III 418. VI 643), 'sublata' (Aen. I 195), 'subtracta' (Aen. II 497), 'detracta' (Aen. VII 490), 'geminata' (Aen. II 365), 'addita' (Aen. III 691. V 457. 467. VI 186. VII 717. VIII 27. XI 72), 'mutata' (Aen. I 343 II 12. II 69. VII 181), 'variata' (Aen. II 758. VIII 114. 155. X 481. 526. 653. XI 468. bucol. VIII 75. X 19).

Ceterum alienum esse a genuino Servio centimetrum libellum, qui nomine eius circumfertur, supra monui (p. 9) auctore Luciano Muellero. Quamquam dedita opera in rem aliquis inquirat necesse erit. Proponuntur autem centimetro originalia octo ita disposita, ut Hephaestionis more ab iambico et trochaico exordium sumat grammaticus, dein cetera addat excluso nimirum paeonico. Ut igitur numero Heliodori se continet, ita ordine ab eo recedit. Neque alia ibi Iubae vestigia comparent: certe non ea quibus Artis reliquiae locupletari possint. Quod non mirum erit, si quis respexerit quanta sit ieiunitate grammaticus et inopia 'rationem omittens, quo quidque nascatur ex genere, qua scansionum diversitate caedatur' (p. 457, 3). Accedit quod exempla metricus maximam partem ipse sibi finxit.

F l a v i u s M a l l i u s T h e o d o r u s (consul a. 399) inter posterioris aevi grammaticos is est, qui saepius hominum doctorum curas adlexerit: vitam eius enarravit Alb. Petr. Paul. F. Rubenius dissertatione Ultraiecti edita a. 1694; librum de metris primus edidit I. F. Heusingerus et bis quidem: primum Guelferbyti a. 1756, paulo correctiorem deinde Lugduni Batavorum a. 1766, quam editionem iteravit Gaisfordius p. 525 sqq. De indole libri, quem a ceteris illius aetatis metricis satis diversum esse liquet, recte exposuit Wentzelius Symb. crit. p. 64 sq. Discrepat autem a reliquis

*) Similiter dixit 'ut stet versus (ne non stet versus)', vel 'metri causa', vel 'ad implendum versum' vel 'ad solam metri sustentationem', alia.

et ratione et oratione. Rationis diversitatem ipse aperit p. 600, 23: *De arte ergo metrica nihil desiderari a quoquam scias, servata a nobis docendi ratione perspicua, ut ea, quae alii, qui eadem de re scripserunt, confusa et permixta conlocaverant, nos octo tantum generibus, quibus exceptis nullum inveniri metrum possit, conprehenderemus, quaeque etiam ex uno quoque genere species emanarent ac profluerent, ostenderemus easque non in inmensum extenderemus* e. q. s. Quam rationem certe observat, ubi de dactylico iambico trochaico anapaestico (hoc enim ordine utitur) exponit, quibus quod etiam metra non nulla, quae ex heroo et iambo derivare solebant, subiungit notabile est. Cf. Westphalius l. s. s. t. I p. 130. Ceterum rei metricae parum peritum esse Mallium inde perspicuum fit, quod versus iambicos per singulos pedes percutit, qua in re ne singularis cuiusdam doctrinae vestigia quaererentur cautum esse voluit Westphalius t. II p. 170. Ut vero metricam artem ad 'audientis delectamentum' et 'aurium voluptatem' (p. 585, 14 sq.) refert, ita oratio eius suavitate quadam insignis est satisque remota a ceterorum impeditiore vel rudi genere dicendi. Iubam bis nominavit p. 595, 13 et 598, 22, ac plurima non adscripto nomine ex artigraphi libris eum recepisse contendit Keilius in fragm. Bob. p. IV. Contra Wentzelius Iubam aeque ac Terentianum (cf. p. 594, 15. 595, 10) ita ab eo adhibitos esse censuit Symb. crit. p. 64, ut versus tantum modo ex illis repeteret. Neutri accedo. Diversus est metricus a Iuba, quod derivata perversa ista quam tetigi ratione cum prototypis copulavit. Dein cum Diomede eum consentire dactylicum et iambicum ceteris praeponendo supra cognovimus p. 45. Rursus sectatorem artigraphi eo se prodit, quod octo metrorum numerum non migravit. *Siquid ergo*, inquit p. 588, 23, *praeter haec, quod non ad certam pedum legem, sed ad temporum rationem modumque referatur, vel scribet quisquam, vel ab alio scriptum leget, id non metrum, sed rhythmon esse sciat* e. q. s. Quos locos et horum similes (p. 586, 1) ad Iubam certo referendos esse dixi 'Heliod. Unters.' p. 121. Item Artis commonemur cum legimus (ut leviora taceam) ea quae de pedibus pentasyllabis et hexasyllabis disputat p. 588, 2. Quamquam talia ad verbum trans-

scripta esse nemo contendet. Iubae nomine adscripto versum protulit p. 595, 14: *qualis aquila cita celeribus avida pinnis transvolat,* quod tetrametri satyrici exemplum habet etiam Victorinus p. 85, 10 et grammaticus Bobiensis p. 622, 16. Et ex fragmenti Bobiensis loco simul adparet etiam Graecum exemplum suo more Iubam adscripsisse; ibi enim legitur *ut est item apud Cratinum,* ipso versu lacuna absorpto. Alterum quoddam e Iuba Mallius exemplum profert p. 599, 1 ionici a maiore: *ipsa est Chios, ipsa est Samothrace,* quod ad Eupolidis versum ab Heliodoro fortasse leviter inmutatum artigraphum finxisse recte observavit Wentzelius in scriptione gratulatoria gymnasii Oppoliensis a. 1864 p. 20 sq. Ut hoc quoque loco eluceat graecum sermonem Iubam parum calluisse 'confusis οὗτος et αὐτός pronominibus'. Septimii versus, quibus metricus utitur (p. 590, 9 et fortasse p. 595, 6 *pastor ille saepe* e. q. s., quem inter Sereni reliquias rettulit L. Muellerus l. s. s. p. 48), dubitare possis utrum ex artigrapho receperit an sua ipsius lectione cognitos habuerit. Petronii versiculos p. 593, 28 ex Terentiano 2862 haustos esse nescio an iure obtineas, cum Arbitri fragmentum uno versiculo locupletius exhibeat Maurus. Accedit, quod Terentianus a Mallio haud raro expilatur etiam nomine auctoris non addito: p. 592, 3 *tu genus hoc memento* (Terentian. 2537); p. 592, 12 sq. *unde Latinum — moenia Romae* (Terentian. 2173—2176); p. 594, 12 *hic non iambum r. p. s.* (Terentian. 2401). Quamquam Terentiani memoriam quattuor primis metris principalibus contineri vidit Keilius Grammat. lat. t. VI p. 583. Denique quaedam exempla ipsum composuisse e poetarum versibus recte, ut videtur, observavit Wentzelius Symb. crit. p. 67. Haec omnia cum reputo, tutius duco praeter duos illos versus, qui nomine metrici addito citantur, inter artigraphi reliquias nihil referre, haud paucis tamen supplendae memoriae gratia in adnotatione superiore conlocatis.

Loci opportunitas haud dissuadeat ne statim de Prisciano Caesariensi quantum licet rem absolvam. Neque igitur solum ea quae de metr. Terent. p. 420, 8 de iambo, id est de iambico trimetro Iuba auctore rettulit ex ipsius artigraphi

opere ab eo excerpta esse mihi persuasum est, sed etiam ea quae ex octavo libro leguntur de metris confusis ibid. p. 421, 1. Qua de re ut iam supra a nobis probabiliter ut spero dictum est, ita nihil causae fuisse video cur non popularis sui libris uteretur, qui Arte sua metrica idem fere consilium secutus esset, quod ipse grammaticus Caesariensis et in reliquis libris sibi proposuit et in institutionibus, hoc quidem, ut ea quae a Graecis grammaticis inventa erant Romanorum usui adcommodaret. Sed qui meminerit eundem Priscianum saepe ita se gerere quasi etiam eos scriptorum locos ipse legerit, quorum notitiam posterioribus acceptam refert, is nescio an eo adducatur, ut etiam Heliodori longiora illa fragmenta quae in libro de metris Terentii legimus ex Iubae commentariis Priscianum hausisse existimet. Sed hoc probabilitati congruenter dici posse iam in initio libri nostri negavi, ubi de Seleuco grammatico pauca monui (p. 31). Quod nostro nos iure fecisse inde in primis adparuit, quod etiam Hephaestionem in usum suum vocavit Priscianus. Quid? quod idem in libro de figuris numerorum non solum Dardanum adhibuit, cuius aetatem definivit Mommsenus 'Ber. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss.' a. 1851 p. 279, sed etiam Claudium Didymum si Keilio credimus praef. in Prisc. p. 395 conl. Quaest. gramm. p. 9 sqq., atque in libro praeexercitaminum progymnasmata Hermogenis in latinum sermonem transtulit. Quae omnia perpensitans ipsos metricos Graecos Prisciano ante oculos fuisse pro explorato habuerim. Nolui igitur Iubae reliquias excerptis illis exornare. Quamquam unum alterumve eorum exemplorum, quae ex Heliodoro ille repetiit, etiam in Iubae libro octavo lecta fuisse satis credibile est.

Eadem fere aetate, qua Priscianus, Iubae libros in manibus habuit Rufinus Antiochiensis, de quo plenius nunc docuit nos quae sciri interest Keilius Grammat. lat. t. VI p. 549 sqq. Iubae quattuor ampliora fragmenta, de quibus compluries verba feci, p. 561, 11; 562, 11; 19; 564, 1, idem primus emendatiora exhibuit Quaest. grammat. p. 19 sq. Cf. etiam Wentzelium Symb. crit. p. 68 sq.

In recipiendis Pompeii verbis, quamvis bis nominatim ad Iubam provocaverit grammaticus p. 110, 13 et 114, 1, parcum me praestare volui. Neque enim ad verba artigraphi

revocanda ullam habet Pompeii commentum auctoritatem, quippe quo vel verbosius vel rudius nihil possit cogitari. Puerilis et contorta disputandi ratio (cf. Wilmannsium de Varr. libr. gramm. p. 88 n. 1) cum ex hominis Afri ingenio tum ex consilio libri scholarum usui destinati intellegitur. Accurate hanc libri indolem inlustravit Keilius Gramm. lat. t. V p. 90, cuius verba ex parte adpono: 'denique ne dicam totum hoc genus artis Donati explicandae ex usu scholarum repetendum esse, verbosa et puerilis tractandi ratio molestissima rerum tritissimarum repetitione fastidium creans hac sola re quodam modo vel excusatur vel intellegitur, quod scholarum consuetudinem grammaticus scribendo imitatus est'. Plura de grammaticorum indole ac ratione huius, id est quinti saeculi (cf. Keilius t. V p. 93) vel etiam posterioris aetatis, suppeditat eiusdem Keilii commentatio de grammat. quibusd. lat. infim. aetat. p. 3 sqq. Multum igitur loquacitatis habet Pompeii commentum, utilitatis parum.

Fragmentum 'de versibus'*), quod ex codice Bobiensi editum est in Analectis grammaticis (ed. Vindobonae a. 1837) p. 516 sqq., in Iubae fragmentorum numerum recipiendum esse plena et perfecta argumentatione demonstraturus erat Wentzelius Symb. crit. p. 25, ac reapse demonstrasset, si plus ei otii concessum fuisset. Quod vero pollicitus erat, exiguam saltem partem solvit Quaestionibus metricis Oppolii datis a. 1864 p. 5 sqq., ubi primam fragmenti paragraphum feliciter

*) Praetermittenda nobis sunt alia quaedam fragmenta metrica, velut Berolinensia et Sangallensia, quae maximam partem ex Marii Victorini libris recepta esse vidit Keilius Gramm. lat. t. VI p. 632. Nec quidquam expiscari licet ex excerptis codicis Guelferbytani, quae edidit Heusingerus post Mallium Theodorum p. 71 sqq. Item ab usu nostro recedit Iulii Severi de pedibus expositio ab eodem Heusingero edita ibid. p. 71 sqq., denuo nuper a Keilio p. 641 sqq. Nec aliud dicendum est de eis quae Beda ex antiquorum opusculis scriptorum excerpenda se curavisse scribit (p. 2382 P.). Accurate fontes eius indicavit Wentzelius, inter quos maxime memorabilis est Mallius Theodorus, quem plus semel exscripsit, sed ita ut poetarum latinorum versibus, quos ille posuerat, exempla christiana substitueret. Denique non curo Bonifacium, cui pro fontibus fuere Isidori originum libri et Servii centimeter: cf. Heusingerus l. s. s. p. 86, Wilmannsius Mus. rhen. nov. t. XXIII p. 403.

emendatam ad Iubam revocavit. Postea Westphalius hunc tractatum plane eadem ratione ex artigrapho derivatum esse dixit atque Victorini vel Atilii prototypa, quod quominus altius persequeretur, nullius rei nisi spatii angustiis sese prohiberi scripsit Metr. t. I p. 225. Quare ut hominum doctorum usui satisfieret, nuper denuo rem adgressus est Henricus Keilius scriptione academica Halis edita a. 1873, ubi fragmentum Bobiense quod corruptissimum ediderunt Vindobonenses non modo emendatius exhibuit, sed etiam accurata dissertatione ad Iubae auctoritatem rettulit. Nunc maximam eius disputationis partem repetiit Grammat. lat. t. VI p. 617 sqq. Quibus cum longe plurima eorum, quae ipse in meum usum observaveram, occupata esse videam, paucis me contineo.

Nominis artigraphi in fragmento Bobiensi memoria non fit, sed testimonii instar habendum est, quod duo versiculi quos ibi legimus ab aliis grammaticis Iubae nomine adposito citantur. Sic versum *qualis aquila cita celeribus rapida pinnis transvolat* qui legitur p. X, 13 ed. Keil. Iubae tribuit Mallius Theodorus p. 595, 14; dein versum qui est p. XI, 26 *si qua flagella iugas, ita iuga* ipse Iuba habet apud Priscianum de metr. Terent. p. 420, 24 sqq. Quid? quod prior horum versuum etiam apud Victorinum legitur p. 85, 11, et praeter illum etiam aliud trochaici tetrametri exemplum p. 85, 1 *tale quale vere primo sibilat teres donax* (fragm. Bob. p. X, 5), item tetrametrus brachycatalectus p. 84, 24 *arma qui capit subinde Martiumque tergum* (fragm. Bob. p. X, 1). Nec non lacera ista membra quae nunc exstant de brachycatalecto p. X, 21 sq., eis quadam tenus similia esse quae dedit Victorinus p. 103, 9 recte observavit Keilius l. s. s. p. IV. Unde hoc certe consequitur, tria vel quattuor haec exempla utrumque grammaticum ex communi Iubae fonte hausisse. Accedit autem, quod tetrametri catalectici illud exemplum *tale quale vere primo* e. q. s. etiam apud Atilium Fortunatianum redit p. 288, 3. Denique in ipsa Marii expositione haud ita pauca cum Bobiensi grammatico consentiunt (cf. p. XII, 20 et Mar. Vict. p. 76, 15).

Sed etiam magis ad Iubam revocamur Atilii Fortunatiani

brevi illo quidem tractatu, qui legitur p. 287, 17 sqq., cum nostro fragmento paulo diligentius comparato. Et inde potissimum communem fontem comprobari puto, quod per terna metri trochaici exempla apud utrumque vel eundem ordinem servatum videmus: cf. fragm. Bob. p. IX, 10 *fontium sorores*, 13 *Martium canunt tubae*, 15 *Sol superne qui regis parens deus*. Eadem enim eorundem versuum enumeratio exstat apud Atilium p. 287, 24 sqq. Nec non alia sunt, quibus communis originis suspitio confirmetur: quae legi possunt apud Keilium p. VI. Ipsum autem ordinem illum, quo exempla quae attuli enumerantur, optime convenire cum artigraphi rationibus Keilium non fugit. Scilicet ita Iuba singula quaeque metra explicare consuevit, ut vel a monometro ad maiora adscenderet vel 'a fastigio metri ad minora' (Mar. Vict. p. 86, 20) decurreret. Haec vero metra enumerandi ratio per se valde commendabilis, quam Heliodoro Iuba debuit etiam in enchiridiis suis εἴcθεcιν et ἔκθεcιν accurate observanti, quem ad modum in excerptis Aphthonianis ubivis conspicua est vel etiam in Atilio, ita ne in Bobiensibus quidem frustulis neglegitur: cf. p. IX sq. p. XII. Quamquam non praetereundum est hodie alteram rationem solam, qua per ἔκθεcιν a minoribus ad metra maiora progrediebantur, apud Atilium et grammaticum Bobiensem reperiri.

Ex eis quae supra disputavimus in Heliodoro exscribendo artigraphum ita versatum esse didicimus, ut cum verbis graecis interpretationem latinam coniungeret et utriusque linguae exemplis metra explicaret. Etiam huius consuetudinis luculenta quaedam vestigia in fragmento Bobiensi supersunt, velut in initio p. VIII, 3 sqq.: *Tetrametrum (Metrum* cod.*) catalecticum, ut est apud Aristophanen, quod parodicum (parhoctiacum* cod.*) dicitur ab eo, quod trans scenae viam (trans scabiam* cod.*) chori (chorii* cod.*) id genus carminis canere soleant, ut*

videtis infantem Iovis Tirynthium tenellum

(vidi infantem iouis titynthum sigillum cod.). Sic enim corruptissima codicis Bobiensis verba egregie emendavit Wentzelius in scriptione saepius adlata p. 21. Nec cuiquam dubium erit, qui Wentzelii disputationem inspexerit, quin ex Heliodoro versum

illum sumpserit Iuba latineque reddiderit. Atque ut hoc loco ipsius ut videtur grammatici incuria graecus versus praetermissus est, ita non desunt in hoc genere, in quibus nescio an librariorum potius neglegentia nobis accusanda sit: p. IX, 5 *ut est apud Euripiden;* X, 9 *ut est apud Cratinum;* 11 sq. *ut est item apud Cratinum;* 21 *Tetrametrum hypercatalectum Alcmanos (aicmanos* cod.*)*, ubi tamen vide an sic olim lectum fuerit: *ut est apud Alcmanem* . . . *apud nos* e. q. s., quamquam certa verborum emendatio non parata est. Eadem origo comprobatur scholiorum in Hephaestionem consensu, quorum conferendum est p. 15 7, 3 sqq. ed. Westph.: τροχαϊκὸν τρίμετρον καταληκτικόν, ἢ ἀκέφαλον ἰαμβικόν . . . ἀκέφαλον δέ φαϲιν αὐτὸ εἶναι ὡϲ πρὸϲ ἴαμβον· ἐὰν γὰρ δέξηται ἔξωθεν βραχεῖαν ϲυλλαβήν, ἴαμβοϲ γίνεται.

Denique accedit dicendi genus a grammatico adhibitum nec non artis quaedam vocabula, quae valeant ad id quod diximus confirmandum. Et usos esse video hoc argumento Keilium et Wentzelium, quamquam ut fortasse nimium ei tribuerint. Nimirum cum artigraphum ante oculos haberet grammaticus qui haec composuit, sua sponte factum est, ut etiam orationem fontis sui ille similiorem adhiberet. Velut haec quae leguntur Iubae tribuenda esse ex dicendi genere colligit Keilius l. s. s. p. VII idque non sine specie probabilitatis: p. IX, 3 *ex his in inparibus locis non nisi hi qui brevi (non nisi ni breui* cod.: corr. editor. Vindob. et Keilius) *finiuntur, in paribus universi indifferenter ponuntur;* p. IX, 8 *accipit autem tres trochaeos et non numquam solutione (solutionem* corr. *solutione* cod.) *trochaei tribrachyn... solutio autem fit, quotiens pro una longa syllaba duae breves ponuntur;* p. X, 2 *sotadicum metrum trochaeum admittit et solutiones eius;* p. X, 11 *satyricum, quod complures habeat solutiones;* p. XI, 29 *ut prima pars insequentis versus caesi (in sequenti versu caesurae* cod., quod correxi conl. XII, 3) *indifferenter utrumque pedem recipiat;* p. XII, 15 *anapaesticum metrum constat anapaesto et spondio indifferenter* (*indifferenti* cod.: corr. Keilius) *et solutione anapaesti, proceleumatico pede et dactylo.* Possunt haec, ut cum Keilio loquar, ex Iubae disciplina certis argumentis repeti; exposuit ea grammaticus Iubae doctrina instructus; sed ipsa misera

excerpta artigraphi doctae disputationi adeo dissimilia sunt, ut inter reliquias ea recipere nemo ausit. Ut vero adpareat quanto haec vel ab Aphthonii excerptis distent, comparanda sunt inter se e. gr. ea, quae Bobiensem grammaticum de pedibus metri anapaestici referre modo vidimus, cum eis quae Marius Victorinus de eadem re exponit p. 75, 10. Hunc autem ipsum Victorini locum quam proxime ab artigraphi verbis abesse supra a nobis comprobatum est p. 47.

Sed iam ad aliam quaestionem me delapsum esse video. Nam quoniam complurium indiciorum vi coniuncta de origine horum fragminum satis constat, nobis hoc potissimum quaeritur, quemnam locum eis inter Iubae reliquias dandum esse ratio postulet. Qua de re ut brevi praecidam, quod exempla quae attulit grammaticus recepi plurima, ex ipsius verbis paucissima, in universum non spero condemnabor. Nam ut haec generaliter tamquam ex mente Iubae conscripta esse elucet, ita his frustulis cum magno illo multorumque voluminum opere nihil nisi exempla vel artis quaedam vocabula esse communia primo obtutu edocemur. Nec dubium videatur quin complurium excerptorum opera haec tam misere paulatim mutilata coartataque sint. Quorum excerptorum neglegentia quamquam fieri hodie nequit ut tamquam per varios gradus intellegatur, tamen quid iam primus excerptor qui ipsius artigraphi libros ante oculos habuit diverse instituerit, coniectura adsequi mihi videor. Scilicet cum videret inter grammaticos controversiam esse, a quonam prototypo exordium sumerent, ut ab artigrapho in quo excerpendo totus versaretur aliqua saltem ex parte diversum sese praeberet, ordine Heliodoreo quem Iuba tenuit derelicto ab iambico potius et trochaico Hephaestionis more ille exorsus est, dein dactylicum ceteraque opinor adiecit. Qua de re breviter monuit Goerlitzius part. alt. p. 24 et Keilius l. s. s. p. VII. Postea pluribus ut videtur intercedentibus excerptoribus paulatim haec tam male breviata sunt, vix ut iustae disputationis speciem hodie praebeant.

Haud dissimili ratione f r a g m e n t u m de i a m b i c o m e t r o, quod ex codice regio Parisiensi n. 7530 (cf. Keilius Grammat. lat. t. IV p. XLI, Usenerus Mus. Rhen. nov. t. XXIII

p. 497) ediderunt Vindobonenses in Anal. gramm. p. 521, ad Iubae auctoritatem revocandum est, quamquam exempla metrorum plane praetermissa sunt. Sed nomine metrici adpellato frustulum sic incipit: *Iambicum metrum a monometro hypercatalecto (ypercatalecto* cod.*) usque in octametrum catalecticum (catalecticum* Keilius fragm. Bob. p. VI, *acatalectum* cod.*) Iuba (Iuva* cod.) *teste procedit*, quod octametrum Boiscium ex Iubae commentariis protulerunt Rufinus p. 564, 1 et Victorinus p. 82, 25. Sed etiam verbis quae secuntur, id quod recte observatum est a Wentzelio Symb. crit. p. 24, Iubae doctrinam magnam partem contineri Rufini Priscianique fragmentis comparatis facile cognoscitur. Nec non addere licet etiam inter Asmonii Mariique Victorini excerpta et Parisiensem grammaticum affinitatis quoddam vinculum intercedere. Cf. Goerlitzius part. alt. p. 24 sq. Eius rei luculento testimonio haec sunt verba fragmenti Parisiensis: *sed latini comici, dum satis student communibus fabulis et gestiunt comoedias ad sermonem vitae vocare, corruperunt leges iambi.* Quibuscum convenit Victorino p. 81, 1: *ita dum cotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant studio, non imperitia* e. q. s. (quamquam haec extrema verba fortasse ex Terentiani versu 2237 fluxerint), vel etiam magis Asmonius apud Priscianum de metr. Terent. p. 420, 2: *comici poetae laxius etiamnum versibus suis quam tragici spatium dederunt et illa quoque loca, quae proprie debentur iambo, dactylicis occupant pedibus, dum cotidianum sermonem imitari volunt et a versificationis observatione spectatorem ad actum rei convertere, ut non fictis sed veris affectionibus inesse videatur.* Ut aliis ex alio grammatico vel additis vel resectis fortasse genuina artigraphi verba emergant. Certe etiam Parisiensis fragmenti rationem habere debuit Keilius, cum in hunc Iubae locum inquireret de Mar. Vict. arte gramm. p. VI. Item neglexit hoc fragmentum Bergkius Philol. t. XVI p. 642 sqq. Sed his ipsis grammaticorum locis inter se conlatis cum satis perspicuum sit minutum hoc frustulum satis neglegenter ex Iubae mente transscriptum esse, nihil reliquum est nisi ut eadem ratio, quam modo in fragmento Bobiensi sequebamur, etiam in Parisiensi teneatur. Solito igitur more initium solum frag-

menti, cui ipsum artigraphi nomen adpositum est, in contextum recepi.

De Atilii Fortunatiani fontibus, metrici incertae aetatis, hodie difficile est iudicare. Ipse diversos, ut videtur, fontes innuit p. 294, 5: *cetera partim in Horatio recognosces, partim in archetypis auctorum libris, unde haec nos excerpsimus.* Quod ne tamquam rhetorum more dictum accipias vel de compluribus eiusdem scriptoris libris cogites, obstant ipsius verba quibus nobilem quendam adulescentem, ad quem misit librum, adloquitur p. 278, 15: *sed, ut ille ait* (Sall. Catil. c. 4), *carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, de multis auctoribus excerpta perscripsi. quod si omnia velis cognoscere et nomina et genera metrorum, cum tibi ab oratoria otium fuerit, veteres lege musicos (lege musicos* Keilius, *legemus AB, lege* ς), *id est, ut ait Lucilius, archetypos (archetypos* Keilius, *Archetypa* ς, *archeotypa B, archeotyra A* et cod. Ambros.), *unde haec sunt omnia nata.* In horum autem auctorum numero fuisse Iubam, quantum ad prototyporum expositionem attinet (p. 283—291), supra exposui praeeunte ex parte Westphalio Metr. t. I p. 224 sq. Quod confirmatur non solum eo, quod etiam p. 291, 1 (ubi de paeonico agitur) exemplo latino Iubae more versus graecus praemittitur, sed etiam Victorini et in primis grammatici Bobiensis, de quo supra monui, crebro consensu. Sic exemplo quod legitur p. 281, 19 et 287, 1 *valles per imas* versiculi conmonemur, quo Iuba utitur apud Rufinum p. 562, 6 *valles per imas amne labens caerulo.* Exemplum *veris coma florens* et Atilius habet p. 289, 7 et Victorinus p. 90, 29. Verba inter se conspirant, ut huius quoque generis exemplum promam, fragm. Bob. p. X, 3 ed. Keil. *quadratum eo quod quattuor metris constet* et Atil. Fortunat. p. 288, 4. Quid? quod in fragmento Bobiensi p. IX, 10 sqq. tria vel quattuor trochaici metri exempla vel eodem ordine redeunt: cf. Atil. Fortunat. p. 287, 24 sqq. Quocirca proclive fuerit suspicari eidem Iubae grammaticum etiam aliorum auctorum, unde sua se excerpsisse praedicat, notitiam debere. Et favebit huic iudicio, quod nec Philoxenum ab eo consultum esse (p. 302, 20) nec alios 'Graecos magistros', quorum memoriam inicit p. 295, 16, ab ipso inspectos esse satis pro-

babile est (cf. 'Heliod. Unters.' p. 135). Item convenire hoc dicet quispiam cum doctrinae specie quam adfectat scriptor utpote Lucilianum illum versum sine necessitate interserens p. 278, 19. Sed ne pro certo hoc sumamus quod haud contemnenda sane indicia suaserint, totum Atilium ab artigrapho pendere, unum quiddam impedimento est, quod perspexit Wentzelius Symb. crit. p. 12. Luculentis enim me iudice exemplis comprobavit, etiam Caesii quod nunc vocamus fragmentum vel (quod mihi addere liceat) consimilia eius excerpta Atilio ad manus fuisse. Huc enim redit quod scripsit olim vir doctus l. s. s.: 'tantus aliquotiens inter utrumque Fortunatianum animadvertitur consensus, ut alter alterum ad verbum paene expressisse videatur'. Neque igitur Keilio dubium est Gramm. lat. t. VI p. 253, quin partim Caesium Bassum partim Iubam Fortunatianus secutus sit. Quam auctorum diversitatem quodam modo confirmari putaverim etiam doctrinae inconstantia, quam perspicies his locis inter se comparatis: p. 280, 17: *bacchius ex duabus longis ct brevi, antibacchius cx brevi et duabus longis;* p. 292, 26: *et de anapaestico nasci logaoedicum metrum videmus, si metrum anapaesticum palimbacchio concluseris, graece* ἀγέτω θεός, οὐ γὰρ ἔχω δίχα τῶνδ' ἀείδειν e. q. s.; p. 300, 21: *primum colon* (scil. *Lydia dic per omnis*) *dimetron catalccticum est. sed quo minus choriambicum esse videatur integrum, facit ultimus bacchius: nam similiter in secundo colo affectavit in ultimo bacchium habere;* p. 302, 2: *quartum* (scil. *flumina constitcrint acuto*) *compositum est ex penthemimeri et bacchio.* Conferenda sunt inter se etiam Atil. Fortunat. p. 281, 1 et Mar. p. 47, 5. Licet autem haec nominum incongruentia per se ipsa rem non decidat, attamen quod cum Wentzelii observatione optime ea convenit, non neglegenda erit. Quocirca non modo Iubae copias sed etiam excerpta Caesianis haud dissimilia ab Atilio adhibita fuisse vel certum puto vel probabile (cf. supra p. 77). Inde vero nostram de Iuba quaestionem impeditiorem reddi sua sponte adparet. Nam graecorum exemplorum, quae unde ille petierit scire nostra maxime interest, nunc elucet alia eum potuisse haurire ex Iubae thesauris, alia ex opere Caesiano. Quamquam enim in eo libri fragmento, quod nobis

servatum est, cavit Caesius ne latinis interponeret exempla graeca, tamen id in aliis operis partibus vitatum esse ipse negat p. 272, 7. Ut eisdem dubitationibus obstricti simus, quibus supra ubi de Mario Plotio pauca disserui. Nam ut maxima sane exemplorum illorum pars ex Iuba ad Atilium pervenerit, tamen rem ita se habere fatendum est, fere ut in singulis nihil liceat certi adfirmare. Et cum id quod de 'multis auctoribus' adserit, hac saltem ex parte confirmari videatur, equidem posteriorum alicuius Graecorum enchiridium adhibuisse Atilium non quovis pignore negaverim (cf. Wentzelius l. s. s. p. 11). Ceterum Terentiani libros a Fortunatiano non adscitos esse supra monui p. 91.

Rationem si quaeres, qua in artigrapho excerpendo Atilius versatus sit, primum notanda est scriptoris eius cui studet artis insignis imperitia, quam satis habeo paucis his locis significasse: p. 286, 26 *dimetrum hypercatalecton [ut] 'valles per imas'*; 287, 21: *dimetrum hypercatalectum 'nympha rorida'*; 288, 7. 20: cf. Keilium ad p. 287, 25. Dein qui perspexerit, quam tenuis sit tota libelli condicio, non mirabitur quod, quamquam in universum Iubae fere viam ac rationem tenebat, tamen a verbis scriptoris, cuius egregios thesauros in brevissimam epitomen redegerit, in singulis longe remotus est. Quo fit ut plerumque sola exempla cum illo communia habeat (cf. p. 287, 9. 288, 3. 8. 16. 22. 289, 7. 16. 21. 290, 10. 24. al.). Scribendi genere utitur pro re nata satis sterili quodque nimia interdum displiceat eorundem verborum iteratione. Quamquam hic quoque ut in tot similibus quaestionibus nos nescire fatendum est, ipse scriptor haec tam misere decerpserit an librariorum potius socordia culpanda sit. Grammaticum neglegentius scripsisse putavit Bergkius in commentatione academica beneficii Thielemanniani lege edita Halis a. 1863 p. 3, quamvis orationis scabritiem aliquo modo excusaret. Velut in eis quae durissime dicta leguntur p. 295, 19 *asclepiadeon metrum vocatur, non quod repertor eius Asclepiades fuerit, sed quod eo familiarius et frequentius sit usus, ante illum enim usi Alcaeus et Sappho hoc integro usa est libro quinto*, inconcinnum dicendi genus inde repetiit Bergkius, quod in Iubae commentariis, quos ei hoc quoque loco vide-

tur grammaticus exscripsisse, graecum exemplum additum fuisset, velut *usi Alcaeus, ut* ἦλθεϲ ἐκ περάτων γᾶϲ ἐλεφαντίναν κτλ. *et Sappho — usa est.* Eadem verba corrupta potius putavit vel festinantius a librariis descripta Hertzius in Fleckeiseni Annal. a. 1866 p. 580, ubi locus sic emendatur: *ante illum enim usi Alcaeus et Sappho. Sappho hoc integro usa est libro quinto.* Sed quamquam lenitate sua haec coniectura commendatur, unus quisque animadvertet ne sic quidem sermonis infantiam prorsus removeri: cf. *sit usus — usi — usa est.* Suo igitur iure Keilius Bergkii fere rationibus adstipulatus haec adnotavit p. 296 ad l. s. s.: 'abruptum dicendi genus, quo saepius hic grammaticus usus est, neglegentiae excerpendi tribuendum est'. Verum aliud quiddam non neglegendum erit. Scripsit tractatum suum grammaticus ad nobilem quendam adulescentem de metris Horatianis, quae saepius ille flagitaverat (p. 278, 11). Et quo magis haec quibus intendit metricus in aperto esse possint (p. 278, 14), intellegit antea sibi de metris principalibus percurrendum esse. Per litteras igitur tamquam tradit adulescentulo illi ea quae 'carptim, ut quaeque memoria digna videbantur' ex archetypis auctorum libris conscripserat. Quod laxius et solutius dicendi genus etiam eo proditur, quod adulescentem non solum in initio opusculi sed etiam in eis quae secuntur saepius adloquitur: cf. p. 279, 2: *ne onerare te videar* e. q. s.; 6: *ergo omissis omnibus quae iam nosti admonendus es* e. q. s.; 10: *de consonantibus hoc velim te diligenter tenere;* p. 284, 14, p. 291, 5, p. 294, 5, item p. 294, 9 ubi scribendum est: *admonitum (te) velim* conl. p. 279, 6, p. 295, 16.

Haec pauca, quae de fontibus Atilii, de excerptorum exilitate, denique de peculiari libelli ratione ac stilo monuimus si comprehenderis, ad instaurandam Iubae memoriam multo minoris momenti esse haec excerpta mihi concedes, quam eis non poterant non videri qui Westphalii de Atilio iudicium amplexi sunt. Ut eadem cantilena, quam saepius canebamus, hic quoque repetenda sit. Aliter profecto res se haberet, si uno quoque loco, quid ex Basso petierit grammaticus, quid ex Iuba aliisve decerpserit, pro certo liceret adfirmare. Nunc ut res se habet, magnopere cavendum erit,

ne consensu illo decepti, qui inter Atilium Victorinum Diomedem alios haud ita raro intercedit, statim artigraphum elicere nobis videamur. Quocirca Atilii verbis plerumque inter testimonia relegatis ut vel sic Artis memoria quadam tenus suppleretur operam dedi.

De Diomede quoniam in superioribus uberius disserui (cf. p. 38. 43 sqq. 103 sq. 121 sqq.), verbum non addo. Item supersedeo coniecturis indulgere de Flavio Sosipatro Charisio, qui ut in aliis ita in rebus metricis cum illo plerumque consentiat. Cf. supra p. 46 et Usenerum in Mus. rhen. nov. t. XXIII p. 503, n. 4. Quam congruentiam qui reputet, propensior erit ad credendum Iubae Arte grammaticum non usum esse. Ceterum aetatem Charisii accuratius definivit Usenerus l. s. s. p. 492. Incerta denique res erit de Albino, quem de metris scripsisse ex Victorino discimus de metris et de hex. p. 211, 23: cf. Wentzelius Symb. crit. p. 55.

Fortasse suspicabitur quispiam Augustini de musica libros a popularis metrici Arte non alienas esse, si quidem etiam Terentiani versiculos haud raro ille exscripsit (cf. II, 21 t. I ed. congreg. S. Mauri a. 1700 p. 348, IV 30. 31 p. 369). Certe properantius rem egit Westphalius, cum miro sane operi et hariolationum pleno nihil cum reliquis artis scriptoribus commune esse diceret Metr. t. I p. 129 (cf. 'Die Fragm. u. die Lehrs. der griech. Rhythm.' p. 19). Haud pauca enim e Varrone hausta esse vidit H. Weilius in Fleckeiseni Annal. a. 1862 p. 336 sqq., quod confirmavit Wilmannsius in libro saepius adlato p. 65. Atque ut in opere de civitate dei Varronem et Ciceronem ab Augustino exscriptos esse constat, ita nihil impedit, quominus idem statuatur de disciplinarum libris, quorum sola hodie servata est pars quae de musica est. Unde cavendum esse liquet, ne ea quae Varronis sunt ex Iubae opere ad Augustinum pervenisse ponamus, cum praesertim id Caesio demum intercedente fieri potuisset. Nec alia apud Augustinum Iubae indicia satis certa sunt. Non nego paucas quasdam observationes metricas paulo similius ab utroque propositas esse, velut ea quae de differentia rhythmi et metri leguntur de mus. III 1. 7. p. 350 E sq. 355 F, de pedibus quos ad tetrasyllabos usque perse-

quitur II 8 p. 345 D sq., de versus longitudine III 9 p. 358 C; IV 12 p. 364 C (cf. Mar. Vict. p. 83, 21), de ultima indifferenti IV 1 p. 357 E, de periodo vel circuitu IV 17 p. 370 E; V 13 p. 380 C. Sed haec rara convenientia partim Varronis quem attigimus usu perspicitur partim ad nimis vulgaria pertinet eaque quorum scientia ex quovis alio commentario metrico poterat parari. Neque igitur premendum duco, quod vel artis quaedam vocabula Iubae propria apud Augustinum redeunt (cf. e. gr. III 5 p. 354 B: *quod ad spatium temporis pertinet, pro una longa syllaba duas posse poni breves*), cum praesertim non desint ab illius usu distantia (cf. e. gr. II 10 p. 347 A *levatio et positio*). Ceterum et diversissimum utriusque consilium fuisse adparet et Augustinus singulari suo arbitrio ac putida verbositate eo plerumque adductus est, ut veris falsissima inmisceret ac plurimos doctrinae locos (velut ubi de silentiis agitur) mirum quantum perturbaret: cf. Weilius l. s. s. p. 338. Neque igitur obtinui a me, ut Augustini aliquot verba inter artigraphi reliquias reciperem.

Reliquum est, ut de auctoritate Iubae iudicium fiat, quo extremo disputationis loco simul gravissima quaedam supra disputatorum, quantum quidem ad ipsum Iubam pertinent, comprehendam.

Fuit sub finem saeculi tertii Iuba grammaticus latinus, Maurus ut videtur natione, non ille quidem regiis proavis, sed praeclarae eruditionis fama insignis (cf. p. 3 sqq.). Artem metricam quam scripsit bipertitam esse voluit. Octo libris prioribus Heliodori potissimum rationes transtulit, quattuor ut videtur insequentibus Caesii Bassi de metris librum expressit*). Priore et ampliore operis parte elementa artis

*) Diverse de ratione inter Caesium Iubam Aphthonium intercedente iudicavit Keilius in praefatione ad Victorini libros serius publici iuris facta, quam ut supra eam respicere mihi liceret. Dubitari autem posse existimat, num Caesii librum Iuba adhibuerit l. s. s. p. XVII. Cui dubitationi si vere locus esset, nihil reliquum esset nisi ut ipsum

prototypaque explanata erant, posteriore metra derivandi rationes exsequendas sibi sumpsit. Atque elementa artis primis duobus voluminibus explicavit (cf. p. 22), de metris decem egit libris tertio quarto quinto sexto septimo, volumine octavo de asynartetis et polyschematistis exposuit (vid. p. 17 sqq.). Hi sunt libri 'didascalici', quam significationem quin ex ipso Iuba retinuerit Aphthonius, diligentissimus eius excerptor, non dubito (cf. Mar. Vict. p. 68, 20 n. et p. 99, 20 n.). 'Pragmaticorum' dispositio, quibus rationes Caesianae continebantur, hodie minus certa est, quamquam veri similia secuti videmur supra p. 27.

Hinc iam intellegere licet quid Iuba praestitisse iudicandus sit. Nimirum ex graecorum et latinorum grammaticorum numero metricos duos potissimum delegit eosque clarissimos, quos strenua manu volveret et pertractaret, studiosissime transferret et excerperet. Neque est cur inter eos habeatur,

---

Aphthonium libro Caesiano usum fuisse statueremus. Sed hoc probabilitati repugnare persuasum habeo. Nam ut ab Iuba etiam antiquiorum metricorum aliquem adscitum esse consentaneum est, ita Aphthonio, cuius nusquam apud metricos mentio fit, Caesii cognitionem tribuere dubito. Nec negat Keilius esse quaedam, 'quae Iuba auctore (ex Caesii libro) videantur recepta esse': id quod supra a nobis longiore disputatione effectum est p. 78 sqq. 96 sqq. Nec magis Keilio adstipulor in eo quod Terentiani libris Iubam usum esse arbitratur l. s. s. p. XVI sq. Cuius rei quae indicia vel argumenta esse voluit, eis non moveor. Ac de versibus apud Mar. Vict. p. 123, 20 Faliscis supra monui p. 91, de duobus versibus falso Septimio adscriptis Mar. Vict. p. 122, 15 initio libri disputavi p. 10 sq. Restat tertius locus, quo Keilius utitur, Mar. Vict. p. 80, cuius de iambico metro disputationem Terentiani doctrinae plenam ad artigraphum referendam esse censuit. Sed quod ad initium loci attinet p. 80, 1—7, ab Aphthonio demum Terentiani versus adscitos esse mihi vel comparatis eis, quae ex Iuba de iambico metro rettulit Rufinus p. 562, 11 sqq., comprobatum est. In eis vero quae sequuntur aut idem valet aut Marii cum Terentiano congruentia inde repetenda est, quod et Iuba et Maurus Caesium exscripserant. Ut autem in his gravissimis quaestionibus Keilio obtemperandum non duxi, ita quam multa ei accepta referam grato animo profiteor. Cuius viri praeclara et indefessa industria nisi hoc effectum esset, ut grammaticorum opera emendata hodie legantur, aditus his studiis prope omnis praeclusus esset. Nunc nulla fere pagina exstat, quin Keilii memoria fiat vel doctrinae vel sagacitatis.

qui priorum, quorum opera exscribunt, nomina callide taceant vel, ut lectori imponant, maligne eos impugnent: alioqui frustra quaereres Heliodori nomen tantis laudibus in Victorini libris elatum. Minus abhorruisse Iubam existimaverim ab isto grammaticorum more, quo auctorum a se ipsis lectorum speciem adfectabant, quorum notitiam ex posteriorum demum enchiridiis petierant. Sed ut fere omnium quotquot perlustres grammaticorum hoc vitium commune erat, ita laudi ei vertendum est, quod tales potissimum scriptores adibat, quorum libris etiam de priorum auctorum doctrina commode instrueretur. Sic Aristoxeni (cf. supra p. 53), Philoxeni (p. 35), Varronis (p. 63) notitiam explicandam puto. Nec priscos poetas Romanos, quorum saepe versus excitat, omnes ipse legisse censendus est: plurima eius generis exempla Caesiano libro accepta rettulit (cf. p. 70. 82). Terentiani, qui ipse quoque Bassum expilaverat, libros Iuba non adhibuit (cf. p. 84 sqq.). Nec tamen alios leviter saltem ab ipso inspectos esse praefracte negaverim (cf. p. 83). Certum est eum posterioris suique aevi poetas novellos, qui metrorum varietate et insolentia eminerent, in partes vocavisse (p. 83 sq.). Erat igitur in Iuba excellens quaedam et eximia doctrina, quippe qui nobilis metrici graeci thesauros aeque ac Bassi librum in suum usum converteret. Atque ut ingenti utriusque linguae exemplorum copia eius opus splendebat, ita in eis maxime doctrinae locis, qui utriusque systematis communes erant (cf. supra p. 25. 53. al.), fieri non poterat quin graeci magistri verba, quae in sermonem latinum vertenda erant, Romani metrici praeceptis aptissime vel inlustrarentur vel supplerentur. Non minus laudo in Iuba, quod ordinem eorum quae exposuit ratione et via instituit, id quod in priore potissimum Artis parte hodieque animadvertere licet. Nam decem metra quinque voluminibus pertractans bina quae inter se responderent singulis libris comprehendit (p. 19 sqq.). Oratione utitur rei quam tractat valde accomodata quaeque satis placeat elegantiae quodam studio, maxime adhibita varietate dictionis et ubertate, quamvis non numquam fusius sequatur et verbosius genus dicendi nimisque ad usum Graecorum conformatum (cf. supra p. 112 sqq.).

Sed quamquam ea qua diximus ratione Artem suam omnium opinione ornatissimam exstruxit, quod omnino duo inter se diversissima systemata unius operis continuitate repraesentabat, vituperationem effugere nequit. Nam cum intellexisset metricus, Heliodori Caesiique systemata in unum quasi coniungi salva ratione metrica non posse, consequens erat ut in extrema operis parte qua derivata explanavit prorsus recederet ab eis rationibus, quas antea Heliodoro duce per octo libros secutus erat. Nec bipertita haec et inconcinna libri indoles satis excusationis inde habet, quod octo prioribus libris reliquos tamquam ‘pragmaticos’ adnexuit. Neque enim nova hac adpellatione invecta metricarum rationum iste dissensus, quo priores et extremi Artis libri inter se dissidebant, ullo modo poterat dissimulari. Ac si eis, quae per priora volumina Heliodoro auctore exsecutus erat, alios voluit libros pragmaticos adiungere, hoc ita fere institui potuit, ut velut in usum scholarum non modo Horatii, cuius metra exponere solebant, sed etiam aliorum vel graecorum vel latinorum poetarum tamquam colometriae proponerentur, quo certe id effectum esset, ut metrorum doctrina, quam in didascalicis exposuerat, nova hac pragmatica ratione comprobaretur. Nunc autem ita res se habet, ut Caesii doctrina adglutinata non unum, sed duo quasi opera sub unius Artis titulo evulgasse videatur. Accedit quod, quamvis in universum ne duo illa systemata miscerentur operam daret, in singulis ad distinguendas utriusque rationes non satis valuit (cf. supra p. 80), praesertim cum etiam in prioribus octo voluminibus Caesii auctoritate carere nollet (cf. p. 25). Erat igitur ut multae lectionis ita parum subacti iudicii calamoque promptior quam ingenio. Et licet largiendum sit temporum iniquitate eum debiliorem esse plurimaque eorum quae falsa protulit auctoribus potius quos sequitur quam ipsi vitio danda esse (velut quae de longa longioribus disputat, de arsi ac thesi, de spondei solutionibus, de metro antispastico, de metrorum multiplicationibus, de metrorum derivandorum ratione aliisve doctrinae locis): in intimam rei scientiam non magis eum quam prioris aevi grammaticos penetrasse his ipsis manifestum est. Nec dubium mihi videtur quin non nulla, quae apud priores rectissime

se habebant, a Iuba confusa sint. Quid enim? litteris graecis, quarum cognitione ei quam maxime opus fuisse consentaneum est, imbutus erat, non perfectus, sermonis graeci studiosior erat quam peritior. Nihil ut mirum sit, quod et ipse gravibus non numquam erroribus inplicatur (cf. supra p. 47. 136. 148) nec semper aliorum vitia perspicit.

Sed ne iusto iniquiores videamur, et temporum ratio habenda erit nec aliorum metricorum comparatio plane neglegenda. Nolim igitur obliviscaris vel Varronem, cum in diversis librorum suorum partibus diversos sequeretur auctores, de artis vocabulorum inconstantia vel discrepantia praeceptorum fuisse securum (cf. Wilmannsium l. s. s. p. 41 n. 1). Quod autem Romanorum omnium eruditissimo acciderat, id ei qui in labentis doctrinae tempora detrusus esset, libentius ignoscetur. Nec illud praetereundum est, quam remotus sit artigraphus ab eorum disciplina, qui ut Diomedes aliique prototypa cum derivandi rationibus inconsona quadam coniunctione in unum copulabant (cf. supra p. 44 sq.), ut haud paucos rei metricae auctores etiam iudicio ille praecurrerit. Inter omnes autem 'auctoritatem primae eruditionis obtinuit' tali nimirum de metris opere confecto, quo num amplius umquam fuerit inter Romanos dubito. Sic languescenti artis metricae studio novum vigorem attulisse Iubam ne morosissimus quidem iudex infitiabitur. Commentarii eius posterioris aevi grammaticis pro fundamento erant. Quanto vero studio eius Artem plerique arripuerint, id iterum exponere longum est.

IUBAE

ARTIS METRICAE

OCTO LIBRORUM PRIORUM RELIQUIAE.

Libri manu scripti, quorum lectiones dedi, sunt codices ab H. Keilio conlati vel adhibiti. Grammaticorum contextum qualem Keilius constituit plerumque usurpavi in adnotatione superiore.

LIBRI I—II.

Solissimam rem dicit Iuba de hac re: dicit ‘mihi videtur illius rei causa scribi per k, ideo sic fuisse conpositum, ut, quando sententiam a iudicibus accipiebant, per k scriberent caput, quasi condemnatio capitalis, quod hoc ipsum caput per k condemnaretur’.

TESTIMONIA 1 *Pomp. comm. art. Don. p. 110, 3:* mutae sunt novem, b c d g h k p q t. ex his duae superfluae videntur, k et q, quoniam pro illis c potest poni. nihil interest, utrum per k scribas an pér q an per c. nihil interest, tamen est aliqua differentia. apud maiores nostros longe aliae regulae fuerunt, apud nos longe aliae sunt. maiores nostri quotienscumque a sequebatur, per k scribebant: puta kanna karus kalamus totum per k scribebant, quoniam a sequebatur. modo non scribuntur nisi duo admodum verba, Karthago et Kalendae, et, ut dicit ille*(?)*, quod falsum est, caput. modo enim per c scribitur;

ADNOTATIO CRITICA *A = codex Wolfenbuttelanus Weissenburgensis 86, B = Parisinus Sangermanensis 1179, C = Parisinus Sangermanensis 1180, a = codicis A corrector antiquissimus, b = codicis B corrector, L = codex S. Pauli in valle Lavantina 24.* 1 solissimam *AB* stultissimam *Cb* solisimam dicit iuua de hac re dixit mihi uidetur illis rei causa scribi per k ideo sic fuisse possitum ut quando sententiam a iudicibus accipiebant per k scribebant quando nolebant significari solissimam kapiton kaput quasi condemnatio capitalis *L* potissimam, ratissimam, aptissimam, scitissimam *vel* subtilissimam *lusit Mercklinus Philol. t. IV p. 206* notissimam *Goerlitzius part. alt. p. 22 n. 1* stolidissimam *coniecit Christius* solitariam litteram dicit Iuba. de hac re mihi videtur solius rei caput scribi per k, idque sic fuisse compositum *ten Brinkius Iubae Maurusii rel. p. 8.* de hac re dicit mihi *Ca* de hac re mihi *AB* 2 ideo si fuisse *C* *verba* ideo sic fuisse — condemnatio capitalis *ex interpretamentis orta esse iudicat Christius*

2* * e quibus primae potestatis quinque vocales existunt a e i o u, quae gemina virtute temporum praeditae, dum corripiuntur aut acuuntur, longas et breves syllabas metris praestant. Unde eas haud immerito nostri auctores dichronos pronuntiarunt, eoque fit ut graecis vocalibus, quamvis numero inferiores, potestate tamen ex aequo respondeant. Omnis autem syllaba, cum correpta in se vocalis est, unius temporis; cum producta, duorum accipit potestatem. Tempus autem est spatium morae, per quod syllaba longa extenditur,

---

antiqui per k scribebant, quando volebant significari quod a sequebatur. solissimam rem — per k condemnaretur. hanc dixit ille rationem. ergo modo nos per c scribimus. item antiqui nostri, quotiens u sequebatur, per q scribebant. modo est regula optima, melior ab antiqua. numquam possumus nos per q scribere, nisi post q sequatur u et post u alia sequatur vocalis, ut puta quia ideo per q scribimus, quia post u sequitur vocalis. si autem non sequatur alia vocalis, per c scribimus, ut si dicamus cum, per c scribimus. quare? quoniam post u non sequitur alia vocalis. ideo per c scribimus, quoniam consonans sequitur.

2* *Mar. Vict. p. 31, 17:* quibus primae — syllabas faciunt. *Terentian. Maur. 1300—1334. 342—389. Atil. Fortunat. p. 279, 23, Pomp. comm. p. 111, 27:* tamen etiam abusive dicimus syllabas de singulis vocalibus factas, ut est a: amor, ecce a littera est, et tamen potest syllaba dici, sed abusive. non est enim conceptus litterarum; sed hoc abusive illa proprie syllaba est, quae de multis litteris fit, illa abusive, quae de una vocali constat. syllaba ergo proprie dicitur quae de multis litteris facta est, abusive quae de una vocali facta est. *Mall. Theod. p. 586, 13:* usu autem inveteratum est, ut etiam nulla litterarum congregatione facta solas per se eas, quae vocales nominantur, syllabas esse dicamus. *Mar. Vict. p. 32, 24:* diximus

---

A = codex Palatinus 1753, a = eiusdem codicis corrector antiquus, a = eiusdem codicis corrector recentior, B = codex Parisinus 7539, Val. = codex Valentinianus M. 6. 10 ex Palatino codice descriptus, cuius scripturam in eis quae in Palatini codicis scriptura correcta vel incerta sunt indicavit H. Keilius, ς = editio princeps Ioachimi Camerarii Tubingae a. 1537, ed. Sanctandr. = editio apud Petrum Sanctandreanum a. 1584. Primum igitur locum tribuit Keilius Palatino, secundum Parisino 'cum illo plerumque accurate consentienti, cuius scriptura e Gaisfordii editione repetita est'. Ubi dubitari poterat num recte Parisini scriptura indicata esset, principis editionis notam ante notam codicis posuit, ut discrepantiam codicis non adnotatam esse significaret. Accurate has rationes quas sequendas duxi exposuit Praef. ad Vict. p. VII sqq., ubi codices descriptos invenies.* 1 *initio truncatam esse hanc disputationem vidit Keilius de Marii Vict. art. gramm. p. VIII* e *add. Christius, om. A B ς* 5 vocalibus] uocabulis *B*

brevis vero contrahitur. Ipsa praeterea vocalis per se, id est sine societate atque adminiculo consonantis, vocis orationisve qualibet parte completa abusive syllaba nuncupata: in a littera 'a virgo infelix', in e 'e terra magnum alterius spectare laborem', in i 'i nunc, ingratis offer te irrise periclis', in o 'o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos', in u affectus ingemiscentis seu eiulantis personae plerumque apud tragicos seu comicos reperitur, vel si ex composito accipias, 'uvidus hiberna venit de glande Menalcas'. Rursus duae inter se vocales iugatae ac sub unius vocis enuntiatione prolatae syllabam faciunt natura longam, quam Graeci diphthongon vocant, veluti geminae vocis unum sonum, ut ae oe au. His seu simplicibus seu coniunctis conexae reliquae litterae, quod sonum vocis augeant crassioremque efficiant, consonantes vocantur. Quae in duas partes diremptae semivocales quidem septem dabunt, id est f l m n r s x, ex quibus liquidae, quas ἀμεταβόλας sive ὑγράς Graeci vocant, sunt quattuor, l m n r, ideoque subiectae mutis litteris, quae in tertio haben-

---

igitur litteras in duas species, id est vocales consonantesque, discerni, quarum alias, sine quis syllaba coire vix potest, vocales, alias, quae coniunctae superioribus vocis sonum adiuvent et sensum auribus ex utriusque coniunctione velut geminum adferant, consonantes appellari; eas quoque in duas partes, id est semivocales mutasque, digeri. *Cf. quae supra disputavimus p. 89. 107.*

---

3 nuncupatur ς 4 a virgo] *Verg. bucol. 6, 47* e terra] *Lucret. II 2* 5 i nunc] *Verg. Aen. VII 425* 6 o mihi] *Verg. Aen. VIII 560* 7 seu eiulantis ς seu heululantis *A* seu heu iulantis *B* 8 reperiuntur ς uvidus] *Verg. bucol. 10, 20* 12 unum *in marg. add. A* sonum a ut ae *A* 13 quae sonum uoci *B* 14 crassioremque *Keilius* crassioresque *A B* ς 16 liquidae sunt quattuor, l m n r, quas ἀμεταβόλας sive ὑγράς Graeci vocant, ideo quod subiectae sint mutis litteris — et in declinatione — speciem in alias (*vel* ut aliae) deflectantur atque mutentur *temptavit Keilius. Malim verba sic transponere* ex quibus liquidae, quas ἀμεταβόλας sive ὑγράς graeci vocant, sunt quattuor, l m n r, quod in declinatione verborum seu nominum — speciem ut aliae deflectantur atque mutentur. Ideoque subiectae mutis litteris, quae in tertio habentur tam ordine quam potestate, quae sunt b c d g h k p q t. Qua condicione etiam in metris communes syllabas faciunt.

tur tam ordine quam potestate, quae sunt b c d g h k p q t, in declinatione verborum seu nominum numquam a proprio tenore ac legitimo positionis suae ordine divulsae atque in alteram litterarum commigratione translatae speciem, ut alia deflectantur atque mutentur. Qua conditione etiam in metris communes syllabas faciunt.

3* A Ob naturaliter brevis est, sicut et re et ad, sed plerumque producuntur hac ratione: obicio, reicio, adicio; i habent vocalem sequentem, quae per declinationem potest in consonantis formam transire, ut obieci, reieci; ergo i, etiam antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis et praecedentem longam facit.

3 B Superius de his particulis secundum Iubam artigraphum tractavimus, sed dicunt alii istas monosyllabarum ratione vel produci vel corripi. Sane sciendum naturae esse, ut breves sint: euphoniae vel Iubae ratione in compositione producuntur, si i sequatur, quae licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonante haberi, ut obicit, obiecit, subicit, subiecit.

4* Igitur syllaba brevis tempus unum, longa duo neque

3* A *Serv. in Verg. Aen. IV 549:* Ob naturaliter — longam facit.

3 B *Serv. in Verg. Aen. V 522:* Superius de his — subiicit, subiecit. *Mar. Vict. p. 35, 21:* positione vero octo modis, ut supra relatum est, fiunt. ex quibus sex videntur aperti; de septimo etiam nunc tractemus: si correpta per se vocalis littera sequentem i habeat inter duas vocales constitutam, ut 'Troiaque nunc stares'. hic enim o litterae vocali correptae infertur i littera pro duabus consonantibus accipienda, quamquam et geminata i scribere iubeamur, ut 'proiiecit fluvio penitusque in nubila fugit'. alii oi diphthongon volunt esse, ut sit pes dactylus prima syllaba natura longa, troi, sequentibus duabus brevibus, a et que, hoc u littera facere nequibit, eodem quo i (quot *lib.*) si fuerit loco. nam ita ponuntur hae duae litterae in syllabis, ut exigente ratione interdum sint vocales pro suapte natura, interdum consonantes, quia et praelatae et subiectae aliis vocalibus coeunt et syllabam reddunt, quod reliquae facere non possunt ut [eaedem et consonantes sint et vocales]. nam cum et inter se geminantur et cum aliis iunguntur, prima earum quae in syllaba fuerit evidenti ratione consonans erit, quippe cum vocis sonus in subiecta tantum vocali audiatur, ut iaculum Iuno vota vultus et his similia. octavo, si correpta vocalis desinit in consonantem, qua pars orationis finiatur, et sequens syllaba a vocali incipiat, ut 'hoc erat' et 'hic ait'. *Cf. Pomp. comm. p. 105, 30 sqq.*

4* *Mar. Vict. p. 34, 25:* Sed ut ad propositum nobis redeam, discussa litterarum tam enuntiatione quam potestate, quod cumulo

amplius recipit, ex quo evenit plerumque metri necessitate cogente ut pro syllaba longa duae breves aut pro duabus brevibus una longa ponatur, id quod in [trimetris] anapaestis iambo et ceteris huius modi versibus datur cognoscere. Neque enim haec commutatio numero metrorum officit congruentibus sub utraque lege temporum spatiis atque momentis.

---

plenissimae eruditionis aptum ac necessarium praeterire absurdum foret, consequens erit de syllabarum natura et conexione tractare (nam ideo dicta est syllaba, quod a vocalibus, sine quis eadem coire non potest, reliquae litterae, ut fides graeci sermonis indicat, comprehendantur, id est παρὰ τὸ cυλλαμβάνειν τὰ γράμματα): quarum tripertita species est. namque aliae earum breves, aliae longae, aliae communes appellantur, scilicet quod nunc pro brevibus, nunc pro longis, ut necessitas metri aut producentis aut corripientis easdem postulaverit, accipiantur. positio autem consonantium litterarum breves syllabas secundum disciplinam legemque metricae artis efficit longas. nam parente natura omnis vox sub duorum accentuum sono ore mortalium promitur, producto scilicet aut correpto, ex quis alter extenditur, alter contrahitur. igitur cum in metris longa syllaba opus esset, ut ea quae brevis lege naturae prolata videbatur longa efficeretur, a principibus musicae artis auctoribus positio, id est duarum consonantium copulatio, reperta atque inducta est. haec deinceps observatio consensione poetarum legem dedit, quae auctoritatem de vetustate temporis trahens disciplinam veluti sacrosanctae in metris observationis ceteris sanxit. igitur syllaba — spatiis atque momentis. *Cf. Hephaest. p. 3, 5 sqq. ed. Westph. Schol. Hephaest. p. 95, 4 sqq. ed. Westph. Ibid. p. 102, 7:* τινὲc ἀτόπωc φαcὶν ἰcοδυναμεῖν τῇ μακρᾷ δύο βραχείαc ἀγνοοῦντεc ὅτι οὐχ ἡ μακρὰ ἢ ἡ βραχεῖα τοῦ cώζεcθαι τὰ μέτρα αἴτιαι, ἀλλ᾽ ἡ φύcιc τῶν μέτρων *e. q. s. Atil. Fortunat. p. 279, 24:* syllaba enim a Graecis dicitur ἀπὸ τοῦ cυλλαμβάνειν τὰ cτοιχεῖα. syllabae aut breves sunt aut longae. breves efficit correpta vocalis. longae autem duobus modis fiunt, aut natura aut positione: natura, cum vocalis extenditur. positione fiunt modis sex, cum aut duae consonantes in eadem syllaba vocalem sequuntur, ut ars; aut in duas syllabas separatae, ut arcus; aut cum duplex littera in eadem syllaba est, ut nix, aut in sequenti, ut axis; aut cum sequuntur i vel v loco consonantium positae praecedente alia consonante, ut 'cum Iuno aeternum servans sub pectore vulnus' et 'o nimium, virgo, nimium crudele luisti supplicium'. brevis syllaba tempus unum habet, longa, sive natura sive positione fuerit, duo. *Pomp. comm. p. 112, 3 sqq. 114, 2 sqq. cf. Mar. Vict. p. 46, 21:* nec te syllabarum adcrescentium in metris terreat numerus, cum uni cuique pedum praestituta legitime tempora custodiantur, quod frequenter in iambicis et trochaicis et ceteris metrorum generibus excepto heroico reperies. *Ibid. p. 128, 3. Cf. disputat. nostrae p. 108. 113. 114.*

---

1 ex quo *a** ex qua *A B* ς *Val.* 3 id quod (id q. *B*) in trimetris anapaestico iambo et ceteris *A B* ς trimetris *recte, ut videtur, seclusit Keilius. An scribendum* in metris anapaesticis, iambo et ceteris huius modi versibus *e. q. s.?* 6 sub utraque *B a** *Val.* ς subtraque *A*

5* A Cuius exemplum apud Homerum 'ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦcα', apud nostrum 'insulae Ionio in magno'. Nam sub tali coniunctione longae quae sunt huius modi, utriusque vocalis momen incurrunt, et in collisione spatium temporis ipsa pronuntiandi celeritate consumitur.

5* A *Mar. Vict. p. 36, 11:* Nunc de communibus plenissime tractemus, unde sumus digressi. quarum in metris triplex ratio et causa reperitur, siquidem una eademque syllaba nunc longa nunc brevis utriusque temporis lege fungatur. sciscitantibus autem, cur tres modi communium syllabarum sint, dicemus longam syllabam aut natura fieri aut positione. haec sub utraque specie communem in metris syllabam dabit, id est aut natura, cum ultima pedis dactyli longa reperitur, ut 'insulae Ionio in magno', aut positione, cum inferuntur brevi syllabae duae consonantes, quarum prior semper muta, sequens liquida est. superest natura brevis, cuius unus modus, id est cum correpta vocalis desinit in consonantem, ea dumtaxat lege ut sequens syllaba incipiat a vocali, tamquam 'hic ait et nostris'. ita efficiuntur modi, ut supra dictum est, tres. igitur prima species erit quae dactyli pedis tertiam brevem seu producta vocali seu duarum coniunctione, id est diphthongo, longam efficiens contra legem hexametri heroi amphimacrum inducit, qui pro dactylo lege communium syllabarum accipietur, ita tamen ut sequens a vocali pes inchoet. c u i u s e x e m p l u m — c e l e r i t a t e c o n s u m i t u r: quamquam non nulli quasi finalem syllabam propter indifferentiam, quae in metris omnibus competit, tradant, super quo plerique ambigunt in isto dumtaxat syllabarum communium privilegio. harum altera est, cum eiusdem pedis secunda syllaba natura semper brevis, utpote sequenti loco in dactylo pede, coniunctis duabus consonantibus, quarum prior muta, sequens liquida sit, longam efficit positione, ut est 'vidit turicremis', in r, et 'ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus', in l, item 'Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon', in m, item 'nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos', in n. habes exempla quattuor liquidarum, quas ametabolas diximus. nam aut brevis syllaba est loco longae posita, aut positione longa vim suae proceritatis loci condicione non obtinet. ergo ri (ri *libri om.*) hic pro brevi accipietur lege communium, qua prior muta c, sequens liquida sit r, ita tamen ut utraeque consonantes in una syllaba coniunctae habeantur. nam si altera earum in secunda syllaba, sequens in tertia reperiatur, non iam communem, sed longam syllabam iure efficient. sed et duae liquidae m et n, quae solae ex his sibi subiunguntur, non praecedente muta in una syllaba longam syllabam facere possunt, ut 'omnibus errantem terris' et 'aut Agamemnonius scaenis'. *Cf. Ibid. p. 72, 22. Hephaest. p. 5, 1 ed. Westph.:* Κοινὴ γίνεται cυλλαβὴ κατὰ τρόπους τρεῖc· ἤτοι ὅταν μακρῷ φωνήεντι, ἢ μηκυνομένῳ, ἢ διφθόγγῳ ἐπιφέρηται φωνῆεν, οἷον Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦcα *e. q. s. Ibid. p. 7, 13:* Δεύτερος δέ ἐcτι τρόπος, ὅταν βραχεῖ ἢ βραχυνομένῳ φωνήεντι ἐπιφέρηται ἐν τῇ ἑξῆς cυλλαβῇ cύμφωνα δύο, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἄφωνόν ἐcτι, τὸ δὲ δεύτερον ὑγρόν *e. q. s. Schol. Hephaest. p. 102, 23 ed. Westph.:* Τὴν

---

1 ἄνδρα] *Hom. Od. A 1* 2 insulae] *Verg. Aen. III 211* sub tali] subtili *A B ς* sub illa *Keilius* 4 momen] nomen *A B ς*

Neque enim hic finalem syllabam causatus sis: nam nulla 5* B ibi proceritas sonat, ubi vere finalis non est, velut 'arma virumque cano'. Quamvis enim ma syllaba partem orationis compleat, tamen, quia loco longae posita non est, vim proceritatis capere non potest.

Apud Homerum notabilis ille versus habetur, in quo quat- 5* C tuor longae syllabae lege communium pro brevibus inductae accipiuntur, cuius exemplum οὔ τί μοι αἰτίη ἐccί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰcιν. Alia rursus apud eundem species superiori contraria, in qua breves pro longis lege communium recipiuntur, ut est ἀμφὶ δ' ἄρ' ἀμβρόcιον ἑανὸν ἕcαθ' ὅν οἱ Ἀθήνη. Nam tres continui

---

κοινὴν cυλλαβὴν ἀμφίδοξον καλοῦcι, διὰ τὸ ἀμφίβολον εἶναι τὴν περὶ αὐτῆc δόξαν· πῇ μὲν γὰρ ἀντὶ μακρᾶc, πῇ δὲ ἀντὶ βραχείαc παραλαμβάνεται· διὸ ὅρον αὐτῆc οὐκ ἐκθετέον· οὐ γὰρ ἔcτιν, ἀλλὰ γίνεται. Ὅταν γὰρ ἡ χρεία καλέcῃ, ἢ μακρὰ ἢ βραχεῖά ἐcτιν. Ἐν μέcῳ δὲ ἀμφοῖν κειμένη, κοινὴ προcαγορεύεται. *Ibid. p. 104, 19:* Ἡ γὰρ ἀνάπαυcιc τοῦ λόγου τὰc cυλλαβὰc ἀπ' ἀλλήλων χωρίζουcα τρόπον τινὰ τὰc μικρὰc εὐφωνοτέραc καθίcτηcι. *Ibid. p. 108, 6:* Καλῶc πρόκειται ἐν cυλλήψει· ἐὰν γὰρ εἰcιν ἐν διαcτάcει οὐ ποιοῦcι κοινήν, ἅτε δὴ τοῦ διαcτήματοc ἐν τῷ διαχωρίζειν τὰ cύμφωνα μείζονοc γινομένου, καὶ μὴ οὔcηc ὀλιcθηρᾶc ἐν cυντόμῳ φωνῆc ὥcτε δύναcθαι λαθεῖν. *Cf. quae monui p. 110 sq.*

5* B *Mar. Vict. p. 37, 15:* tertia vero, cum in eodem dactylo prima syllaba, quae semper natura est longa, brevis invenitur hoc modo, si correpta in ea vocalis desinat in unam consonantem, ut 'hoc erat alma parens'. erit ergo communis syllaba ea condicione, qua pars orationis finiatur et sequens a vocali incipiat, ne loco et sede dactyli tribrachus positus esse videatur. n e q u e e n i m — n o n p o t e s t. cum autem locum obtinet longae syllabae et finit partem orationis, tunc est communis et efficitur longa, quod etiam naturali ratione dinoscas. nam cum sermo terminatur et postrema clauditur syllaba, ad initium alterius transitum fieri manifestum est, quod intervallum aliquanti temporis intercapedinem sumit: sic syllabae naturalis brevitas additamento temporis crescit. *Hephaest. p. 9, 14 ed. Westph.:* Τρίτοc δέ ἐcτι τρόποc, ὅταν βραχεῖα cυλλαβὴ τελικὴ λέξεωc ᾖ, μὴ ἐπιφερομένων τῶν τῆc θέcει μακρᾶc ποιητικῶν cυμφώνων, ἀλλ' ἤτοι ἑνόc, ἢ μηδενόc *e. q. s. Schol. Hephaest. p. 96, 5:* Ἐὰν γὰρ εἰc μέροc ἀπαρτίζῃ λόγου, τῷ τῆc κοινῆc ὑποπίπτει λόγῳ, οἷον ὅταν cυλλαβὴ βραχεῖά ἐcτιν ἐπὶ τέλουc λέξεωc κειμένη, ἐνομίcθη ποτὲ μακρὰ ὡc ἡ τὰ (τὰ *libr. om.*) παρὰ τῷ ποιητῇ τὰ περὶ καλὰ ῥέεθρα *e. q. s. Cf. Mar. Vict. p. 36, 6. Vid. quae supra monui p. 108 sq. 110.*

5* C *Mar. Vict. p. 37, 30:* Haec ratio communium syllabarum cum in dactylicis tum in ceteris metrorum generibus sub eadem observatione tractanda est, qua tamen frequentius auctores graeci quam

---

2 arma] *Verg. Aen. I 1* 3 quamvis enim *Keilius* qū enim *A* cum enim ς *B* 4 proceritas *B* 8 exemplum est *B* οὔ τί μοι] *Hom. Il. Γ 164* εἰcιν] ЄCIꙘN *A* ЄCIꙘN *B* ЄCIN *Val.* 9 species *Keilius* specie *A B* ς speciei *Putschius* ἀμφί] *Hom. Il. Ξ 178*

dactyli e ternis syllabis brevibus subsistunt, cuius generis apud eundem complures versus reperiuntur.

6* Dignum forsitan inquisitione sit, cur muta liquidae sociata communem syllabam reddat, duae autem semivocales aut mutae copulatae similiter inter se nequaquam id faciant. Non immerito. Nam quamvis maior in liquida quam in muta virtus sit, utpote ametabola, quae a tenore suo non immutetur, attamen infirmiora paria sociata praestant his quae ex impari veniunt, quod sub exemplo magis aperiam. Sicut enim minime par ad nitendum virtus est asini mulo coniuncti, cum alter alterum propter inaequalitatem naturae non respondentis viribus, dum iungitur, debilitat potius quam iuvat, ita hoc et in his litteris quae ex impari copulatione veniunt intellegendum est, ut iugatae instabiles semper et lubricae sint, quia non pari aut aequali virtute nituntur. Hae tamen, ut supra diximus, sub uno enuntiatu coniunctae communem syllabam, divisae autem longam efficient. Mutae vero et semivocales, ut libet, appositae correptae vocali semper longam syllabam reddunt.

7* Illud etiam admonente occasione intimandum est, litteras

---

nostri usi sunt. non enim vitium est, quippe cum maximi auctores hoc genus compositionis ultro adfectaverint. nam apud Homerum — versus reperiuntur. *Schol. Hephaest. p. 114, 24 ed. Westph. Ibid. p. 166, 10.*

6* *Mar. Vict. p. 38, 9:* Dignum forsitan — syllabam reddunt. *Cf. Atil. Fortunat. p. 279, 10 sqq. Schol. Hephaest. p. 108, 10 ed. Westph.:* Ζητοῦϲι δέ τινεϲ, διὰ τί μὴ τὰ δύο ὅμοια ποιοῦϲι κοινήν· λέγω δὴ δύο ἡμίφωνα ἢ δύο ἄφωνα ἢ ἀμετάβολα. *Ibid. p. 109, 12:* Δύο δὲ ἄφωνα οὐ τέθεινται, ἅτε τῶν δύο τῶν ὁμοίων, εἰ καὶ ἀϲθενέϲτερα ὑπάρχοιεν, πλέον ἑλκόντων ἤπερ τῶν ἀνομοίων. Ἀμέλει τοι ἅμαξαν δύο ὄνοι πλέον ἕλκουϲιν ἤπερ ὄνοϲ καὶ βοῦϲ, ἐπεὶ τὰ ἀνιϲοδύναμα ἐμποδίζουϲιν ἄλληλα. Οὐ ποιοῦϲιν οὖν. *Cf. quae supra monuimus p. 51 sq. 116.*

7* *Mar. Vict. p. 38, 23:* Illud etiam — corrumpendi sermonis. *Cf. Mar. Plot. p. 452, 17:* Ectasis est, cum corripienda syllaba producitur metri causa, ut ‘religione patrum multos servata per annos’, ut re producatur, quae semper correpta pronuntiatur, et ‘reliquias Danaum’.

---

6 nam quamvis *Keilius* nam qū *A* namq; ū *B* nam cum ς
7 ametabola *G. I. Vossius de art. gramm. I 19 p. 83* metabola *A B* ς
8 praestant *Keilius praeeunte Camerario* praestantur *A B* ς
9 quod] quae *B* 13 in *add. Keilius* 16 haec tamen *A*

quasdam contra rationem naturae metri necessitate nunc produci, ut 'Italiam fato profugus', nunc corripi, ut 'fervere Leucaten', quamvis quidam in hoc primam verbi positionem non a ferveo sed a fervo tractam contendant meritoque corripiant. Eadem metri lege etiam consonantes geminantur, ut 'relliquias Danaum' et 'rettulit Argolico fulgentia poma tyranno' et 'redduxere retro longe capita ardua ab ictu'; siquidem artis poeticae in eo vim rationemque subsistere manifestum sit, ut verba seu nomina metro repugnantia vel corripiat vel acuat, interdum minuat, ut 'apparent rari nantes', aut forte dividat, ut 'septem subiecta trioni'. Unde species innumerabilium figurarum repertae sunt. Et Graeci maxime schematibus his utuntur, quibus maior ac speciosior licentia est corrumpendi sermonis.

'Scribensque patrique' verbi causa, asperrimus versus 8

8 *Pomp. comm. art. Don. p. 113, 5:* illud etiam sequitur, esse aliquas syllabas plurimas, quae et plura habent tempora, quam oportet, ut est lex. ecce e ipsum naturaliter duo tempora habet; x, quae duarum consonantium fungitur loco, unum habet tempus: ecce invenitur ista syllaba habere tria tempora. quare hoc dixi? est quidem tractatus, sed etiam utile est in hoc tractatu, quoniam istae syllabae, quae tribus temporibus fiunt, si habent post se alias consonantes, asperrimos faciunt versus, non ferendos. quare? tempora enim crescentia ultra modum incipiunt gravare nostras aures et obruere. puta siqui talem versum faciat, 'lex prima est quodcumque potest', quattuor sunt tempora. lex, e duo habet tempora; naturaliter enim longa est: sequitur x, unum tempus habet, quia duarum consonantium fungitur loco: sequitur p et r, ecce iterum aliud tempus: ecce quattuor tempora sunt, et nunc asper est. qua ratione hoc dixi? quotienscumque inciderit tale aliquid, debemus verba sequentia a vocalibus inchoare, ut depereat aliquid de illa summa, ut puta si dicas 'lex ima est quodcumque velis'. levius sonat, si dicas 'lex ima est', quam si dicas 'lex prima est': hoc asperius et gravius sonat. omnino hoc servare debent qui volunt lubricos

1 nunc produci *B a ς* nun produci *A Val.* 2 Italiam] *Verg. Aen. I 2* fervere] *Verg. Aen. VIII 677* 3 quamvis quidam *Keilius* qū quidam̊ *A* qū quidam *Val.* cum quidam *ς B* 4 contendant *ς* contendunt *A B Val.* contendent *a* 6 relliquias] *Verg. Aen. I 30* rettulit] *Lucan. Pharsal. IX 367* 7 redduxere] *Verg. Aen. V 428* kapita *A B* 9 manifestum sit *Val.* manifestum fit *A B ς* 10 apparent] *Verg. Aen. I 118* 11 septem] *Verg. Georg. III 381* 15 *de codicibus vide adnot. ad fr. 1*

est. Quare? Quia hoc ipsum e naturaliter longum est; deinde sequitur n et s, crescit tempus. Quoniam sequitur illa coniunctio, illud crescit. Quattuor tempora sunt, et asperrimus fit versus, scribensque, et latet causa asperitatis, si isti sunt ratione hoc facit. Habetis hanc rationem in Iuba.

9* Inter metricos et musicos propter spatia temporum, quae syllabis comprehenduntur, non parva dissensio est. Nam musici non omnes inter se longas aut breves pari mensura consistere, siquidem et brevi breviorem et longa longiorem dicant posse syllabam fieri; metrici autem, prout cuiusque

---

versus et currentes facere. nam idciro omnes illi, participiis cum coniunguntur, asperrimos versus faciunt. omne participium longam habet syllabam, ut docens scribens. ut puta siqui talem faciat versum, ‘scribensque patrique’ — rationem in Iuba. ergo omnis syllaba, quae naturaliter brevis est, unum habet tempus; quae longa est, sive natura sive positione, duo habet tempora. cetera tempora ex superfluo sunt, nihil praestant. *Cf. Wentzelius Symb. crit. p. 18.*

9* *Mar. Vict. p. 39, 6:* Inter metricos — esse dicemus. *Long. proleg. ad Hephaest. p. 93, 1 ed. Westph.:* Ἰϲτέον δὲ ὅτι ἄλλωϲ λαμβάνουϲι τοὺϲ χρόνουϲ οἱ μετρικοὶ ἤγουν οἱ γραμματικοί, καὶ ἄλλωϲ οἱ ῥυθμικοί. Οἱ γραμματικοὶ ἐκεῖνον μακρὸν χρόνον ἐπίϲτανται τὸν ἔχοντα δύο χρόνουϲ, καὶ οὐ καταγίνονται εἰϲ μεῖζόν τι· οἱ δὲ ῥυθμικοὶ λέγουϲι τόδε εἶναι μακρότερον τοῦδε, φάϲκοντεϲ τὴν μὲν τῶν ϲυλλαβῶν εἶναι δύο ἡμίϲεοϲ χρόνων, τὴν δὲ τριῶν, τὴν δὲ πλειόνων. οἷον τὴν ωϲ οἱ γραμματικοὶ λέγουϲι δύο χρόνων εἶναι, οἱ δὲ ῥυθμικοὶ δύο ἡμίϲεοϲ· δύο μὲν τοῦ ω μακροῦ, ἡμιχρόνιον δὲ τὸ ϲ· πᾶν γὰρ ϲύμφωνον λέγεται ἔχειν ἡμιχρόνιον. *Ibid. p. 92, 20:* ἐν δὲ τοῖϲ μετρικοῖϲ εἰδέναι δεῖ ὅτι πᾶϲα βραχεία ἴϲη καὶ πᾶϲα μακρὰ ἴϲη *e. q. s. Schol. Hephaest. p. 98, 19 ed. Westph.:* ἰϲτέον δὲ ὡϲ ἔϲτι μακρὰ τρίχρονοϲ ἢ καὶ πλειόνων χρόνων οἷον ηὔλουν Θρᾷξ. ὁ μέν(τοι) μετρικὸϲ λόγοϲ οὔτε ἧϲϲονα μονοχρόνου οἶδεν

---

1 longum est *B C a* longa *A L* 2 quoniam sequitur illam iunctio *L* 3 illud crescit] iterum crescit *coni. Lindemannus* et asperrimum fit verbum scribensque, sed latet causa asperitatis, si in versus continuatione hoc fit *Mehlerus apud B. ten Brinkium l. s. s. p. 13* 4 scribens quod *L* si isti sunt rationes *C a* si isti sunt ration . . *A* si ista sunt ratione *B* si istae sunt rationis *L* si istiusmodi sunt (*sc.* versus) ratione hoc fit *coniecit Lindemannus. Malim* nec latet causa asperitatis, si qui istius modi ratione hoc faciat 5 hac rationem *L* in iuua *A B C* in una *L* 6 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2* 7 nam musici volunt non omnes *Keilius. Possis etiam conicere* nam musici non omnes inter se longas aut breves pari putant mensura consistere omnis *A R* 9 breves] breuis *A R*

syllabae longitudo ac brevitas fuerit, ita temporum spatia definiri neque [brevi] breviorem aut [longa] longiorem, quam natura in syllabarum enuntiatione protulit, posse aliquam reperiri. Ad haec musici, qui temporum arbitrio syllabas committunt, in rhythmicis modulationibus aut lyricis cantionibus per circuitum longius extentae pronuntiationis tam longis longiores quam rursus per correptionem breviores brevibus proferunt. Adferunt etiam exempla, quae in metricis pedibus secum faciant, adserentes accessione consonantium momenta temporum crescere, tamquam Thersandrus: constat duabus positione longis et brevi ultima, qui fit pes palimbacchius. Huius primam positione longam correpta e littera esse manifestum est, quam si produxeris, ut interdum etiam metrici faciunt, ut pro e η graeca littera audiatur, quae semper natura longa est, fit ut etiam accedentibus duabus consonantibus longior prolixiorque videatur; quippe cum trium temporum spatio aucta sit, quae duum fuerat, cum esset per e correptam nomen elatum. [Item ἀμφιεϲμένοϲ ἠμφιεϲμένοϲ, quod in metro apud Graecos frequenter invenimus.] Habet enim et de natura et de positione longioris syllabae incrementum. Brevi autem breviorem sic intellegi volunt, ut in eodem nomine Thersandrus: drus enim syllaba quamvis unam vocalem natura brevem habeat, tres tamen aliae consonantes cum eadem elatae non parum temporis in mora pronuntiationis occupabunt. Erit ergo haec brevis ab ea longior, in qua sola u [quam cum aliis enuntiata litteris drus]: auctiorem enim uberio-

---

οὔτε μείζονα διχρόνου. *Schol. Dion. Thrac. p. 821, 25. Serv. de accent. p. 535 Endl.:* Longitudo verborum duabus in rebus est, tempore et syllabis. Tempus ad rhythmicos pertinet, syllabae ad metricos. Inter rhythmicos et metricos dissensio nonnulla est e. q. s. *Cf. Wilmannsius de Varron. libr. grammat. p. 193 sq. Dionys. de comp. verb. 15. Prisc. Inst. lib. II 12*

---

2 neque breviorem aut longiorem *scripsi* '*Heliod. Unters.*' *p. 107 n.* 10 Thersandrus ς thessandrus *A B* 18 item ἀμφιεϲμένοϲ — invenimus *postea interposita esse vidit Keilius* 19 quod] quae *B* 21 breuem autem breuiorem *A B* breuem autem breui longiorem ς 22 Thersandrus ς thessandrus *A B* quamvis unam *Keilius* qū unam *A* cum unam *B* quum unam ς 26 *verba inepta* quam — drus *seclusi:* quia (*vel* quoniam) cum — drus auctiorem uberioremque *mavult Caesar*

remque auribus sonum reddit. Sed haec scrupulositas musicis et rhythmicis relinquatur. Nam quod ad nos attinet, notemus plerasque syllabas ratione pares esse, spatio autem seu sono impares, ut dicimus omnes Germanos longos esse, quamvis non sint omnes eiusdem staturae: sic dicemus etiam has syllabas in genere esse, non in spatio longarum seu brevium syllabarum. Igitur cum metris nihil maius minusve adferat huius modi ratio nec praefiniti sibi temporis modum adiectione consonantis excedat, musicis potius quam metricis id auscultandum esse dicemus.

10* Rhythmus est pedum temporumque iunctura velox divisa

---

p. 51, 25 ed. Hertz.: Tempus unum vel duo vel etiam, ut quibusdam placet, unum semis vel duo semis et tria ... *(p. 53, 2)* tamen in metro necesse est unamquamque syllabam vel unius vel duorum accipi temporum. *Cf. Rossbachius 'Gr. Rhythm.' p. 36 sqq. 43 n. Westphalius 'Die Fragm. und die Lehrs.' p. 12 sq. et quae supra dixi p. 106. 109 sq. 117.*

10* *Mar. Vict. p. 41, 23:* Exigit locus et temporum inter se vicina cognatio ut, priusquam pedum disputationem adgrediar, de rhythmi condicione pauca dicam: cuius origo de arsi et thesi manare dinoscitur. nam r h y t h m u s e s t — n u n c u p a t u r. *Fragm. Ambros. p. 266, 9 ed. Nauck.:* τί διαφέρει μέτρον ῥυθμοῦ; διαφέρει ὅτι τοῖς μὲν μέτροις ὕλη ἐστὶ συλλαβὴ καὶ ταύτης δίχα μέτρον οὐ συνίσταται, ὁ δὲ ῥυθμὸς γίνεται μὲν καὶ ἐν συλλαβαῖς, γίνεται δὲ καὶ ἄνευ συλλαβῶν, ὡς ἐν κρότῳ χειρῶν καὶ πορείᾳ ποδῶν καὶ ἵππων δρόμῳ· ἄλλως τε τὰ μὲν μέτρα πεπηγότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρόν τε καὶ βραχὺν καὶ τὸν τούτων κοινόν, ὁ δὲ ῥυθμὸς ὡς βούλεται παρέλκει τοὺς χρόνους, τούς τε μακροὺς συστέλλων καὶ τοὐναντίον. *Cf. Longin. proleg. Hephaest. p. 84, 9—24. Diom. p. 473, 22:* Rythmus est pedum temporumque iunctura cum levitate sine modo. *Quint. IX 4, 50:* Sunt et illa discrimina, quod rhythmis libera spatia, metris finita sunt, et his certae clausulae, illi quomodo coeperant currunt usque ad μεταβολήν, id est transitum in aliud genus rhythmi: et quod metrum in verbis modo, rhythmus etiam in corporis motu est. *IX 4, 55:* rhythmi, ut dixi, neque finem habent certum nec ullam in contextu varietatem, sed qua coeperunt sublatione ac positione ad finem usque decurrunt. *Serv. ad Verg. Aen. IX 776:* numeri sunt rhythmi, ut 'numeros memini, si verba tenerem'. *Diom. p. 474, 5 (cf. p. 468, 1 sqq.):* distat enim metrum a rythmo, quod metrum certa qualitate ac numero syllabarum temporumque finitus certisque pedibus constat ac clauditur, rythmus autem temporum ac syllabarum pedumque congruentia infinitum multiplicatur ac profluit. *Char. p. 289, 15:* nihil est inter rhythmon et metron nisi quod rhythmos est metrum

---

1 sonum *Keilius* sensum *A B* ς   scrupulositas] scrupulosi *B*   2 quod *Keilius* quia *A B* ς   3 *post* syllabas *excidisse* longas *vel* breves seu longas *conicit Christius*   4 omnis germanos *A B*   5 *verba* sic dicemus — brevium syllabarum *postea adscripta videntur*   8 adiectione *Christius* adiectionē *corr.* adiectio *A* adiectio *B* ς

in arsin et thesin vel tempus quo syllabas metimur. Latine numerus dicitur, ut Vergilius 'numeros memini si v. t.'. Differt autem rhythmus a metro, quod metrum in verbis, rhythmus et in modulatione ac motu corporis sit; et quod metrum pedum sit quaedam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo quidam: et quod metrum certo numero syllabarum vel pedum finitum sit, rhythmus autem numquam numero circumscribatur. Nam ut volet, protrahit tempora, ita ut breve tempus plerumque longum efficiat, longum contrahat. Unde et rhythmus, id est a rhysi et fluore quodam, nuncupatur.

Rhythmorum autem tres esse differentias volunt, in dactylo

---

fluens, metron autem sit rhythmos clausus. *Atil. Fortunat. p. 282, 17:* Inter metrum et rhythmum hoc interest, quod metrum circa divisionem pedum versatur, rhythmus circa sonum, quod etiam metrum sine plasmate prolatum proprietatem suam servat, rhythmus autem numquam sine plasmate valebit. est etiam rhythmus et in corporali motu. cum enim histrio indecenter signum aliquod expressit, arythmos dicimus, cum decenter eurythmos. item si fuerit aequalitas corporis modice temperata, eurythmos, inaequalis vero et toris quibusdam confusa arythmos appellatur, unde Virgilius 'tum longo nullus lateri modus'. toris enim extantibus et interrumpentibus latera arythma latera sunt facta. *Augustin. de mus. III 1, 2. I p. 581 ed. congr. S. Mauri:* quoniam oportet distingui etiam vocabulis ea quae re ab se distincta sunt, scias illud superius genus copulationis rhythmum a graecis, hoc autem alterum metrum vocari, latine autem dici possent illud numerus, hoc mensio vel mensura. sed quoniam haec apud nos nomina late patent et cavendum est, ne ambigue loquamur, commodius utimur graecis. vides tamen ut opinor, quam recte utrumque nomen his rebus sit impositum, nam quoniam illud pedibus certis provolvitur peccaturque in eo si pedes dissoni misceantur, recte appellatus est rhythmus id est numerus, sed quia ipsa provolutio non habet modum, nec statutum est, in quoto pede finis aliquis emineat, propter nullam mensuram continuationis non debuit metrum vocari. hoc autem utrumque habet, nam et certis pedibus currit et certo terminatur modo. itaque non solum metrum propter insignem finem, sed etiam rhythmus est propter pedum rationabilem connexionem. quocirca omne metrum rhythmus, non omnis rhythmus etiam metrum est. *Cf. ibid. V, 1, 1 I p. 617 ed. congr. S. Mauri. Isidor. orig. I, 38, 3. Fragm. de rhythm. (ex cod. Paris. 7530 f. 27) p. 631 sq. Cf. Wilmannsius, Varron. reliqu. p. 195 sq. Zarnckius 'Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss.' a. 1871 p. 34 sqq.*

11* *Mar. Vict. p. 42, 7:* Rhythmorum autem — esse disciplinam. *Schol. Hephaest. p. 124, 18 sqq. Fragm. Ambros. p. 261, 5:*

---

1 in arsin et thesin *Keilius* in arsi et thesi *A B* ς 2 numeros] *Verg. bucol. 9, 45* memini si u. t. *B* meminis .ut. *A* 4 *prius* et *addidi ex Atilio, om. A B* ς corporis sit ς *B* corporis fit *A* 10 id est a rhysi (a ῥύϲει *Camerarius*) *Keilius* id est achysi *AB* id est a χύϲει ς

iambo et paeone, quae fiunt per arsin et thesin. Nam dactylus aequa temporum divisione taxatur, ut et anapaestus: uterque enim pes quattuor temporum est. Nam ut longa prima dactyli duabus brevibus insequentibus par [sibi] et aequalis est, ita et in anapaesto fit, ut initium fini simile inveniatur, et dicunt in arsi et thesi aequalem rationem ἴcον λόγον. Idem etiam in dipodia facta coniugatione binum pedum per choriambum et antispastum, quia quantum in sublatione habet, tantundem in positione, et idem apud Graecos [aequalis] ἰcόρρυθμοc dicitur. Secundus autem rhythmus in iambo dupli ratione subsistit, qua et trochaica et utraque ionica. Monosemos [unius] enim [temporis] arsis ad disemon thesin comparatur. Etenim iambus a brevi syllaba incipit, quae est unius temporis, et in longam desinit, quae est temporum duum: trochaeus autem contra. Eadem et in ionicis metris dupli ratio versatur: nam ionicus ἀπὸ μείζονοc incipit a duabus longis et in duas desinit breves;

ἡμιόλιοc δέ ἐcτι λόγοc ὁ περιέχων ἐν ἑαυτῷ τὸν ἀριθμὸν τὸν ὅλον καὶ προcέτι τὸ ἥμιcυ αὐτοῦ. ὁ γοῦν τρία περιείληφε τόν τε δύο ἀριθμὸν καὶ τὸ ἥμιcυ τούτου τὸν ἕνα. *Cf. Diom. p. 480, 2:* excepto amphibracho et epitrito, quorum alterum tripla, alterum epitrita divisione partimur, universorum pedum trina conditio reperitur. in aliis enim

---

4 par et aequalis *Caesar Mus. Rhen. nov. t. VI p. 158* parilis et aequalis *Ritschelius ib.* 5 ita *Keilius* item *Christius* idem *A B* ς et an anapaesto *corr.* et in anapaesto *A* 6 rationem ἴcον λόγον ς rationem CONΛΟΓΟΝ *B* rationem CONΛΟΤΟΝ *A* rationem esse, id est ἴcον λόγον *scripsit Keilius, sed verba* et dicunt — ἴcον λόγον *fortasse ex margine inlata sunt: (cf. Mar. Vict. p. 70, 25)* 7 idem etiam in dipodia fit facta coniugatione — in positione [idem apud Graecos ἰcόρρυθμοc id est aequalis dicitur] *Bergkius in commentat. academ. beneficii Marperger. lege ed. Hal. a. 1863 p. 4* 8 antispatum *A B* 9 ἰcόρυθμοc *Christius* aequalis ϊ COPYΘMOC (aequalis COPYΘMOC *B*) dicitur *A B* aequalis id est ἰcόρυθμοc dicitur ς 11 substitit qua trochaica et utraque ionica monosemos unius enim temporis arsis *A B* ς subsistit, qua et trochaica et utraque ionica metra: monosemos enim arsis *Bergkius praeeunte ex parte Ritschelio qui* unius temporis *secludendum esse viderat Mus. Rhen. nov. t. VI p. 158* 15 contra] qui *B* 16 ratio *Bergkius praeeunte Caesare* ratione *A B* ς 17 et in duas desinit breues *B Val.* ς et in duas longas desinit breues *A*

ionicus autem ἀπὸ ἐλάϲϲονοϲ a brevibus incipiens in longas desinit. Erit itaque in his disemos arsis ad tetrasemon thesin [quia unam partem in sublatione habet, duas in positione, seu contra]. Ergo iambica et trochaica metra, quae in dupli ratione sunt posita, facta coniugatione binum pedum ad legem quadrupli vocabuntur. Tertius autem rhythmus, qui paeonicus a musicis dicitur, hemiolia subsistit, quae est sescupli ratio. Hemiolium enim dicunt numerum, qui tantundem habeat quantum alius et dimidium amplius, ut si compares tres et duo: nam in tribus et duo et eorum dimidium continetur. Quod cum evenit, trisemos arsis ad disemon thesin accipitur, id est tres partes in sublatione habens, duas in positione, seu contra. Quam rationem maxime incurrunt paeonici versus et bacchii, ita nobis metra partientibus, ut paeonicus servetur rhythmus. Hae sunt tres partitiones, quae continuam rhythmopoeiam faciunt. Aristoxenus autem ait non omni modo inter se composita tempora rhythmum facere. Nam coitus temporum communis est rhythmo et arhythmiae.

---

aequa divisio est, in aliis dupla, in aliis sescupla; et prima dactylica, secunda iambica, tertia paeonica nominatur. est itaque aequa pedis divisio, quotiens sublatio pedis temporibus positioni par est, ut est in dactylo et anapaesto, item spondeo et pyrrichio. horum enim arsis tantum in se habet quantum et thesis. dupla vero est, quotiens pedis sublatio temporibus inpar est positioni, ut est in iambo et trochaeo et duobus ionicis. iambi enim arsis unum tempus tam in se habet et eius thesis duo quam trochaei versa vice arsis duo habet et thesis unum. sescupla quoque intellegitur, ut est in paeonibus et in duobus bacchiis et cretico. hi enim pedes qui temporibus quattuor pares sunt per bina tempora dividuntur; identidem uno adiecto, scilicet duum di-

---

2 erit itaque in his disemos arsis ad tetrasemon thesin *Keilius* erit itaque inter hos disemos ad tetrasemon arsis ad thesin *A B* ς 3 quia unam — seu contra *inclusi auctore Christio, qui haec verbis (p. 180, 15)* eadem — ratio versatur *olim adscripta esse vidit* erit itaque inter hos dupli ratio, quia unam partem in sublatione habent *Bergkius* 4 in dupli ratione *Gaisfordius Addend. p. 613* in duplici ratione *A B* ς 7 hemiolia subsistit ς hemiolia substitit *AB* sesquipli *A* 11 quod] qui *B* 14 bacchii ς bracchii *A* baracchii *B* *fortasse* bacchiaci ita nobis metra partientibus *scripsi* ita nobis metra gradientibus *A B* ς ita pedibus per metra gradientibus *Keilius* 15 hae sunt ς haec sunt *A B* 16 Aristoxenus] *elem. harm. I p. 18 ed. Meib.* 18 coitus ς coetus *A B*

Unde si apte congruant spatia, rhythmum faciunt, si contra, arhythmiam, ut intellegamus et in ipsa concursione temporum non fortuitam, sed certam esse disciplinam.

12* Arsis igitur ac thesis quas Graeci dicunt, id est sublatio et positio, significant pedis motum. Est enim arsis sublatio pedis sine sono, thesis positio pedis cum sono: item arsis elatio [temporis] soni, vocis, thesis depositio et quaedam contractio syllabarum. Nam in pyrrichio tollitur altera brevis, altera ponitur. In spondeo quoque vicissim longa tollitur ac ponitur syllaba. Trochaeo autem et iambo contraria inter se ratio est: alterius enim prius longa tollitur, dehinc brevis ponitur; alterius secundum suam legem brevis ponitur, longa tollitur situ supra dicti ordinis immutato. In dactylo vero tollitur una longa, ponuntur duae breves; in anapaesto contra, sicut in trochaeo et iambo ostendimus. Etenim in

---

midia parte, terna de se reddunt, per quae sescupla colligitur. *Pomp. comm. art. Don. p. 123, 28:* tempora in pedibus tripertitam habent divisionem. aut aequa dicitur divisio, aut dupla, aut sescupla dicitur, nec potes invenire aliam divisionem. istae tres sunt tantum, aequa dupla sescupla. aequa dicitur et dactylica; quae dicitur dupla, dicitur et iambica; sescupla dicitur et paeonica *e. q. s. Censorini quod fertur fragm. 11, 2 p. 64 ed. Hultsch.:* modus autem est lex quaedam et ordo vocalium intervallorum et differentia, vel, ut Aristoxenus finit, non utcumque compositum vocalium temporum intervallum. *Cf. Westphalius 'Die Fragm. u. Lehrs. d. gr. Rhythm.' p. 12.*

12* *Mar. Vict. p. 40, 6:* Decursis syllabarum modis, quae per vocales et consonantes litteras velut quibusdam elementis coalitae conexaeque formantur certisque secundum aut naturam aut positionem legibus positae pedes, cum inter se geminantur, per arsin et thesin gradientes procreant, quibus metrorum omnis ratio inter se praefinita subsistit, consequens reor prius de arsi ac thesi, id est de alterna syllabarum sublatione ac positione, quibus pedes in metris nituntur atque formantur, dicere ac deinceps pedum rationem paucis exponere. Ar-

---

2 et in *in marg. add. B* 7 temporis *uncis inclusit Christius 'Metr. d. Griech. u. Roem.' p. 43* 8 breuis . . . . altera *duodecim fere litteris post* breuis *deletis A* 11 enim *in fine versus om. A* 12 alterius secundum suam legem brevis ponitur, longa tollitur situ supra dicti ordinis immutato *Keilius* alterius secundum suam legem sicut supra dicti ordinis immutatur *A B ς fortasse plenius dederat metricus* alterius secundum suam legem prius brevis ponitur, dehinc longa tollitur situ supra dicti ordinis immutato

simplicibus pedibus arsis ac thesis aut simpli aut dupli aut sescupli ratione taxatur. Et in simplo quidem erunt pyrrichius, spondeus, dactylus, anapaestus: horum enim par est sublationi positio, cum tantundem morae in duarum brevium positione quantum in unius longae sublatione habeatur. In duplo autem iambus, trochaeus, tribrachys, molossus: horum enim duplex sublatio, simplex positio est, vel contra. At in sescuplo pedes tres, bacchius, palimbacchius, amphimacrus seu creticus: nam modo sublatio dimidio plus habet, modo positio. Et in cretico nunc sublatio longam et brevem occupat, positio longam, vel contra positio longam et brevem, sublatio unam longam: prout syllaba se obtulerit, id fiet. In bacchiis etiam haec divisio est. Nam bacchius a brevi incipiens in

---

sis igitur — thesisque pensatur. *Fragm. Ambros. p. 260, 11:* οἱ μὲν οὖν ἁπλοῖ πόδες οὕτω τυγχάνουσι. τούτων δὲ οἱ μὲν ἐν ἴσῳ θεωροῦνται λόγῳ, οἱ δὲ ἐν διπλασίονι, οἱ δὲ ἐν ἡμιολίῳ. τοῦ μὲν οὖν ἴσου λόγου εἰσὶ τέσσαρες, πυρρίχιος, σπονδεῖος, δάκτυλος, ἀνάπαιστος· τούτων γὰρ ἶσαι αἱ θέσεις καὶ ἶσαι αἱ ἄρσεις. τοῦ δὲ διπλασίονος ὁμοίως τέσσαρες, ἴαμβος, τροχαῖος, τρίβραχυς, μολοσσός· τούτων γὰρ ἤτοι ἡ ἄρσις διπλασίων ἐστὶ τῶν θέσεων ἢ τὸ ἀνάπαλιν. τοῦ δὲ ἡμιολίου τρεῖς, βακχεῖος, παλιμβακχεῖος, κρητικός. ἐν μὲν οὖν τῷ κρητικῷ κατὰ σχέσιν τῶν μέτρων ὁτὲ μὲν ἡ ἄρσις τὴν μακρὰν καὶ τὴν βραχεῖαν, ἡ δὲ θέσις τὴν μακράν, ὁτὲ δὲ ἔμπαλιν ἡ μὲν ἄρσις τὴν μακράν, ἡ δὲ θέσις τὴν βραχεῖαν καὶ τὴν μακράν· ἐπὶ δὲ τῶν βακχείων διωρίσθαι πᾶσα ἀνάγκη ἐν μὲν τῷ βακχείῳ τὴν μὲν ἄρσιν μίαν ἔχειν μακράν, τὴν δὲ θέσιν μακρὰν καὶ βρα-

---

1 aut simpli aut dupli aut sescupli ratione *Keilius* aut simplici aut duplici aut sescupli (sesquipli *A*) ratione *A B* ς 2 taxatur ς *B* texatur *A* pyrricheus *A B* 4 tandem *corr.* tantundem *A* 7 vel contra. at in sescuplo pedes tres, bacchius, palimbacchius, amphimacrus seu creticus: nam modo sublatio dimidio plus habet, modo positio. et in cretico *Caesar* 'Grundz. d. griech. Rhythm.' *p. 275* uel contra nam modo sublatio dimidio plus habet modo positio at in sescuplo pedes quattuor (pedes tres *adscripto in marg.* IIII *A* pedes ·IIII· *Val.*) bacchius palimbacchius amphybrachys creticus et in cretico *A B* ς *fortasse* nam in his (horum *Keilius*) modo sublatio *e. q. s.* 10 positio longam et brevem, sublatio unam longam *delenda censet Caesar l. s. p. 276, reliqua ita scribens* vel contra, prout syllaba *(h. e. media brevis)* se obtulerit, id fiet, *sed fortasse etiam* id fiet *glossema est, nisi magis placet:* prout — obtulerit. Fiet in bacchiis etiam haec divisio. Nam bacchius *e. q. s.* 12 in bacchis *A B* 13 nam bacchus *A* nam bachus *B*

sublatione semper brevem et longam retinet, in positione longam; palimbacchius autem in sublatione longam, in positione longam et brevem, ne in quadruplum ratio temporum protendatur, si duae longae adversus unam brevem copulentur. Qua ratione sescupli et paeones continebuntur. Molossi ratio aeque duplex: nam idem valent duo contra quattuor, sicut quattuor adversum duo, ut modo sublatio unam longam habeat, positio duas, nunc positio unam, sublatio duas longas. Amphibrachys, in quo duae breves, media longa est, in arsi tria, in thesi unum tempus accipiet, rursusque arsis unum, thesis tria sibimet vindicabit, non simpli nec dupli seu sescupli, ut in reliquis, ratione diducta, quippe cum tribus temporibus unum vel contra unum tribus insequentibus repugnare videatur, unde minus aptus pes in metris, musicis autem consentaneus existimatur. Nam licet minor temporum spatio sit, respondet tamen imagini hippiorum, quos epitritos vocamus, qui sunt heptachroni, id est ex una brevi et tribus longis. Neque enim syllabarum numero, sed ratione temporum arsis thesisque pensatur.

13*A Pes est certus modus syllabarum, quo cognoscimus totius

χεῖαν, ἐν δὲ τῷ παλιμβακχείῳ τὴν μὲν ἄρϲιν ἐκ βραχείαϲ καὶ μακρᾶϲ, τὴν δὲ θέϲιν ἐκ μακρᾶϲ· εἰ δὲ μή γε, εἰϲ τριπλαϲίονα ἐκπίπτει λόγον. *Ibid. p. 261, 8:* ὁ δὲ ἀμφίβραχυϲ τριπλαϲίονοϲ ὢν λόγου ἄθετόϲ ἐϲτιν εἰϲ μετροποιίαν. *Pomp. comm. art. Don. p. 125, 3:* His exceptis remanent aliqui pedes, qui non serviunt alicui divisioni, amphibrachus et epitriti. amphibrachus non potest servare divisionem. quare? quia habet brevem et longam et brevem. istam longam quo habes addere? ad initium? si ad initium, tria et unum erit, nulla divisio est; si ad finem, unum et tria erunt. ecce non habet divisionem. item epitriti septena habent tempora. numquid habent divisionem? si quattuor et tria volueris, non stat divisio; si tria et quattuor, similiter. idcirco isti pedes proiciuntur a metris e. q. s. *Cf. disputat. nostr. p. 53 sqq.*

13*A *Mar. Vict. p. 43, 9:* Pes est — ὑπορχήματα componuntur. *Schol. Hephaest. p. 124, 2 ed. Westph.:* Ποὺϲ τοίνυν ἐϲτὶ

---

2 in positione longam *posteriore loco om. A* ς, *add. B in marg.* 5 continebuntur ς *B* contine[bu]ntur *A* continebantur *Val.* molosi *A B* 11 non simpli non (nec *Keilius*) dupli seu sescupli *Santenius in Terentian. Maur. p. 92* non dupli seu sescupli *A B* ς 13 vel contra *Keilius* et contra *A B* ς 14 videatur *Keilius* uideantur *A B* ς 15 existimatur *Keilius Corrigend. p. 671* aestimatur *A B* ς 17 ex una *Keilius* e prima *A B* ς 18 enim *om. A*, *add. a Val.*

metri speciem, compositus ex sublatione et positione. Fiunt enim ex syllabis pedes ordine incrementorum, quem Graeci syllabicen parauxesin vocant; item temporum, quem Graeci chronicen parauxesin nominant. Syllabarum autem incrementa fiunt quinque, incipientia a disyllabo usque ad hexasyllabum. Temporum vero incrementa a duobus ad duodecim procedunt, id est a disemo ad duodecasemum. Etenim cognationis et cuiusdam ad augmentum propagationis, qua pedes multiplicati noscuntur orti a disyllabis quattuor, ratio talis est. Syllaba quae ad incrementum pedum adicitur aut longa est aut brevis: huius adiectione ita numerus propagabitur. Sit pyrrichius e duabus brevibus: hunc brevis tribrachyn, longa dactylum aut anapaestum facit. Sit spondeus e duabus longis: hunc brevis palimbacchium, seu bacchium in prima sede posita, longa molossum reddit. Quo genere trisyllabi et tetra-

---

ϲύνθεϲιϲ ϲυλλαβῶν ἄρϲιν ἢ (*leg.* καὶ) θέϲιν περιέχουϲα. Καὶ ἄλλωϲ· πούϲ ἐϲτι μετρικὴ ϲυλλαβῶν θέϲιϲ (*fort.* ϲχέϲιϲ *vel* ϲύνθεϲιϲ) ἀπὸ δύο ἕωϲ ἕξ, ἐξ ὧν γνωρίζομεν τὸ τοῦ μέτρου εἶδόϲ τε καὶ μέγεθοϲ. *Ibid. p. 127, 1:* πούϲ ἐϲτι τάξιϲ ϲυλλαβῶν ἄρϲιν ἢ θέϲιν περιέχουϲα. Οἱ δὲ οὕτωϲ· πούϲ ἐϲτι μετρικὴ ϲυλλαβῶν ϲχέϲιϲ ἀπὸ δύο ἕωϲ τεϲϲάρων ἢ πέντε, ἐν αἷϲ γνωρίζομεν *e. q. s. Cf. fragm. Ambros. p. 266, 21 ed. Nauck. Diom. p. 474, 30:* Pes est sublatio ac positio duarum aut trium ampliusve syllabarum spatio comprehensa. *Schol. Hephaest. p. 127, 5:* Ὕλη δὲ ποδῶν ϲυλλαβαὶ ἐν ποϲότητί τε καὶ ποιότητι εὐπρεπῶϲ κινούμεναι· αἱ γὰρ δύο ϲυλλαβαί, βραχεῖά τε καὶ μακρά, ἀλλήλαιϲ ϲυμπλεκόμεναι, τοὺϲ δ΄ διϲυλλάβουϲ ἀποτελοῦϲι. Πᾶν γὰρ διφυὲϲ ἑτέρῳ διφυεῖ ϲυμπλεκόμενον τέϲϲαρα ϲχήματα ἀποτελεῖ, ὡϲ ἐν τῷ περὶ ὀνομάτων εἴπομεν· καὶ ἡ ἀριθμητικὴ δὲ δυὰϲ ἐπὶ τὴν δυάδα πολλαπλαϲιαζομένη τὸν δ΄ ποιεῖ. Εἰϲὶν οὖν οἱ διϲύλλαβοι ἁπλοῖ πόδεϲ τέϲϲαρεϲ ἐκ τῆϲ τῶν δύο ϲυλλαβῶν, τῆϲ μακρᾶϲ τε καὶ βραχείαϲ, ϲυμπλοκῆϲ ἀποτελούμενοι· μετ᾽ αὐτοὺϲ δέ εἰϲιν οἱ τριϲύλλαβοι, ἁπλοῖ καὶ αὐτοὶ ὄντεϲ, εἰϲ ὀκτὼ δὲ τοὺϲ πάνταϲ ἀπαρτιζόμενοι. Καὶ ἁπλοῖ μέν εἰϲιν ὅτι οὐκ ἐκ ϲυνθέϲεωϲ τῶν διϲυλλάβων γίνονται, ἀλλὰ ϲυλλαβῶν προϲτιθεμένων αὐτοῖϲ. Ἐπεὶ οὖν δύο εἰϲὶν αἱ ϲυλλαβαί, μακρὰ καὶ βραχεῖα, προϲτιθέμεναι τοῖϲ δ΄ διϲυλλάβοιϲ, τοὺϲ ὀκτὼ τριϲυλλάβουϲ ποιοῦϲι· δὶϲ γὰρ τὰ δ΄ ὀκτώ. Ἐκκειμένων γὰρ τῶν τεϲϲάρων διϲυλλάβων τοῦ τε πυρριχίου (καὶ) τοῦ ἰάμβου (καὶ) τοῦ τροχαίου καὶ τοῦ ϲπονδείου, ἑκατέρα τῶν δύο ϲυλλαβῶν, τῆϲ μακρᾶϲ τε καὶ τῆϲ βραχείαϲ, ἑκάϲτῳ προϲιοῦϲα δύο πόδαϲ ποιεῖ. Καὶ γοῦν ἡ μὲν βραχεῖα τῷ πυρριχίῳ προϲιοῦϲα τὸν τρίβραχυν ἤγουν τὸν χορεῖον ποιεῖ· ἡ δὲ μικρὰ τὸν δάκτυλον· τῷ δὲ

---

2 ex sublatione *Keilius* in sublatione *A B* ς 3 temporum quem *B* temporum quam *A* ς 5 a disyllabo *A* a disyllabos *B* a dissyllabis ς *Val. (?)* 11 sit *Keilius* sic *A B* ς pyrricheus *A B* pyrrichius ς 13 sit *Keilius* sic *A B* ς 14 in prima sede posita *postea adscripta esse videntur Keilio: an* hunc brevis in ultima palimbacchium, bacchium in prima sede posita? 15 molussum *A*

syllabi usque ad hexasyllabos * additamento temporum processerunt, ut dictum est, a disemo ad duodecasemum seu a dichrono ad duodecachronum.

Cημεῖον autem veteres χρόνον, id est tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quaedam accentuum, quae Graeci προcῳδίαc vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponuntur, unde tempora signa Graeci dixerunt. Sed et hoc loco suggerente non praetermiserim, eosdem figuras pedum secundum spatia temporum per litteras ita designasse, ut brevis syllabae loco, quae sit unius temporis, ponatur *B*, longae autem loco, quae sit temporum duum,

---

ἰάμβῳ ἡ μὲν βραχεῖα τὸν ἀνάπαιcτον, ἡ δὲ μακρὰ τὸν ἀμφίμακρον· τῷ δὲ τροχαίῳ ἡ μὲν βραχεῖα τὸν ἀμφίβραχυν, ἡ δὲ μακρὰ τὸν παλιμβάκχειον· τῷ δὲ cπονδείῳ ἡ μὲν βραχεῖα τὸν βακχεῖον, ἡ δὲ μακρὰ τὸν μολοccόν.

Ibid. p. 124, 25: τρεῖc δὲ παραυξήcειc ἔχουcιν οἱ διcύλλαβοι ἀπὸ διχρονίαc μέχρι τετραχρονίαc. *Terentian. Maur. 1359—1565. Schol. Hephaest. p. 131, 5 ed. Westph.:* Ἔcτιν οὖν πρῶτοc ὁ πυρρίχιοc ἐκ δύο βραχειῶν cυγκείμενοc. Ἐκλήθη δὲ οὕτωc, ὅτι βραχύτατόc ἐcτι, καὶ ὀξεῖαν ποιεῖται τὴν κίνηcιν τῶν χρόνων, ὥcπερ καὶ ἡ καλουμένη πυρρίχη, ἐνόπλιοc ὄρχηcιc οὖcα. *Ibid. p. 124, 29:* Ἰcτέον δὲ ὅτι ὁ πυρρίχιοc καὶ παρίαμβοc καλεῖται, διὰ τὸ ἐν τέλει ἰάμβου ἀεὶ εὑρίcκεcθαι. *Ibid. p. 131, 16:* Ἄλλοι δὲ καὶ Ἡγεμόνα φαcὶν αὐτόν, ἐπεὶ ἐξ αὐτοῦ οἱ ἄλλοι πόδεc. *Cf. Arist. Quintil. p. 47 ed. Meib. Fragm. Ambros. p. 253, 3 sqq. ed. Nauck. Diom. p. 475, 9:* primus pes dibrachys, bibrevis, pyrrichius vel pariambus vel hegemon Graece dicitur. constat ex duabus brevibus temporum duum, ut deus. ante enim brevis quam longa syllaba reperta est, ut prius unum quam duo. ideo autem pyrrichius dictus est, propter pyrricham, quia brevem syllabam proferentes spiritum artiorem labris concurrentibus explicamus *e. q. s. Mar. Plot. p. 497, 16:* pyrrichius pes ex duabus brevibus constat temporum duum, ut erus, qui a pyrricha, lusus genere, nomen accepit, quia hoc sono milites usi 'sub armis', per ludum, ut ait ille, 'ciebant simulacra pugnae'. *Schol. Hephaest. p. 132, 23 ed. Westph.:* cπονδεῖοc, ἐκ δύο μακρῶν cυγκείμενοc. Ἐκλήθη δὲ οὕτωc, ὅτι ἐν ταῖc cπονδαῖc, ἃc ἐποιοῦντο πρὸc τοὺc θεούc, τοιούτῳ μέτρῳ ἐχρῶντο *e. q. s. Fragm. Ambros. p. 256, 5 sqq. Diom. p. 476, 6:* huic contrarius est spondius, qui constat ex duabus longis temporum quattuor, ut heros, dictus παρὰ τὴν cπονδήν, quia in templis hoc pede quaedam carmina conponebantur, scilicet ut libantes sonum vocis abominosae audire non possent. *Ibid. p. 476, 17:* ergo et dibrachys et spondeus tantum habet in arsi quantum in thesi. *Cf.*

---

1 *post* hexasyllabos *lacunam suspicatur Keilius: sed videtur duce Caesare Mus. Rh. VI, 159 scribendum:* ad hexasyllabos processerunt, additamento temporum, ut dictum est, a disemo *e. q. s.* additamento *B a Val.* ς addimento *A* 4 CHMION *A B* ЄXPONON *corr.* XPONON *A* 11 longae autem ς longa autem *A B*

M: hoc ideo, ut per litteras regula pedum facile intellegatur. Pes autem dictus est, sive quia pars mensurae et modus quidam similiter pes vocatur, sive quia in percussione metrica pedis pulsus ponitur tolliturque, seu quia, ut nos pedibus nostris ingredimur atque progredimur, ita et versus per hos pedes metricos procedit et scandit. Inter pedem autem et rhythmum hoc interest, quod pes sine rhythmo esse non potest, rhythmus autem sine pede decurrit. Non enim gradiuntur mele pedum mensionibus, sed rhythmis fiunt.

Pedes igitur simplices sunt duodecim, qui procedunt adcrescuntque a duabus syllabis ad tres, item a duobus temporibus ad sex. Ex quibus disyllabi quidem quattuor duum vel trium vel quattuor temporum existunt. Quorum princeps et

---

Mar. Plot. p. 498, 6 sqq. Schol. Hephaest. p. 132, 2: Ἐκλήθη δὲ οὕτως (ἴαμβος) . . . ἢ ὅτι τὸ λοιδορεῖν ἰαμβίζειν ἐλέγετο . . . ἔστι δὲ τὸ μέτρον λοιδορικόν. *Fragm. Ambros. p. 256, 3 sq. Cf. Mar. Vict. p. 79, 29. Diom. p. 476, 19:* versui maledico habilis, παρὰ τὸ ἰαμβίζειν Graece nominatur. *Schol. Hephaest. p. 132, 19:* ὁ τροχαῖος, ἐκ μακρᾶς καὶ βραχείας, οὕτω λεγόμενος ἐκ μεταφορᾶς τῶν τρεχόντων *e. q. s. Cf. Fragm. Ambros. p. 254, 8 sqq. Mar. Vict. p. 86, 3. Diom. p. 477, 20:* huic contrarius est trochaeus, quem chorion appellant. constat ex longa et brevi, temporum trium, ut Roma, dictus ἀπὸ τοῦ ἐπιτρέχοντας λέγειν. quippe eius modulationem poematum sive metrorum compositioni accommodatam rotatim et volubiliter dicebant. . . . παρὰ τὸ τρέχειν, ex discursu, trochaeum frequentaverunt. *Cf. Mar. Plot. p. 498, 13 sqq.*

Schol. Hephaest. p. 132, 28: Τῶν δὲ τρισυλλάβων πρῶτος μὲν ὁ χορεῖος, ὁ καὶ τρίβραχυς, ἐκ τριῶν βραχειῶν. *Diom. p. 479, 1: non nulli pygmona, plerique chorium nuncupant. Breviat. ped. p. 307, 9:* hunc alii trochicum appellarunt, alii pygnoma, alii brachysyllabon. *Aristid. Quintil. p. 48 ed. Meib.:* μολοσσὸν ἀπ' ἔθνους οὕτω προσαγορευόμενον. *Fragm. Ambros. p. 266, 2 et 9. Diom. p. 479, 6:* molossus dictus, quia Molossi, id est Thessali, ad bellum procedentes huius modulata conpositione utebantur. *Schol. Hephaest. p. 133, 10:* ὁ δάκτυλος, ἐκ μακρᾶς

---

4 pulsas *corr.* pulsus *A* 5 progredimur] *fort.* procedimus 10 igitur] ergo *B* sunt duodecim sunt *A* 11 item a duobus *Bergkius in comment. academ. benefic. Marperger. lege ed. Hal. a. 1863 p. 6* item duobus *A B* ς 12 disyllabi quidem quattuor duum vel trium vel quattuor temporum *Keilius* disyllabi quidem (q̄d *A* quod ς *B*) quattuor temporum *A B* ς disyllabi quattuor duum, trium et quattuor temporum *Caesar Mus. Rhenan. t. VI p. 159* disyllabi pedes quattuor, qui duum vel trium vel quattuor temporum *Bergkius l. s. p. 7*

auctor pyrrichius, qui et pariambus et dibrachys appellatur: sed pariambus ideo, quod minus habeat unum tempus ab iambo (παρά enim Graeci minus dicunt), subsistens e duabus brevibus, ut dea, temporum duum. Ita enim ratio exposcit, ut a brevi origo temporum coeperit, quippe cum eiusdem geminatio longum fecerit tempus, haud aliter quam in numeris: etenim ex uno multiplicato, veluti primordio ac semine, reliqui gignuntur. Nec immerito a Graecis hic pes, ut auctor et parens reliquorum, ἡγεμών dicitur. Pyrrichius autem a celeri motu ac recursu, qui in pyrricha habetur, nuncupatus est. Huic contrarius est spondeus e duabus longis, ut reges, temporum quattuor, dictus a tractu cantus eius qui per longas tibias in templis a supplicantibus editur. Unde et spondaulae appellantur qui huius modi tibias inflare adsuerunt. Quorum uterque quantum in arsi tantum retinet in thesi. At qui e brevi prima sequente syllaba longa digeritur, erit iambus temporum trium, ut parens, ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, id est maledi-

---

καὶ δύο βραχειῶν, οὕτω κεκλημένος ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἁρμογῶν τῶν τῆς χειρὸς δακτύλων· ἀπὸ γὰρ μείζονος ἁρμογῆς ἐπὶ τὰς δύο ἐλάττους προΐασιν. *Diom. p. 478, 15:* a tactu digitorum dictus, quem ad exprimendam organi modulationem faberrime adfectabant. *Mar. Plot. p. 498, 20:* dactylus dictus est a digito, cuius articulis figuratur, incipiens a longa, desinens in duas breves: digitus enim graece δάκτυλος nuncupatur. *Schol. Hephaest. p. 133, 20:* ἀνάπαιστος, ὁ τούτῳ ἀντικείμενος, ἐκ δύο βραχειῶν καὶ μακρᾶς, οὗ χάριν ἀνάπαιστος κέκληται, οἱονεὶ ἀναπεποδισμένος, τουτέστιν ἀντίστροφος δακτύλῳ, ὁ καὶ ἀντιδάκτυλος. *Fragm. Ambros. p. 258, 7:* ὁ ἀνάπαιστος δὲ κέκληται παρὰ τὸ ἀντιπαίεσθαι καὶ ἀντιπαθεῖν τῷ δακτύλῳ *e. q. s. Cf. Mar. Vict. p. 75, 1. Diom. p. 477, 29:* dictus παρὰ τὸ ἀναπαίειν κατὰ τὸ ἀνάπαλιν ἀντικρούειν πρὸς τὸν δάκτυλον, quia recurrendo repercutiens dactylum sono reciproco obloquitur ei per antistrophen. *Cf. Mar. Plot. p. 498, 22:* anapaestus dactylo contrarius, inde dictus, quod ei referiatur [id est repercutiatur], quod Graeci ἀναπαίειν dicunt. *Schol. Hephaest. p. 134, 4:* ὁ βακχεῖος, ἐκ βραχείας καὶ δύο μακρῶν. Ἐκλήθη

---

1 pyrricheus *A* 5 temporum temporum coeperit *A* 10 qui in pyrricha *a* qui in pyrracha *A Val.* quae in pyrricha *B* qui in pyrrichia ς 13 in templis a supplicantibus editur *Salmasius* in templis supplicantibus editur *A B* ς spondaulae *Salmasius* spondulae *A B* ς: *cf. Keilius ad Mar. Vict. p. 44, 23* 14 quorum *sqq.*] *cf. quae supra monui p. 97 n.* 15 at qui e breui ς *Val.* atqui breui *A* atque breui *B* 16 digeritur *A* ς dirigitur *B* 17 *post* parens *suppleverim* dictus

cere, quod in iambicis plerumque versibus reperimus, vel ἀπὸ τοῦ ἰέναι βάδην: a brevi enim profectus per longam porrigitur. Huic contrarius trochaeus, dictus a cursu et celeritate (nam τρόχος ἀπὸ τοῦ τρέχειν vocabulum sumpsit), idem et chorius ἀπὸ τῆς χορείας [sumpsit], e longa et brevi temporum totidem, ut Roma. Horum arsis et thesis alterna mutatione variatur, siquidem in iambo arsis primam brevem, in trochaeo autem longam habeat, [in] thesis vero contraria superioribus sumat.

Trisyllabi autem pedes octo, in quibus mensura temporum a trisemo sive trichrono ad hexasemon sive hexachronon

---

δὲ οὕτως, ἐπειδὴ οἱ τῶν διθυραμβοποιῶν πρὸς Διόνυσον ὕμνοι ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ τούτου τοῦ μέτρου ἦσαν. *Fragm. Ambros. p. 259, 4. Diom. p. 479, 19:* dictus παρὰ τὰς Βάκχας, quia bacchantibus convenienter conponebantur. *Mar. Plot. p. 499, 6:* bacchius dictus est, quod Bacchica, id est Libero patri accepta modulatio huius pedis sono componebatur. *Schol. Hephaest. p. 134, 8:* ὁ παλιμβάκχειος, τούτῳ ἀντικείμενος, ἐκ δύο μακρῶν καὶ βραχείας, οὕτω κεκλημένος διὰ τὸ ἀντίστροφος εἶναι τῷ βακχείῳ· ὁ καὶ Διονύσιος, καθὰ καὶ αὐτὸς πρὸς τὰ Διονυσιακὰ μέλη πεποίηται· ὁ καὶ προσοδιακὸς καὶ πομπευτικός, διὰ τὸ ἐν προσοδίοις ὕμνοις οὕτω καλουμένοις καὶ ἐν ταῖς Διονυσιακαῖς πομπαῖς ἐπιτήδειος εἶναι. *Fragm. Ambros. p. 259, 6:* εἴρηται δὲ οὗτος παρά τινων ἀντιβάκχειος ἢ διονύσιος διὰ τὸ καὶ αὐτὸν ἁρμόζειν τοῖς Διονυσιακοῖς μέλεσιν, ἢ προσοδιακὸς ἢ πόμπιμος. *Diom. p. 479, 21:* quem quidam propompicon . . . vocant. *Mar. Plot. p. 499, 7:* palimbacchius dicitur, quod bacchio contraponitur. *Schol. Hephaest. p. 133, 23:* ὁ ἀμφίβραχυς, ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς καὶ βραχείας, οὕτω κεκλημένος διὰ τὸ ἑκατέρωθεν τῆς μακρᾶς ἔχειν τὰς βραχείας. *Ibid. p. 133, 27:* ὁ ἀμφίμακρος, τούτῳ ἀντικείμενος, ἐκ μακρᾶς καὶ βραχείας καὶ μακρᾶς, διὰ τὸ ἑκατέρωθεν τῆς βραχείας ἔχειν τὰς μακράς, ὁ καὶ κρητικὸς καὶ (πα)ιωνικός· τὸ μὲν ὅτι ὑπὸ Κρήτων εὑρεθῆναι δοκεῖ· τὸ δὲ ὅτι πρὸς τὰ (πα)ιωνικὰ καλούμενα μέτρα ἥρμοσται. *Fragm. Ambros. p. 258, 14:* φιλεῖ δὲ τὰ ὑπορχήματα τούτῳ τῷ ποδὶ καταμετρεῖσθαι. *Diom. p. 479, 16:* creticus quoque, quia Cretes saltando eius rythmica conpositione utebantur.

Mar. Vict. p. 46, 6: Inter haec ne quispiam nos aut ignoratione aut incuria praeterisse forsitan putet, quod per divisionem et con-

---

1 reperimus *B a Val.* ς reperitur *A* 2 per longam *Keilius* per (pro *corr.* per *A*) longum *A B* ς 4 ΤΡΕΧΕΙΝ *in litura A* idem et ς *B* idest et *A* 5 ΧΟΡΕΙΑ$\overset{\text{C}}{\text{N}}$ *A* sumpsit *posteriore loco inclusit Keilius, qui praeterea coniecit* nam τροχαῖος ἀπὸ τοῦ τρέχειν, idem et chorius ἀπὸ τῆς χορείας vocabulum sumpsit: *cf. supra p. 99* 8 habeat, thesis vero *Westphalius 'Die Fragm. u. d. Lehrs. d. gr. Rh.' p. 102* habeat in thesi uero *A B* ς *fortasse verum est* eam habeat, thesis vero

usque porrigitur, primum habebunt pedem tribrachyn, sicut disyllabi dibrachyn, dictum a temporum substantia. Idem et pygnomus a quibusdam, ne vos praetereat, vocatur. Subsistit autem e tribus brevibus, ut anima, temporum trium. Contrarium huic molossum dictum a Molossis, qui in Thessalia degunt, e tribus longis, ut Eumedes. Hi temporum inter se brevitate et extentione discrepant; nam prior trium, sequens sex temporum spatio prolatatur, quod in disyllabis in pyrrichio et spondeo docuimus. At qui prima longa duabus brevibus subiectis ordinatur, dactylus dicitur temporum quattuor, ut Virbius: qui [et] a situ et similitudine digitorum, qui in manibus habentur, vocabulum traxit. Nam ex utraque parte breviores longiori iunguntur. Huic contrarius mutata temporum vice, pari autem magnitudine, erit anapaestus, qui et antidactylus vocatur, ut scopulos. Horum in arsi et thesi tempus congruit, etiamsi in percussione discrepent syllabae. Anapaestus autem a situ contrario et repercussione dactyli, quod est ἀντιπαίεσθαι, dictus; ideoque antidactylus nuncupatur. Cum vero longis duabus praeponitur brevis, fit bacchius temporum quinque, ut Catones, qui a Bacchi carminibus seu

---

iunctionem inter se temporum et syllabarum disyllabi pedes in metris extendantur, trisyllabi vel tetrasyllabi contrahantur, quod supra cursim attigi, repetendum hoc vobis existimavi. nam trochaei seu iambi longa in duas breves divisa tribrachyn pedem efficiet. adaeque in spondeo soluta in breves prior longa anapaestum, sequens dactylum procreabit. utraque autem divisa tetrasyllabum e quattuor brevibus, id est proceleumaticum pedem, dabit, qui rursus [contra] consociatis inter se brevibus ad originem revertetur, id est spondeum reformabit: quod aeque dactylus et anapaestus brevibus suis in longam copulatis efficient. molossum [eum] quoque trium tetrasyllaborum parentem pedum in promptu est cernere. nam divisa prima eius longa ionicum ἀπὸ ἐλάσ-

---

3 pygnomus] χορεῖος ς *Keilio verum videtur* πύκνωμα *coni. Plat. rei publ. VII p. 531, quod nomen grammatici latini corruperint* 5 contrarium huic molossum dictum] *scil.* trisyllabi habebunt, *quod excerptoris neglegentiae tribuendum erit, qui artigraphi verba male distraxerit, nisi forte scribere praestat* contrarium huic molossum dant, dictum 8 quod] quae *B* 9 pyrricheo *corr.* -chio *A* 13 longiori iunguntur ς longior iunguntur *A B* 16 syllabae *delendum videtur* 18 quod] qui *B* ἀναπαίεσθαι *Santenius in Terentian. Maur. p. 77*

cantilenis, quae aptissime hoc metro componuntur, nomen accepit, vel quia familiariter hic rhythmus bacchantibus aptus sit. Cui mutato temporum ordine, mensura autem permanente, palimbacchius contrarius dabitur sive pompicus temporum totidem, ut Romanus. Horum arsis ac thesis eadem est, quae anapaesto et dactylo. Superest amphibrachys cum contrario sibi amphimacro sive cretico. Prior pes e brevi longa et brevi temporum quattuor erit, ut Homerus; sequens duabus utrimque longis media brevi temporum quinque scribitur quae Graeci κρητικά vocant, ut Eumenes. Uterque autem a compositione temporum vocabulum traxit. Horum arsis ac thesis longe inter se discrepant. Nam amphibrachys in triplo, creticus, cui de gente inventoris nomen est, in sesculo pensatur: de qua re in superioribus plenissime dictum est. Hoc pede ὑπορχήματα componuntur.

Nunc de disyllabis coniunctis, qui et duplices et tetra- 13* B

---

coνoc, tertia ionicum ἀπὸ μείζονος, media choriambum gignit. hoc idem et pedes ceteri, quos supervacuum est persequi, facere poterunt. unde orta progenies pedum, ausim dicere, merito (*an* meritoque?) credatur. nec te syllabarum adcrescentium in metris terreat numerus, cum uni cuique pedum praestituta legitime tempora custodiantur, quod frequenter in iambicis et trochaicis et ceteris metrorum generibus excepto heroico reperies. memineris sane trisyllabos pedes temporum dumtaxat quinque vel sex, ut est bacchius et molossus, cum in quibusdam metris, sicut in galliambico, longae eorum solvuntur in breves, vim tetrasyllaborum obtinere; † idem hoc et tetrasyllabis per disyllabos aut trisyllabos coniunctione temporum fieri. nam paeones primus et quartus coeuntibus in unam longam duabus suis brevibus amphimacrum vel bacchium vel palimbacchium gignunt. id Graeci κατὰ διαίρεσιν et συναίρεσιν sive ἕνωσιν, cum metri necessitas postularit, fieri memorant, quod necessario insinuandum esse credidi, ne syllabarum numero inducti aut simplices aut compositos pedes proprii status vim semper cum vocabulo obtinere catholice pronuntiaretis. *Cf. quae supra monui p. 102 sq.*

13* B *Mar. Vict. p. 47, 1:* Nunc de disyllabis — syllabis copulatur. *Schol. Hephaest. p. 124, 6:* Βάσις δέ ἐστι τὸ ἐκ δύο ποδῶν

---

3 tempore *corr.* -rum *B* 4 pompicus *B* ς *Val.* pompecus (i *supra* e) *A* 6 cum *add. Keilius, om. A B* ς 9 utrinque ς utrique *A B* *verba* scribitur — vocant *ad* ὑπορχήματα *spectare videntur Christio, ut scribendum sit* 15 ὑπορχήματα conscribuntur, quae Graeci κρητικά vocant: *cf. schol. Pind. Pyth. II 127* 10 ΚΡΗΕΤΙΚὰ *A* 13 in sesquiplo *B a Val.* ς sesquiplo *A* 14 in superioribus] *cf. fr. 12** 15 ὑπορχήματα (ὑπορχήματα *Nunnesius apud Santen. in Terentian. p. 97* componuntur *Keilius* ΕΠΟΡΧΗΜὰΤὰCON *A B* ἐπορχήματα constabant ς

syllabi pedes appellantur, quos etiam quidam sotadios vocant, referemus, quorum coniunctio basis appellatur. Nam graeco sermone duorum pedum copulatio basis dicitur, veluti quidam gressus pedum. Qui si eiusdem generis, id est pares, iugati fuerint, dipodian, aut, ut quidam, tautopodian, sin dispares, ut trochaeus cum iambo, syzygian efficiunt: in qua arsis unum, alterum thesis pedem obtinebit. Quamquam in his non numquam syllaba pro integro pede in ultima dumtaxat versus parte accepta propriam impleat thesin. Igitur tetrasyllabi pedes erunt omnes sedecim, ut geminato numero eadem taxatione trisyllabos, qua illi disyllabos, antecedant. In quibus spatia temporum a tetrachrono ad octachronum, id est a quattuor temporibus ad octo, producuntur. Quorum origo proceleumaticus e quattuor brevibus subsistens, ut Minucius, habebit contrarium dispondeum, e quattuor longis scilicet, ut compositum a spondeo nomen ostendit, qui solus in tetrasyllabis octachronos sive octasemus invenitur, cuius exemplum Calliclides, haud alias quam spondeus inter disyllabos tetrachronos est. Sequitur antispastus, cuius prima et ultima brevis, mediae duae longae, id est ex iambo et trochaeo compositus, ut Aristippus. Huic contrarius est choriambus ex longa et duabus mediis brevibus et longa, scilicet ex trochaeo et iambo copulatus, ut Penelope. Quorum mensura mutato tantum inter se temporum ordine [apud eos] congruit. At cum prior brevis subiecta longa, rursus brevis longa terminante componitur, erit diiambus pes, id est e duobus iambis adnexus, ut Simonides. Rursus cum praecedentem longam

---

ϲυνεϲτηκόϲ, τοῦ μὲν ἄρϲει τοῦ δὲ θέϲει παραλαμβανομένου. *Atil. Fortunat. p. 281, 3:* Hi sunt qui in usum [excepto dactylo] omnium carminum veniunt, qui gressibus alternatis quasi incedunt per versus et moventur. hic est motus et ingressio, quam Graeci basin appellant: de sublatione constat et positione, quae et thesis dicitur, ut est ‘arma vi’; ar sublatio est temporum duum, ma vi positio temporum duum. *Schol. Hephaest.*

---

5 dipodiam *A B* tautopodians in dispares *A B* 10 eadem *Keilius* ea *A B* ϛ 11 qua illi ϛ quam illi *A B* 18 Calliclides ϛ callicudes *A B* 23 capulatus *A* 24 apud eos *inclusit Keilius* 26 diambus *A B* duobus ϛ duabus *A B* longam ϛ longum *A B*

sequitur brevis, geminatum hoc facit ditrochaeum, ut Zenodorus. Consimilis ferme his et illa ionicorum ordinatio est. Nam praeeuntibus duabus longis subiectae duae breves, veluti spondeo pyrrichius adnexus, ionicum ἀπὸ μείζονος procreabunt, ut Demetrius. Rursus mutato temporum situ, cum breves in prima sede, in secunda autem longae constituuntur, id est pyrrichio spondeus iugatus, ionicum ἀπὸ ἐλάσσονος gignit, ut Diomedes. Sequuntur paeonici pedes numero quattuor, qui sunt pentasemi: sescupli enim ratione subsistunt, ideoque metris minime utiles existimantur. Sed et epitriti dicti ob adiectionem tertiae partis * quam sunt paeones, meritoque a Graecis ita dicti ἐπίτριτοι: nam sunt heptasemi. Unde ex tetrasyllabis, qui sunt numero XVI, quattuor tantum utiles adseruntur, id est choriambus et antispastus aequalitatis ratione constantes, sed et ionici duo, ceteris decem non

---

p. 134, 16 sqq. Diom. p. 480, 16: Pedes duplices sive conbinati vel quadrati sunt sedecim hi *e. q. s. Mar. Plot. p. 499, 9 sqq. Fragm. Ambros. p. 263, 9:* τὸ δὲ ὄνομα ἔχει λόγον· ἔστι γὰρ τριὰς καὶ τῆς τριάδος τὸ τρίτον. ἐπειδὴ τοίνυν ἑπτάσημοί εἰσιν ἔχοντες τριάδα καὶ ἑτέραν τριάδα καὶ μονάδα, ἥτις ἐστὶ τριάδος τὸ τρίτον, δικαίως ἐπίτριτοι καλοῦνται.

---

1 Zenodorus ς *A* Zenodotus *B Val.* 2 consimilis ferme his ς cum similis ferme his *A* cum similis forme his *Val.* cum similis formae his *B* 6 in *posteriore loco add. Keilius, om. A B* ς 7 iugatur *Santenius in Terentian. p. 121* 9 pentasemi sesquipli ς *Val.* pentasimi sesquipli *B* pentasemi . . . . quipli *corr.* pentasemi; sesquipli *A* sescupli enim ratione consistunt: sed et epitriti, dicti ob adiectionem tertiae partis, meritoque a Graecis ita dicti ἐπίτριτοι, nam sunt heptasemi, ideoque metris minus etiam utiles aestimantur quam sunt paeones. unde e tetrasyllabis *Caesar 'Grundz. d. griech. Rhythm.' p. 169* consistunt ς minime utiles *Santenius in Terentian. p. 123* minime inutiles *A B* ς existimantur *Keilius Corrigend. p. 671* aestimantur *A B* ς 10 *verba* sed epitriti — haberi volunt *ex margine inlata esse male coniecit C. Thiemannus in Fleckeiseni Annal. a. 1873 p. 429* et *add. Keilius, om. A B* ς 11 *lacunam sic explevi:* tertiae partis non minus inutiles quam sunt paeones, *quibus praefert Keilius* sed et epitriti, qui sunt item numero quattuor, non minus inutiles sunt quam paeones, meritoque a Graecis ita dicti, ἐπίτριτοι, ob adiectionem tertiae partis: nam sunt heptasemi 12 ЄΠΙΤΡΙΤΟ *A* 13 unde ex tetrasyllabis *A* unde tetrasyllabis ς *B fortasse* unde et ex tetrasyllabis

adeo necessariis: nam ditrochaeum et diiambum inter disyllabos magis aptos haberi volunt. Igitur paeon primus erit prima longa cui tres continuae breves adhaerent, ex trochaeo et pyrrichio copulatus, ut Caecilius. Secundus paeon praecedente brevi, sequente longa, cui subiciuntur duae breves, ex iambo et pyrrichio formabitur, ut canephorus. Tertius e duabus brevibus, longa tertia, quarta brevi syllaba, compositus ex pyrrichio et trochaeo, ut Epicurus. Quartum autem quarta longa, tribus brevibus syllabis in prima regione positis, ex pyrrichio et iambo conexum accipiemus, ut Diogenes. Supersunt epitriti, qui et hippii, adaeque numero quattuor, quodque est veluti genus paeonicorum, praesertim cum sint spatio temporum dispares, forma consimiles: sunt enim heptasemi, id est temporum septem. Quorum primus priore syllaba brevi, sequentibus longis tribus, ex iambo et spondeo constabit, ut Aristocles. Secundus e longa et brevi, subiunctis ei duabus longis, erit ex trochaeo et spondeo copulatus, ut Archimedes. Tertius, in quo primae duae longae, tertia brevis, longa ultima, ex spondeo et iambo concretus videbitur, ut Demosthenes. Restat complendo tetrasyllaborum pedum numero epitritus quartus, quem primae tres longae, quarta in ultimo brevis ex spondeo et trochaeo conexum esse demonstrant, ut Irenaeus.

Hac inspectione conicere poteris, quem ad modum ex

Schol. Hephaest. p. 128, 25 ed. Westph.: Ποcοῦνται τοίνυν οὗτοι, οἵ τε δicύλλαβοι τέccαρεc, οἱ τριcύλλαβοι ὀκτώ, καὶ οἱ τετραcύλλαβοι ἑκκαίδεκα, εἰc εἴκοcι ὀκτώ. Καὶ μέχρι μὲν οὖν τούτων οἱ ἀκριβέcτεροι τῶν

---

2 erit prima longa cui tres *Keilius* erit cui prima longa tres *A B* ς *fortasse praestat* erit e prima longa cui tres

10 ex pyrrichio et iambo *B Val.* ς ex pyrrichio et $\overset{\text{iambo}}{\text{trochaeo}}$ *A* 11 adaeque ς at aeque *A B* 12 que *post* quod *delet Keilius* cum sint *Santenius in Terentian. p. 128* cum sin$\overset{t}{e}$ *B* cum sine *A* ς 13 sunt enim eptasemi *B Val.* sunt etenim eptasemi *a* sunt et heptasemi, *ut videtur, A* sunt, etenim heptasemi ς 16 Aristocles ς aristoteles *A B* 21 pedum *om. B.* 23 Irenaeus (iraeneus *A*)] *cf. quae disputavimus p. 100*

24 hac inspectione ς *B* hac spectione *A*

disyllabis et trisyllabis pentasyllabi, sed et geminatis trisyllabis hexasyllabi pedes formati videantur, quorum syllabatim per tempora species comprehendi poterunt. Nam etiamsi propriis nominibus, ut alii pedes, minime exprimuntur, tamen situ syllabarum et substantia temporum manifesti sunt.* * qui rursus soluti exigente usu ad proprium statum condicionemque revocabuntur. Igitur cognatio et quaedam ad incrementum propagatio, qua pedes a primordio multiplicati noscuntur, talis est. Nam ex primigeniis duobus pyrrichio et spondeo adquisitis facta temporum permixtione iambo et trochaeo quattuor disyllabi pedes effecti sunt. Quorum status adiectione syllabarum simul ac temporum propagatus in trisyllabos pedes octo processit, qui pari ratione adcrescentes tetrasyllabos ex se geminato trisyllaborum numero XVI ediderunt. Rursus XVI tetrasyllabi simili ut superiores geminatione triginta et duo ex se schemata, id est figurationes, pedum pentasyllaborum reddiderunt. Hi quoque dum per syllabas, ut priores, augentur ac tempora, hexasyllabos pedes pari ratione in schematibus sexaginta et quattuor simili duplicatione protulerunt. Ita [ut] summa omnium ad centum viginti et quattuor pedes redacta est, ita ut simplices numero duodecim, compositi centum et duodecim habeantur. Hi aut eiusdem inter

μετρικῶν ἱςτῶςι τοὺς πόδας· καὶ εἴ που δὲ εὑρεθῇ πεντας ύλλαβος πούς, λυομένης, φαςί, τῆς ἔν τινι τετραςυλλάβῳ ποδὶ μιᾶς μακρᾶς εἰς δύο βραχείας, γίνεςθαι τοῦτον. Ἄλλοι δέ φαςι, τοὺς τετραςυλλάβους προςλαμβάνοντας ἑκατέραν τῶν (δύο) ςυλλαβῶν, πενταςυλλάβους ἀπογεννᾶν τριάκοντα δύο, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῶν διςυλλάβων καὶ τριςυλλάβων. Ὥςπερ γάρ, φαςίν, οἱ διςύλλαβοι τέςςαρες ὄντες τὰς δύο ςυλλαβὰς προςλαμβάνοντες τοὺς ὀκτὼ τριςυλλάβους ἐποίηςαν, οὕτω καὶ οἱ ἑκκαίδεκα τετραςύλλαβοι τὰς τοιαύτας ἑκατέρας προςλαμβάνοντες τοὺς λβʹ πενταςυλλάβους ποιοῦςιν· οἷς ὀνόματα μὲν οὐκ ἔθεντο ἰδίως ἑκάςτοις, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τῶν προειρημένων μετὰ

1 pentasyllabi sed ς*B* pentasyllabis sed *A* pentasyllabis sed *Val.* 4 tamen situ ς tamen si situs *B Val.* tm̄ sisutus *A* 5 *ante* qui rursus *excidisse quaedam de contractione syllabarum et temporum, qua ex pentasyllabis et hexasyllabis pedibus fiunt trisyllabi, vidit Keilius* 14 trisyllaborum numero *B Val.* ς trisyllabårum numero *A* rursus XVI *B Val.* rursus XIII *A*ς 20 ut *seclusit Keilius, sed fortasse fuit olim:* qui fit ut summa *(cf. p. 196, 20)* omnium ad centum viginti et quattuor pedes redacta simplices numero duodecim, compositi centum et duodecim habeantur 21 redacta sit ς 22 hi aut eiusdem *Keilius* hi autem eiusdem *A B* ς

se mensurae sunt aut sescuplo anteeunt aut duplo. Ex quibus magis mele et rhythmi lyricorum modulorum quam metra formari poterunt. Incipiunt autem et porriguntur tempora in pentasyllabis a quinque usque ad decem, id est a pentasemo ad decasemum χρονικῇ παραυξήσει, ut sit pentasemus, ut Philopolemus e quinque brevibus, a a a a a; decasemus autem e quinque longis, ut Atroxiclides, cuius canon per quinque b b b b b signabitur. Item hexasyllabi ab hexasemo ad duodecasemum χρονικῇ παραυξήσει, ut Menelaophorus e sex brevibus: huius canon a a a a a a, qui est duplex tribrachys. Alter e sex longis, quibus tempora duodecim subsistunt, ut Callistochermedes, qui est duplex molossus, hoc canone signabitur, b b b b b b, ut sit duodecasemus.

Non parva autem in pentasyllabis copulandis quaestio est, qua colliguntur differentiae figurarum. Namque interest mediam syllabam cui parti velis adnectere. Aliud est enim, si duabus praecedentibus sociata faciat coniunctionem ex trisyllabo et disyllabo; contrarium autem, si a duabus praecedentibus divulsa postremis duabus subsequentibus copuletur, ut sit coniugatio e disyllabo et trisyllabo. Qui fit ut multiplex harum figurarum numerus per differentias oriatur. Erit igitur in exemplo hic versus, 'armiger in Ida pede vago li-

---

συλλαβῆς συνθέσεως ἕκαστον δηλοῦσι. *Ibid. p. 129, 22:* Πάλιν δὲ τούτοις τοῖς λβʹ πεντασυλλάβοις ἑκατέραν τῶν δύο συλλαβῶν (προστιθέντες) ἑξασυλλάβους ποιοῦσι ξδʹ. Καὶ εἰσὶν ὁμοῦ οἱ πάντες δʹ, ή, ιςʹ, λβʹ, ξδʹ, συγκροτούμενοι εἰς ρκδʹ. *Ibid. p. 129, 13:* τὰς διαιρέσεις αὐτῶν διπλᾶς ποιοῦνται, τρισυλλάβους φάσκοντες εἶναι μετὰ δισυλλάβων, ἢ δισυλλάβους μετὰ τρισυλλάβων. Αὐτίκα γὰρ 'ἤλιε θοαῖς ἵπποισι' δύνανται διαιρεῖν καὶ ἰαμβικῶς καὶ τροχαϊκῶς. Ἰαμβικῶς μέν, τὸν μὲν πρῶτον πόδα ποιοῦντες τρισύλλαβον, ἤγουν δάκτυλον, τὸν δὲ δεύτερον ἴαμβον· τροχαϊκῶς δέ, τὸν μὲν πρῶτον πόδα ποιοῦν-

---

1 sesquiplo *A B* ς anteeunt] anteum *B* *verba* ex quibus *sqq. excerptoris neglegentia a pentasyllaborum et hexasyllaborum definitione longius remota esse statuit Keilius, sed fortasse olim post* 12 ut sit duodecasemus *legebantur, nisi forte placet v.* hi autem (et ipsi) — aut duplo *secludere auctore Christio, ut* ex quibus *sqq. ad* compositi *referatur* 6 ut *add., om. A B* ς Philopolemus] *vide quae disputavi p. 98* a a a a a] ά ά ά ά ά *hic et infra* (10) *reponi iubet Christius, item* β́ β́ *sqq.* (8 *et* 13), *ut numerus temporum indicetur* 10 huius canona *A* 12 molossus et hoc ς 20 qui] quae *B* multiplex *Caesar Mus. Rhenan. t. VI a. 1848 p. 160* multiplices *A B* ς 22 armiger] *cf. Iuba apud Rufin. p. 562, 7*

tora petens'. Nam si, ut trochaicum scandas, erunt omnes coniugationes e trochaeo et anapaesto; si contra, ut a trisyllabo incipias, erunt omnes coniugationes ex dactylo et iambo et efficietur iambicus versus. Iuxta quae intellegi datur varia divisione coniugationum naturam versuum vel a trochaico in iambicum vel ab iambico in trochaicum posse transduci. Hoc igitur de cunctis triginta duobus pentasyllabis pedibus accipiendum est: quae quidem variatio non in aliis quam in pentasyllabis coniugationibus evenire consuevit causa mediae syllabae, quae movetur, cum aut praecedentibus aut subsequentibus syllabis copulatur.

Metrum est compositio pedum ad certum finem deducta 14*
seu dictionum quantitas et qualitas pedibus terminata vel rhythmus modis finitus. Prima autem metra sunt syllaba brevis et syllaba longa: ex his enim metimur ipsos pedes ac

---

τεϲ διϲύλλαβον, τροχαῖον, τὸν δὲ δεύτερον, ἀνάπαιϲτον, ἰϲοδυναμοῦντα τῷ ϲπονδείῳ. *Mar. Plot. p. 497, 10:* sunt et ex disyllabis et trium syllabarum pedibus copulatis pedes syllabarum quinque et ex duplicatis trisyllabis pedes senarum syllabarum, de quibus non arbitror esse necessarium diligentius laborare. *Ibid. 499, 27:* hoc tamen scire debemus, quod quinque syllabarum pedes et sex in metro reperiri possunt, et maxime in chororum modulatione, sed non scanduntur more eorum pedum, qui ex quattuor syllabis constant. nam illi iuncti ex disyllabis uno nomine suo nuncupantur, hi vero per eas partes, per quas compositi sunt; ut si sit ex spondeo et dactylo pes compositus, non totus ipse scanditur, sicut proceleumaticus, sed spondeo et dactylo: sic etiam si ex duobus dactylis componatur. sed horum omnium subiungere schemata est quidem possibile, sed molestum. *Mall. Theod. p. 588, 2:* Pentasyllabos etiam quidam et hexasyllabos pedes, quos Graeci syzygias vocant, faciendos crediderunt, quorum nobis superflua et inanis opera repudianda est, cum eorum etiam pedum, quos saepe enumeravimus, conplures ab omni metrica disciplina alieni sint. *Cf. quae dixi p. 147 sq.*

14* *Mar. Vict. p. 50, 4:* Metrum est — auditu est. *Cf. supra fr. 10*. — Arist. Quintil. p. 49 ed. Meib.:* Μέτρον μὲν οὖν ἐϲτὶ ϲύϲτημα ποδῶν ἐξ ἀνομοίων ϲυλλαβῶν ϲυγκείμενον, ἐπὶ μῆκοϲ ϲύμμετρον. *Fragm. Ambros. p. 265, 9 ed. Nauck. Longin. proleg. in Hephaest. p. 82, 15 ed. Westph.:* Κριτικὴ μέτρων ἐϲτὶν ἡ ἀκοή. *Fragm. Ambros. p. 266, 4. Atil. Fortunat. p. 282, 8:* Metron est conceptio certis et legitimis pedibus expedita. dicitur autem et unus pes metrum, unde hexametrum versum

---

2 e trochaeo — 3 coniugationes *in marg. add. A* 10 quae mouetur *A* ς quidē mouetur *B* 12 *verba* metrum — deducta *et* vel rhythmus modis finitus *ad Varronis de sermone latino librum quartum rettulit Wilmannsius de Varr. libr. gramm. p. 196* 14 *v.* prima autem — metris carmina *postea adiecta esse opinatur Christius* 15 et *om. A B* ς, *add. Keilius*

rursus ex pedibus metra et deinceps de metris carmina. Initium autem metri coniugatio syllabarum, ex quibus colligitur totius qualitas metri. Iudicium vero in auribus et auditu est.

15* Species igitur metrorum sunt quattuor, epica, melica, comica, tragica. Epos est proprie heroicum metrum, quod divinarum humanarumque rerum et vel maxime heroum facta versu hexametro comprehenduntur. Quod graeca significatione

---

appellamus, et una ϲυζυγία, unde iambicum sive quem alium ex coniugationibus constantem trimetrum dicimus; similiter et versus unus, unde trochaicum metrum dico et paginam metra habere decem, cum versus eius numero. unam quoque syllabam metron dixerunt, a qua mensura incipit. ergo et syllaba, a qua pes, et pes, a quo ϲυζυγία, et ϲυζυγία, a qua comma vel colon, et comma vel colon, a quo versus nascitur, metra dicuntur. *Diom. p. 474, 2:* metrum est pedum iunctura numero modoque finita. vel sic, metrum est conpositio pedum ordine statuto decurrens modum positionis sublationisque conservans. *Isidor. orig. I, 38, 1.*

15* *Mar. Vict. p. 50, 10:* Species igitur — monstravit Homerus. idem et pythium, quod interfecto pythio dracone compositum esse dicatur, cum Delphorum incolae laudem Apollinis ita persequerentur, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, quod constat ex spondeis sex. idem erit et iambicum trimetrum, si ι litteram, quae dichrona est, corripias. in his enim [dactylo et iambico] metrorum omnium fundamenta subsistunt. hoc quidam a Lino Apollinis antistite, alii ab Orpheo, non nulli ab Homero inventum putant. melicum autem sive lyricum, quod ad modulationem lyrae citharaeve componitur, sicut fecit Alcaeus et Sappho, quos plurimum est secutus Horatius. carmen autem lyricum, quamvis metro subsistat, potest tamen videri extra legem metri esse, quia libero scribentis arbitrio per rhythmos exigitur. tragicum autem, quod trimetro magis versu componitur, quo usi sunt Sophocles et Euripides. comicum vero varia versuum et modulorum lege compositum reperitur, sicut plerumque apud Menandrum, sed et alios, cognoscimus. metrorum genera alia a dis appellata, ut dithyrambicon, priapicon; alia ab inventoribus, ut archilochium, sotadium; alia ab his qui crebrius usurparunt, ut sapphicum, asclepiadicum; alia a qualitate pedum, ut iambicum, dactylicum, anapaesticum; alia a numero pedum, ut trimetrum, tetrametrum, hexametrum; alia a numero syllabarum, ut heptasyllabon, hendecasyllabon. *Schol. Hephaest. p. 166, 16 ed. Westph.:* Ἡρωϊκὸν δὲ καλεῖται τὸ μέτρον, ἐπείπερ Ὅμηροϲ ὁ ποιητὴϲ τὰϲ τῶν ἡρώων πράξειϲ διεξιὼν τούτῳ κέχρηται τῷ μέτρῳ. *Cf. ibid. p. 162, 19. Ibid. p. 161, 15:* Ἡρῷον, ἀπὸ τοῦ τὰϲ πράξειϲ τῶν ἡρώων τούτῳ γεγράφθαι τῷ μέτρῳ *e. q. s. Ibid. p. 161, 19:* Ἔποϲ κατ᾽ ἐξοχήν, ἀπὸ τοῦ ἕπεϲθαι τὰϲ βάϲειϲ ἀλλήλαιϲ. *Diom. p. 484, 7. Atil. Fortunat. p. 284, 4:* idem et epicus dicitur, quod sermonum capax, et quod per eius pedes simplicius et facilius verba eant atque decurrant, ἀπὸ τοῦ ἕπεϲθαι. *Ibid. p. 283, 7:* et sumunt vel a pedibus nomina ex quibus constant, ut dactylica et anapaestica; vel ab inventoribus, ut phalaecia vel sotadica; vel ab his qui ea maxime frequentarunt, ut aristophania et asclepiadia; aut ab

---

8 quae graeca *B*

dictum putant ἀπὸ τοῦ ἕπεϲθαι ἐν αὐτῷ τὰ ἑξῆϲ μέρη τοῖϲ πρώτοιϲ, id est quod primas partes eius ceterae insequantur. Hoc metro Homerus heroum virtutes est persecutus, sicut Horatius refert dicens

res gestae regumque ducumque et tristia bella
quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

Metrum autem bifariam accipiemus: nam aut poeticum 16*
metrum est aut bioticum. Bioticum metrum est quod in usu vitae et humana conversatione taxatur, quod ipsum accipietur modis quattuor: primo per spatium longitudinis, ut metrum cubitale, pedale, palmale: secundo per ponderum examen, ut in libra, uncia, scripulo; tertio per qualitatem acervalem, ut in modio, sextario, hemina; quarto per qualitatem umidam et fluxam, ut in cyatho, congio. Poeticum vero metrum, quod a poetis per syllabas pedum et versus figuratur, et ipsum intellegetur modis quattuor: per tempora, ut syllaba longa aut brevis cum dicitur; per numeros, quia certa syllabarum

---

usu, ut priapea; aut a numero syllabarum, ut hendecasyllaba, aut a numero pedum, ut versus senarios dicimus, aut a numero syzygiarum, ut trimetros et tetrametros dicimus, aut a passionibus, ut coluros et scazontas, aut a tempore, ut saturnios, quod eodem tempore primum in Italia usurpati sunt, quo Saturnia urbs erat.

16* *Mar. Vict. p. 51, 6:* Metrum autem — hexameter intellegitur. *Diom. p. 474, 9—19:* Metrum tripliciter auditur. nam aut bioticon metrum est quod in usibus vitae et conversationis humanae * poeticon metrum est quod a poetis per verba ac versus figuratur, quod et ipsum intellegitur modis quattuor, primo per temporis spatium, ut in syllaba brevi aut longa, quoniam metron, id est mensura temporis certa, corripitur atque producitur: secundo per numerum syllabarum [positione metrum quoque finitur], quoniam pes vel disyllabus vel trisyllabus vel duplex nominatur: tertio per qualitatem pedum,

---

2 est *om. A B* ς, *add. Gaisfordius* 3 hoc metro homerus heroum uirtutes *B* hoc metro[homerus] horoum uirtutes *A* hoc metro homerus uirtutes *Val.* hoc metro Homerus uirtutes Heroum ς persecutus *Keilius* prosecutus *A B* ς 4 Horatius] *art. poet. 73* 5 res gestae ς *B* regestae *A* 8 bioticon *priore loco A* 13 in modio *B a Val.* ς in medio *A* 14 ut in cyatho, congio] *fortasse* ut in urna, cyatho, congio: *certe terna nomina enumerantur in superioribus* 17 aut *om. A B* ς, *add. Keilius ex Diomede*

dinumeratione metrum finitur; per qualitatem pedum, quia certis pedibus versus quique procedunt, unde iambica trochaica et dactylica metra dicuntur; per numerum pedum, quia versus pro mensura sua quisque trimeter et tetrameter et hexameter intellegitur.

17* Quidam autem non pedem metrum esse volunt, sed syllabam, quod hac ipsum quoque pedem metiamur et quod finita esse mensura debeat; pedes autem in versu variantur. Alii rursum nec pedem nec syllabam metrum putant esse dicendum, sed tempus, quia omne metrum in eo quo metimur numero finitum est, ut decempeda (non enim modo decem habet, modo undecim, modo duodecim pedes, sed semper decem): unde pedem metrum esse non posse, quia in versu

---

quia certis pedibus versus quisque conficitur; unde dactylica spondiazonta metra dicuntur: quarto per numerum pedum, quia versus pro mensura sua quisque pentametri vel hexametri vel deinceps intelleguntur.

17* *Mar. Vict. p. 51, 19:* Hexametrum poetae appellarunt, quod sex pedibus ingrediatur, quos metra eodem modo Graeci nominant, sicut et illa quibus metimur, cum et trimodium sit certa mensura et modius et hemina nihilo minus et cyathus, exigua mensurae portio, parique ratione decempeda et pes et digitus. sic et totus versus metrum et singuli pedes, quibus eum metimur, metra nominantur. itaque quia sunt verba rebus pauciora *. nam propter infinitam rerum multitudinem cum nequaquam omnibus vocabula propria invenirentur, quae ratio loquendi flagitabat, translaticie a quacumque re simili ac proxima pleraque appellari coeperunt, ut in montibus vertices, in vitibus flagella, in exercitu acies alae et cornua, in surculis gemmae et cetera per metaphoran translata. quidam autem — finitum inveniri. nobis supervacua videtur esse pugna vocis, cum de re conveniat, siquidem metrum et in syllaba et in tempore et in pede constitutum ad unam summam decurrat. horum etenim omnium cognita potestate supervacua est lis omnis. nam cum temporibus syllabam metiamur, syllabis pedes, pedibus versum, conexum inter se ius omnium reperimus; quem ad modum cum pedale vel libra metitur aliquid, est in illis uncia, est semuncia, est digitus vel ab eo minus quippiam, per quas portiunculas ipsum pedem computamus et libram. simili modo metrum erit et in tempore et in syllaba et in pede; sed minimum metrum tempus, id est brevis syllaba, erit, maius quod ex duobus temporibus, e quis et pes stabit. nec minus pro metro frequenter colis utimur, cum aliquam oden compositam ex strophe et antistrophe et epodo metimur per cola. carmen vero ipsum versibus

---

6 metron *A B* 7 quod hac] quae hac *B* et quod] et quae *B* 8 uarientur *ed. Sanctandr., quod verum videtur* 13 metron *A B*

modo unus est dactylus, modo duo, seu spondei, interdum incurrunt trochaei aut amphimacri, quorum diversitate iuxta spatia temporum metrum, quod certam mensuram habere debeat, nequaquam finitum inveniri.

Metra autem quaedam singulis pedibus, quam monopodiam, quaedam binis, quam dipodiam vocaverunt, scandi moris est (hanc nos coniugationem appellamus): et per monopodiam quidem sola dactylica, per dipodiam vero cetera. Igitur cum hexameter versus metrorum omnium finis ac summa sit, hi qui epici non sunt, si per singulos pedes feriantur, excedant necesse est modum hexametri versus. Unde per dipodias feriuntur, ut, etiamsi decem pedum fuerint, non decametri appellentur, sed pentametri, quinque scilicet dipodiis computatis. 18*

Consideranda praeterea in metris cola, quae latine mem- 19*

---

aestimamus. *Psellus proleg. rhythm. ed. Caes. Mus. rhen. nov. t. I p. 621, 1:* ὁ δέ γε Ἀριϲτόξενοϲ, οὐκ ἔϲτι, φηϲί, μέτρον ἡ ϲυλλαβή. *Longin. proleg. ad Hephaest. p. 87, 16 ed. Westph.:* Χρόνοϲ γὰρ ϲυλλαβὴν ποιεῖ, ϲυλλαβὴ δὲ πόδα, πoὺϲ δὲ ϲυζυγίαν, ϲυζυγία δὲ ϲτίχον, ϲτίχοϲ δὲ ποίημα. Πάντα οὖν εἰκότωϲ μέτρα προϲαγορεύεται. *Cf. Westphalius 'Die Fragm. u. d. Lehrs. d. gr. Rhythm.' p. 12. 91 sq.*

18* *Mar. Vict. p. 53, 18:* Metra autem — dipodiis computatis. *Arist. Quintil. p. 50 ed. Meib.:* Τὸ μὲν γὰρ (*sc.* δακτυλικὸν) καθ' ἕνα βαίνεται πόδα *e. q. s.* *Schol. Heph. p. 174, 24:* ἐὰν γὰρ ὑπερβῇ τὸ δακτυλικὸν τὸ ἑξάμετρον, κἀκεῖνο βαίνεται κατὰ διποδίαν· ἐὰν μέντοι ἐντὸϲ ᾖ τοῦ ἑξαμέτρου, τὴν ἐξουϲίαν ἔχει βαίνεϲθαι κατὰ μονοποδίαν. *Cf. Atil. Fortunat. p. 282, 1:* in dactylico vero, cui nec pes nec syllaba potest in ingressione deesse, quippe cum eius simplicibus pedibus basis constet, non nisi acatalectum invenire poterimus. ideo autem dactylica sola simplicibus pedibus ingrediuntur, quoniam dactylus et spondeus aequalitatem temporum habent, alia autem per syzygias, quoniam diversae potestatis pedibus constant. *Mar. Plot. p. 500, 27. 519, 4. Mar. Vict. p. 76, 22:* Scio quaesitum, cur dactylicum singulis pedibus, anapaesticum per syzygian scandatur, cum inter se omnifariam congruant. persuasum est nullum metrum hexametro posse esse maius; igitur cum anapaesticus versus et septem et octo pedum reperiatur, placuisse maioribus eum per syzygias caedi, non alias quam si dactylicus supergrederetur hexametrum, utique per syzygias scanderetur.

19* *Mar. Vict. p. 53, 27:* Consideranda praeterea — in his

---

5 quedam (i *supra* e) singulis *B* 6 quidam binis *B* 8 per dipodian *A* 11 per dipodeas *B* 14 Consideranda *e. q. s.*] *maximam fragmenti partem ad Varronis de sermone latino librum quartum rettulit Wilmannsius de Varron. libr. gramm. p. 65, sed totum capitulum nimis turbatum esse, quam quod certo emendari possit l. s. p. 198 sq.*

bra, item comma, quod caesum a nobis proprie dicitur, id est extrema et exigua pars in metris (mensura enim seu modus metrorum huius modi accipietur: nam extremum in his atque ultimum, quod monometron dicitur, constat ex uno pede, maximum vero usque ad periodum decametrum porrigetur). Quorum differentia talis est: colon est membrum quod finitis constat pedibus, comma autem in quo vel pars pedis est. Erunt itaque cola particulae solutorum metrorum [ut 'arma virumque cano'], omnis autem versus κατὰ τὸ πλεῖϲτον in duo cola dividitur. Abusive autem etiam comma dicitur colon. [his quidam adiungunt stichum, id est versum, sub huius modi differentia, ut sit versus qui excedit dimetrum, unde et hemistichium dicitur, colon autem et comma intra dimetrum.] Erit itaque colon, cum integrae fuerint syzygiae;

---

caedatur. *Cf. Mar. Vict. p. 64, 32. 70, 18. Hephaest. p. 64, 7:* Τὸ δὲ ἔλαττον ὂν τριῶν ϲυζυγιῶν, ἐὰν μὲν πλήρειϲ ἔχῃ τὰϲ ϲυζυγίαϲ, ἀκατάληκτόν ἐϲτι, καὶ καλεῖται κῶλον, ἐὰν δέ τι ἐλλείπῃ, κόμμα. *Cf. Wilmannsius de Varron. libr. gramm. p. 65. 198 sq. Diom. p. 494, 22. Atil. Fortunat. p. 282, 27:* Colon est pars sive partes versus integris pedibus impletae, ut 'defecisse videt sua'; habet enim tres pedes integros: comma pars versus sive partes imperfectae, ut 'arma virumque cano'; habet enim duos integros pedes et dimidium. et colon dictum quasi a corpore abscisum integrum membrum, comma vero quasi trunca pars membri a corpore amputata. *Mar. Vict. p. 184, 9:* constat autem μέλοϲ ex colo et commate. colon est quaedam pars orationis integra pedum compo-

---

1 quod] quae *B* 3 extremum in his atque ultimum ς*B* extremum (extrema *A* extremum *a Val.*) in his atque ultimam *A Val.* 5 usque ad periodum decametrum] *cf. Westphalius Metr. I p. 664 ed. sec.* 8 erunt itaque — 13 intra dimetrum '*vel ab ipso Victorino vel ab eo quem auctorem secutus est' reliquae disputationi interposita esse suspicatur Keilius: mihi ea solum quae seclusi videntur ex margine inrepsisse. Nam sic olim lectum fuisse:* erunt itaque cola particulae solutorum metrorum, cum integrae fuerint syzygiae; commata *(sic)* vero, cum imperfectae. omnis autem versus κατὰ τὸ πλεῖϲτον in duo cola dividitur. abusive autem etiam comma dicitur colon *probabile fit Victorini verbis p. 184, 9.*

9 ut arma virumque cano *olim verbis* abusive autem etiam comma dicitur colon *adscripta huc falso inlata sunt* omnis ς omniū *A B* ΠΛΕΙCΤΟΝ *a*ς*B* ΠΔΕΙCΤΟΝ *A Val.* 10 etiam et comma *B* 13 unde et hemistichium dicitur *quae post v.* intra dimetrum *omiserat librarius, falso post* excedit dimetrum *inseruit*

comma vero, cum imperfectae. Proprie autem Graeci cola dicunt quaecumque circa iuncturas aut artus porrecta sunt in longitudinem membra: unde Euripides καὶ κῶλα κώλοις τετράπουν μιμήσομαι [unde dictum melos, brachia scilicet et femina]. Nec immerito apud quosdam haec communiter mele appellantur, quae nos carmina interpretamur et membra,

---

sitione coniuncta, cuius pars comma dicitur. erunt itaque cola particulae solutorum metrorum, dumtaxat cum integrae fuerint syzygiae, comma vero cum imperfectae. omnis autem versus κατὰ τὸ πλεῖστον in duo cola dividitur, abusive autem etiam comma dicitur colon. *Pomp. comm. p. 281, 33:* colon dicitur, quotienscumque integri pedes determinant sensum; comma dicitur, quotienscumque post integros pedes superest syllaba, quae determinat sensum. puta si dicas 'optimus omnium', optimus omnium duo dactyli sunt; ergo colon est. 'arma virumque cano', arma virumque ca, no superest syllaba, quae partem

---

1 proprie ς *B* propriae *A* propriae *Val.* 2 porrecta sunt in longitudinem, brachia scilicet et femina. unde Euripides — μιμήσομαι *deletis* membra *et* unde dictum melos *coniecit Keilius praeeunte ex parte Bergkio* 2 sunt *om. A, add. a* ς *B Val.* 3 Euripides] *Rhes. 211* ΚΩΛΟΙϹΤΕΤΡΑΠΟΥΝ *B a Val.* ς ΚΩΛΙϹΤΟΤΡΑΠΟΥΝ *A* 4 μιμήσομαι, [unde dictum melos . . . brachia scilicet et femina] nunc in metro apud quosdam haec communiter mele appellantur, quae nos carmina interpretamur et membra, quoniam mele Graeci divisa membrorum vocant *Bergkius in commentat. acad. benef. Marperger. lege edita Hal. a. 1863 p. 3, ut v.* brachia scilicet et femina *olim verbis* divisa membrorum *vel eis quae antecedunt* porrecta sunt in longitudinem membra *adscripta fuerint.* μιμήσομαι, brachia scilicet et femina. * unde dictum μέλος * nec in metro *. apud quosdam haec communiter μέλη appellantur, quae nos carmina interpretamur et membra, quia μέλη Graeci divisa membrorum vocant. partes ergo *sqq. Wachsmuthius* μιμήσομαι. unde dictum μέλος, nec in metro apud quosdam haec communiter μέλη appellantur, quae nos carmina interpretamur, set membra, quia μέλη Graeci divisa membrorum, brachia scilicet et femina, vocant. partes ergo *sqq. Christius, 'd. Versk. des Horaz' ('Sitzungsber. d. baier. Akad.' 1868 I, 1) p. 30, qui Varronis haec esse vult coll. Charis. p. 289, 19* 5 nec immerito *Camerarius* nec in metro *A B* ς 6 et membra, quia (quia *Wachsmuthius*) mele Graeci divisas membrorum vocant partes (*vel* et membra, quia mele Graeci et membra divisa et membrorum vocant partes) *Keilius* et membra quae mele (melle *B*) graeci diuisa membrorum uocant partes *A B* ς

quia mele Graeci divisas membrorum vocant partes. Ergo versus, cum [ex] ea qua coniunctus erat parte dissolvitur, cola efficit; cum vero ea qua coniunctus erat parte absciditur, particula, quae divulsa ex eo est, comma dicetur, ut in illis versus solvatur, in his caedatur.

20* Periodus, quae latina interpretatione circuitus vel ambitus vocatur, id est compositio pedum trium vel quattuor vel complurium similium atque absimilium, ad id rediens, unde exordium sumpsit, sicut temporis lustrum vel sacrorum trieteris, erit et in poematis, quando non versus omnes eodem metri genere panguntur, sed ex variis versibus carmen omne compositum per circuitum quendam ad ordinem suum decurrit. Περίοδοϲ dicitur omne hexametri versus modum excedens, unde ea quae modum et mensuram habent metra dicta sunt. Subsistit autem ex commatis colis et versibus.

---

terminat; hoc comma vocaverunt. *Boissonad. Anecd. Graec. t. IV p. 458, 5:* Μέλη δὲ τὰ ἐν αὐτοῖϲ (*sc.* ποιήμαϲιν), ἤτοι διὰ τὸ ἀπὸ τελείων ἀφαιρεῖϲθαι μέτρων (καὶ γὰρ ἡμεῖϲ τὰ ἀπὸ τελείων ἀφαιρούμενα μέτρων μέλη καλοῦμεν), *e. q. s.* *Mar. Vict. p. 184, 7:* vel ideo μέλοϲ, quoniam pars est ᾠδῆϲ καὶ λέξεωϲ, sicut et corporis nostri partes graece μέλη appellantur.

20* *Mar. Vict. p. 55, 1:* nam periodus, quae — colis et versibus. *Hephaest. p. 64, 10:* ϲύϲτημα δέ ἐϲτι μέτρων ϲυναγωγή, ἤτοι δύο ἢ πλειόνων, ἢ ὁμοίων ἢ ἀνομοίων. *Cf. 'Heliod. Unters.' p. 130. Iub. fr. 48* p. 236, 7:* appellatur quadrupes δυωδεκάϲημοϲ περίοδοϲ, eo quod quattuor pedes temporum duodecim quasi per circuitum quendam recurrentes contineat. *Mar. Vict. p. 76, 23:* persuasum est nullum metrum hexametro posse esse maius.

---

1 partes ergo uersus — cola efficient ς 2 ex *delevit Wachsmuthius* 4 diuolsa *A B* 6 quae] qui *B* 7 vocatur, id est] vocatur, est *Christius* 8 complurium ς *B* complurum *A* atque absimilium ς atque abdissimilium *A B* atque dissimilium *Wachsmuthius* 9 suumpsit *corr.* sumpsit *A* 10 trieterici uel in poematis (poematibus ς) *A B* ς trieteris (trieteris *Caesar*). ita et in poematis *Wilmannsius auctore Usenero* τριετηρική. vel in poematis *Christius* non uersus omnes (om *A* omni ς) metri genere *A B* ς eodem *add. Keilius* non versus uno metri genere *Caesar 'Grundz. d. gr. Rhythm.' p. 174*, *qui nunc praefert* non versus omnes uno m. g. 12 ad ordinem (*vel* ad exordium) suum recurrit, περίοδοϲ dicitur circuitus omnis hexametri versus *Wachsmuthius: scripserim* ad originem suam recurrit *e. q. s.* 13 omne hexametri *Keilius* omnis exametri *A B* ς 14 unde — dicta sunt *secludi iussit Usenerus apud Wilmannsium* 15 ex commatis *Wachsmuthius* ex commate *A B* ς

Versus est, ut Varroni placet, verborum iunctura, quae 21* per articulos et commata ac rhythmos modulatur in pedes. Incipit autem a dimetro et procedit usque ad hexametrum, in his dumtaxat versibus qui per singulos pedes dirimuntur; in illis autem, qui per dipodiam, usque ad tetrametrum vel pentametrum, non numquam hexametrum procedunt. Quibus de divisione ac scansione suum cuique nomen est. Quos latine taxatione simplicium senarios trimetros, octonarios vero tetrametros vocaverunt. Abusive vel haec appellatio habebitur, cum sincera et propria significatione Graecorum versus herous hexameter epos dicatur. Apud nos autem versus dictus est a versuris, id est a repetita scriptura ex ea parte

---

21* *Mar. Vict. p. 55, 11:* Versus est — statim versus. *Diom. p. 506, 15:* versuum genera praecipua sunt quinque, aut enim dimetri sunt aut trimetri aut tetrametri aut pentametri aut hexametri. *Atil. Fortunat. p. 286, 14. Schol. Hephaest. p. 166, 29:* Ἔπη δὲ λέγονται κυρίως οἱ τοῦ ἡρωϊκοῦ τούτου μέτρου καὶ ἑξαμέτρου στίχοι. *Mar. Vict. p. 50, 11. p. 169, 19. Excerpt. de versu p. 274, 12. Isidor. orig. VI 14, 7:* versus autem vocati vulgo, quia sic scribebant antiqui sicut aratur terra. a sinistra enim ad dextram primum deducebant stilum, deinde convertebantur ab inferiore et rursus ad dextram versus, quos et hodie rustici versus vocant. *Schol. Hephaest. p. 143, 4:* πᾶν μέτρον εἰς τελείαν περατοῦται

---

1 ut Varroni placet] *ad Varronis de sermone latino librum quartum rettulit hoc caput Wilmannsius de Varron. libr. gramm. p. 65. 199 sq.* 2 ac rythmos *A* ς arythmos *B* εὐρύθμως *coniecit Studemundus apud Keilium* 5 per dipodian *A B* 6 procedunt *delendum videtur:* procedit *Keilius* 7 suum cuique *Wilmannsius* sua cuique *A B* ς *in eis quae sequuntur reliqui excerptoris lacera membra quae certo suppleri vel corrigi nequeunt* quodsi latine taxatione simplicium senarios trimetros, octonarios vero tetrametros vocaverunt abusive, vel haec appellatio tenebitur cum sincera et propria significatione Graecorum [versus herous hexameter epos dicatur]. apud nos *Wilmannsius auctore Usenero* quos latine taxatione simplicium pedum appellaverunt, cum senarios trimetros, octonarios vero tetrametros vocaverunt *Keilius* * quos *. Latine taxatione simplicium *e. q. s. Christius: cf. fr. 10* p. 179, 1* 8 simplicium ς simplicum *A B* 9 abusiva autem haec apellatio habebitur, cum sincera et propria significatione Graecorum versus herous hexametrum epos dicatur *coniecit Keilius: ego verba ab hoc loco, ut videtur, alieniora sic suppleverim:* abusiva et haec appellatio habebitur, ut hexameter dactylicus versus longus nominetur, cum — versus herous hexametrum epos dicatur*: cf. Diom. p. 494, 31* appellatio *A* ς appellatione *B* 11 epos] vel epos *Christius*

in quam desinit. Primis enim temporibus, sicut quidam adserunt, sic soliti erant scribere, ut, cum a sinistra parte initium facere coepissent et duxissent ad dextram, sequentem versum a dextra parte inchoantes ad sinistram perducerent: quem morem ferunt custodire adhuc in suis liris rusticos. Hoc autem genus scripturae dicebant bustrophedon a boum versatione, unde adhuc in arando ubi desinit sulcus et unde alter inchoatur versura proprio vocabulo nuncupatur. Omnis autem versus ab integra parte orationis incipit et in integram desinit exceptis his, quae in comoediis ioculariter dicta corrupta aut semiplena efferuntur [aut quae raro apud epicos metri necessitate dividuntur, ut apud Vergilium ‘septem subiecta trione’]. Pari ratione in versu et apocope [praecepta est], id est subtractio syllabae syllabarumve [cuiuslibet partis orationis] metro cogente facta, [quae] sive in verbo sive in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur, ut ‘endo sua do’, id est in sua domo. [Item ‘ac famul infimus esset’ pro famulo.] Similiter ‘proras detondete et despoliate

---

λέξιν] δεῖ δὲ εἰπεῖν, ἢ ὡς τελείαν, καθάπερ καὶ Ἡλιόδωρος ἔλεγεν ὁ γραμματικός, διὰ τὸ ὑψερεφὲς δῶ καὶ τὰ τοιαῦτα. *Ibid. p. 143, 22:* Ὅμως δὲ εὑρέθησαν πολλὰ μέτρα εἰς μέρη λέξεως ἀπαρτίζοντα, καὶ ἀπὸ τοῦ ἄλλου μέρους τῆς λέξεως ἀρχόμενα· καὶ φέρει μὲν ὁ τεχνικός τινα παραδείγματα. Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλα πολλά, οἷον παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν Ἐπιγράμμασιν ‘ἥμισύ μοι ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον, ἥμισυ δ᾽ οὐκ οἶδ᾽ | εἴτ᾽ Ἔρος εἴτ᾽ Ἀΐδης ἥρπασεν ἐκ μελέων’. καὶ Μένανδρος ἐν Πλοκίῳ ‘λεπτὸν μεθ᾽ ἑτέρας ἱστὸν ὑφαίνει’. καὶ ἐξαιρέτως παρὰ Σοφοκλεῖ ‘ἔγωγ᾽ (*l.* ἐγὼ) οὔτ᾽ ἐμ᾽ αὐτὸν οὔτε σ᾽ ἀλγυνῶ. τί ταῦτ᾽ | ἄλλως ἐλέγχεις; οὐ γὰρ ἂν πύθοιό μου’· ὥστε καλεῖσθαι τὸ εἶδος Σοφοκλεῖον, καὶ ἐπισυναλοιφή, διὰ τὸ ἐπισυνάπτεσθαι τὸ σύμφωνον τῷ ἑξῆς ἰάμβῳ[, ἤτοι τῷ στίχῳ]. Ἰστέον δ᾽ ὅτι διὰ τὸ ἀδύνα-

---

3 coepissent ς *B* cepissent *A* duxissent *B a Val.* ς duxisset *A* 5 liris *H. Valesius* litteris *A B* ς 6 βουστροφηδόν *Valesius* bustrophen *A* ς bostrophen *B* 8 proprio *B a Val.* ς propria *A* 10 his qui in *B* 11 aut quae — subiecta trioni *seclusit Christius* aut qui raro *B* 12 septem] *Verg. georg. III 381* 13 apocope *e. q. s.*] *cf. quae supra monui p. 55* 14 partis *om. A B* ς, *add. Wilmannsius seclusis verbis* cuiuslibet partis orationis 16 ut endo sua do ς utendo suado *A* ut indo suado *B: Enn. annal. 563 ed. Vahl.* 17 item — famulo *seclusit Christius* item ac famul ς item afamul *A B: Lucret. III 1035: cf. Enn. annal. 317 ed. Vahl.* 18 proras] *Lucil. sat. XX fr. VIII p. 76 ed. Muell.* detondete et despoliate ς detendite et spoliate *A B* despoliate et detundite *Non. p. 490*

guberna', id est gubernacula, sicut diximus, metri necessitate. Versus autem distat a metro, quod in versu statim auditur et metrum, in metro autem non statim versus.

Qui versus facit παρὰ τὸ ποιεῖν dictus est ποιητής, la- 22* tina lingua vates, quod verba modulatione conectat. Viere enim conectere est; unde vimen dictum virgulti species et vitis et vietores. Poetice est ars ipsa: nam poesis et poema distant eo, quod poema uno tantum modo clauditur carmine, ut tragoedia vel rhapsodia, poesis autem ex pluribus, id est corpus operis confecti, ut Ilias Homeri et Aeneis Vergilii.

τον ὁ Εὐφορίων τὸ Ἀπολλόδωρος διέλυσε φάσκων 'καί τις Ἀπολλό- | δωρος ἐφ' υἱέα Λειοφόωντος'. *Leutschius Philol. t. XI p. 751 sq. Cf. 'Heliod. Unters.' p. 105.*

22* *Mar. Vict. p. 56, 16:* Qui versus — Aeneis Vergilii. *Ad Varronis de sermone latino librum quartum rettulit haec verba* (Qui versus — Ilias Homeri) *Wilmannsius l. s. s. p. 70. 200 sq. Diom. p. 473, 17:* distat autem poetica a poemate et poesi, quod poetica ars ipsa intellegitur, poema autem pars operis, ut tragoedia, poesis contextus et corpus totius operis effecti (confecti *Keilius*) ut Ilias Odyssia Aeneis. *Isidor. orig. VIII 7, 3:* vates a vi mentis appellatos Varro auctor est vel a viendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis, et proinde poetae latine vates olim et scripta eorum vaticinia dicebantur, quod vi quadam et quasi vesania in scribendo commoverentur, vel quod modis verba connecterentur, viere antiquis pro vincire ponentibus, etiam per furorem. *Non. p. 428:* poesis et poema hanc habent distantiam: poesis est textus scriptorum, poema inventio parva quae paucis verbis (versibus *Wilmannsius*) expeditur. Lucilius satirarum lib. VIIII . . . *(cf. Lucil. lib. IX fr. XXII p. 48 ed. Muell.)* Varro Parmenone *(p. 190, 7 ed. Ries.):* Poema est lexis enrhythmos, id est verba plura modice in quandam coniecta formam. Itaque etiam distichon, epigrammation vocant poema. Poesis est perpetuum argumentum ex rhythmis, ut Ilias Homeri et Annalis Enni. Poetice est ars earum rerum.

---

1 diximus *om. A, add. a in marg. et Val.* 4 τὸ *om. A B, add.* ς 5 uates quod uerba *A* ς uates dicitur qui uerba *B* 6 et vitis et vietores *Keilius conl. Donat. in Terent. Eunuch. IV, 4, 21: cf. Philol. a. 1874 p. 206* et uiti in rotis *A B* ς et uieti in rotis *Wilmannsius* 8 uno *add. Iahnius apud Wilmannsium, om. A B* ς 9 vel rhapsodia *secludit Wilmannsius* poesis autem ex pluribus est corpus operis confecti *Wilmannsius* poesis autem ex pluribus constat carminibus et est corpus operis confecti *coniecit Keilius* poesis autem est corpus operis ex pluribus partibus confecti *Caesar, sed fortasse v.* ex pluribus, id est *Victorini sunt (conl. Mar. Vict. p. 57, 2), quod* ex *praepositio arguit*

23* Poematum autem seu carminum species sunt tres: alia enim a Graecis κατὰ cτίχον, alia cυcτηματικά, alia μικτά dicuntur, quae etiam ἀμετάβολα et μεταβολικά. Igitur κατὰ cτίχον sunt quae eodem metro constant, ut metrum epicum Homeri et Maronis nostri, vel quod ex trimetris et tetrametris continuis subsistit aut colis aut commatibus eiusdem metri; systematica autem, quae ex pluribus metris neque ex uno versu aut eodem colo vel commate continentur, ut sunt epodoe et quae apud lyricos invenimus, quae syzygiis gradiuntur; mixta autem, quae partim sunt κατὰ cτίχον partim

---

23* *Mar. Vict. p. 56, 22:* Poematum autem — id est accinuntur. *Hephaest. p. 59, 16:* Τῶν ποιημάτων τὰ μέν ἐcτι κατὰ cτίχον, τὰ δὲ cυcτηματικά, τὰ δὲ μικτά, τὰ δὲ κοινά. Κατὰ cτίχον μὲν ὅcα ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ μέτρου καταμετρεῖται, ὡc τὰ Ὁμήρου καὶ τὰ τῶν ἐποποιῶν ἔπη· καταχρηcτικῶc δὲ κἂν ὑπὸ κώλου ἢ κόμματοc, ὡc τὸ Καλλιμάχειον τοῦτο ποιημάτιον, ʻἡ παῖc ἡ κατάκλειcτοc, | τὴν οἱ φαcὶ τεκόντεcʼ. καταμετρεῖται γὰρ ὑπὸ κόμματοc ἀντιcπαcτικοῦ, καλουμένου Φερεκρατείου. Cυcτηματικὰ δέ, ὅcα ὑπὸ πλειόνων μέτρων εἰc ἓν cῶμα παραληφθέντων καταμετρεῖται ἢ cυμπληροῦται. Μικτὰ δέ, ὅcα μέροc μέν τι ἔχει ὑπὸ cτίχου καταμετρούμενον, μέροc δὲ cυcτηματικόν. *Cf. p. 64, 18:* Καὶ μικτὰ μὲν γενικά, ὡc αἱ τραγῳδίαι καὶ αἱ παλαιαὶ κωμῳδίαι· μέροc μὲν γὰρ τούτων γέγραπται κατὰ cτίχον, μέροc δὲ κατὰ cύcτημα. *Ibid. p. 65, 24:* Τῶν δὲ κατὰ cτίχον τὰ μέν ἐcτι μικτὰ, τὰ δὲ οὔ. Καὶ μικτὰ μὲν, ὡc αἱ Μενάνδρου κωμῳδίαι· πῇ μὲν γὰρ τετράμετρα ἐν τῷ αὐτῷ ποιήματι, πῇ δὲ τρίμετρα εὑρίcκεται· τὰ δὲ ἄμικτα, ὡc αἱ Ὁμήρου ῥαψῳδίαι. *Ibid. p. 64, 10:* Cύcτημα δέ ἐcτι μέτρων cυναγωγή, ἤτοι δύο ἢ πλειόνων, ἢ

---

5 vel quod] uel que *B* trimetris ac tetrametris ς trimetris aut tetrametris *coniecit Keilius* 7 pluribus *Bergkius in comment. acad. beneficii Thielemanniani lege ed. Hal. a. 1863 p. 4* plurimis *A B* ς 8 continuantur *proponit Keilius* 9 syzygiis *eadem notione dictum esse, qua duarum parabaseos partium coniugatio ab Heliodoro* cυζυγία *appellatur, monet Caesar Ind. lect. hib. univ. Marburg. a. 1874 p. V* 10 mixta autem *e. q. s.*] *ʻis quem Victorinus auctorem secutus est uberiorem mixtorum definitionem posuerat, qua et ea quae* κατὰ cτίχον *et ea quae* κατὰ cύcτημα *composita essent speciem mixtorum referre posse doceret. quae definitio partim grammatici neglegentia, ut videtur, partim librariorum errore corrupta estʼ Keilius* mixta autem quae partim sunt κατὰ cτίχον partim systematica. sunt etiam κατὰ cτίχον ex trimetro et tetrametro mixta. eadem ferme ametabola (209, 6) — ad iambicos redit (209, 13). quamquam non [in] uno versu semper metrum exple[a]tur (209, 1) — κατὰ δίcτιχον fiunt (209, 6). haec etiam in carminibus (209, 19) *e. q. s. temptavit Caesar l. s. s. p. VI sq.*

ex trimetro et tetrametro mixta, quamquam non [in] uno versu semper sensus expleatur, ut in elegia vel epodis: nam neque per se versus hexameter sine sequente pentametro elegiacum metrum implebit, neque in epodis singuli versus sine clausulis suis et adsequellis audiri poterunt epodoe, quae similiter κατὰ δίστιχον fiunt. Eadem ferme ἀμετάβολα et μεταβολικά erunt. Nam ἀμετάβολα dicta sunt quae sui generis qualitatem mensuramque semper obtinent, ut sunt Homeri carmina et ea quae κατὰ στίχον appellari diximus; μεταβολικά autem, quae ab aliis metris ad alia genera transitum faciunt, qualia esse tragica et comica paulo ante memoravi. Nam et Menander in comoediis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit et rursum ad iambicos redit. Haec etiam in carminibus, quae mutuo adnexa ita ex se pendent, ut alterum sine altero audiri non possit, προῳδικά et ἐπῳδικά vocaverunt, id est antecantativa et postcantativa, ut sit [in hexametro] προῳδικόν ipsum epos, ἐπῳδικόν versus

---

ὁμοίων ἢ ἀνομοίων· ἀνομοίων μέν, ὡς τὰ ἐλεγεῖα καὶ οἱ ἐπῳδοί· τὸ δὲ ἐξ ὁμοίων, ὡς τὸ δεύτερον Σαπφοῦς. *Atil. Fortunat. p. 296, 1:* systematica sunt, hoc est binis vel tribus vel quattuor versibus constant. *Schol. Arist. Ach. 204—233. 'Heliod. Unters.' p. 129. Heliod. ap. Hephaest. p. 61, 24 sq. (cf. 'Heliod. Unters.' p. 148):* Τὰ δὲ ἐπῳδικά ἐστιν ἐν οἷς περιόδοις ὁμοίαις ἀνομοία τις προστέτακται. Ἐὰν μὲν οὖν τὴν ἀνομοίαν ἔχῃ ἐν τῇ τελευταίᾳ χώρᾳ, ὁμωνύμως τῷ γένει (ἐπῳδικά — τῷ γένει *libr. om.*) ἐπῳδικὰ καλεῖται, ἐὰν δὲ ἐν τῇ πρώτῃ, προῳδικά, ἐὰν δὲ ἐν μέσῳ, μεσῳδικά. Καὶ ταῦτα μὲν οὖν

---

1 in *seclusit Keilius* 2 sensus *Keilius* uersus *A B* ς metrum *Caesar: fort.* species *verum est* elegia] eleia *B* 5 audiri] audire *Christius: malim* audiri poterunt, utpote quae — fiant *conl. versu 15: sed fortasse v.* epodoe *deleto verba* quae — fiunt *post* (2) epodis *transponenda sunt* epodoe que *B* epodoe qui *A* ἐπῳδοί quia ς 6 κατὰ δίστιχον fiunt ς ΚΑΤΑΔΙϹΤΟΙΧΟΝ fiunt *A B* 7 quae sui *Keilius* quę sui *B* quod sui *A* ς 8 obtinent *Keilius* obtineant *A B* ς 11 qualia — memoravi *sunt Victorini verba quae spectant ad Mar. Vict. p. 50, 29* 12 a *superscriptum est in A* 15 ΠΡΟѠΔΙΚΑ ΕΤѠΔΙΚΑ *A B* ς προῳδικὰ ᾠδικὰ et ἐπωδικὰ uocauerunt, id est antecantatiua cantatiua et postcantatiua *editor Sanctandr.* 16 postcantatiua *B* ꝑcantatiua *A* praecantatiua ς 17 in hexametro *seclusit Keilius* ut sit in elegiis προῳδικὸν ipsum epos, et ἐπῳδικὸν versus pentameter, qui ei subiungitur. item *Bergkius in comment. acad. benef. Wolframsdorfiani lege edita Hal. a. 1861 p. 3* ut sit in hexametro cum pentametro προῳδικὸν ipsum epos *e. q. s. Caesar* epos et ѠΔΙΚΟΝ *A B* ς

pentameter, qui ei subiungitur in elegiis. Item antecantativum erit trimeter iambicus, ut 'ibis liburnis inter alta navium'; erit dimeter postcantativum, ut 'amice propugnacula'. Et quaecumque alio quolibet metro scripta sequentes clausulas quorumlibet metrorum ad se trahunt, ita appellabuntur, quia proodicis versibus ἐπᾴδονται, id est accinuntur.

24* A Pleraque lyricorum carminum, quae versibus colisve et commatibus componuntur, ex strophe et antistrophe et epodo, ut Graeci appellant, ordinata subsistunt, quorum ratio talis est. Antiqui deorum laudes carminibus comprehensas circum aras eorum euntes canebant, cuius primum ambitum, quem ingrediebantur a parte dextra, ϲτροφήν vocabant; reversionem autem sinistrorsum factam completo priore orbe antistrophon appellabant. Dein in conspectu deorum soliti consistere cantici reliqua persequebantur, appellantes id epodon: nam

---

(ταῦτα μὲν οὖν καὶ *libr.*) ἐν τριάϲιν ὁρᾶται· ἐὰν δὲ ὑπερεξαγάγῃ τὴν τριάδα, γίνονται καὶ ἄλλαι ἰδέαι δύο· ἤτοι γὰρ περιῳδικά ἐϲτιν, ὅταν αἱ μὲν ἑκατέρωθεν ἀνόμοιαι ὦϲιν, (αἱ δὲ ἐν μέϲῳ) ἀλλήλαιϲ μὲν ὅμοιαι, ταῖϲ δὲ περιεχούϲαιϲ ἀνόμοιαι· ἢ παλινῳδικά, ὅταν αἱ ἑκατέρωθεν ἀλλήλαιϲ [μελοποιίαι] ὅμοιαι ὦϲιν, καὶ αἱ ἐν μέϲῳ ταῖϲ μὲν περιεχούϲαιϲ ἀνόμοιαι (ἀλλήλαιϲ δὲ ὅμοιαι). *Cf. Mar. Vict. p. 163, 11:* quotiens maioribus metris minus aliquid subnectitur, epodos dicitur; quotiens vero comma vel colon integro metro praeponitur, proodicon appellatur. *Ibid. p. 176, 17. Diom. p. 485, 18:* Epodoe dicuntur versus quo libet metro scripti et sequentes clausulas habentes particularum, quales sunt epodoe Horatii, in quibus singulis versibus singulae clausulae adiciuntur, ut 'nox erat, et caelo fulgebat luna sereno', deinde 'inter minora sidera'. et 'altera iam teritur bellis civilibus aetas', deinde 'suis et ipsa Roma viribus ruit'. et quicumque sunt similes. dicti autem epodoe ϲυνεκδοχικῶϲ a partibus versuum quae legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, id est accinuntur. *Cf. Mar. Vict. p. 137, 8.*

24* *Mar. Vict. p. 58, 6:* Pleraque lyricorum — alia, concludantur. *Atil. Fortunat. p. 294, 28:* in cantionibus autem lyricis legitime scriptis, hoc est non (non *add. Thiemannus et Caesar*) mono-

---

1 item antecantativum *Gaisfordius* item cantatiuum *A B* ς 2 ibis] *Hor. epod. 1, 1* 3 erit dimeter *Camerarius* erit trimeter *A B* ς postcantativum erit dimeter *Christius* ut *addidi, om. A B* ς et quaecumque alio quolibet metro *Keilius et nos 'Heliod. Unters.' p. 137 n. ex Diomede* et quaeque alia qualia et metro *A B* ς 7 versibus colisve *Keilius* uersu colisue *A B* uersu colisque ς 8 epodo ς epode *A B* 10 circum aras ς *B* circum eras *A* 11 cuius] *an* cuius circuitus? 13 sinistrorsum ς *B* sinistrosum *A* 15 cantici reliqua persequebantur *Keilius coll. Atil. Fortunat. p. 295, 1* cantici reliqua consequebantur *A B* ς

epodos est tertia pars aut periodos lyricae odes. Igitur quod post cτροφήν et ἀντιcτροφὴν ἐπῇδον, dicebant epodon [quod est supercanere]. Hinc sumptum vocabulum in has epodos, quae binos versus impares habent: nam ut illae canticum finiebant, sic hae sensum versu insequenti. Hoc quia e tribus subsistit, appellatur τριάc, † ita ut omnis et cτροφή et ἀντίcτροφοc ἐπῳδόc totidem habeant syllabas in proxima periodo, quae subicitur priori, ut sit aut ἰcόμετροc aut ἰcόχρονοc quolibet metro seu rhythmo subsistens; quoniam sicut

---

strophis, haec tria inveniri necesse est, strophen, antistrophen, epodon. olim enim carmina in deos scripta ex his tribus constabant: circumire aram a dextra strophen vocabant, redire a sinistra antistrophen, post, cum in conspectu dei consistentes canticis reliqua peragebant, epodon, ὅτι τῇ cτροφῇ καὶ τῇ ἀντιcτρόφῳ ἐπῇδον. hinc translatum nomen est in has epodos, quae binos versus impares habent. nam ut illic epodos canticum finit, ita hic versus secundus sensum: hoc est enim legitimum

---

1 igitur quae post cτροφήν et ἀντιcτροφήν, ἐπωδόν dicebant. ἐπάδειν quidem est supercanere ς 2 ἐπῇδον *Keilius ex Atilio* ЄΠ^{O}ΗΔΟΝ *A* ЄΠΟΔΟΝ *B Val.* quod est supercanere *seclusit Keilius* 6 τριάc ς ΤΡΙ^{C}ά' *A* TRICA *B* trica *Val.* ita ut omnis et cτροφή et ἀντιcτροφή totidem habeat syllabas, et ἐπῳδόc in proxima periodo, quae subicitur priori, ut sit aut ἰcόμετροc *sqq. et deinde p. 212, 2* sic et strophes cola, cum (*vel* quamvis) sint dissimilia, tamen antistrophae similia sunt, et epodo redduntur similia in proxima epodo subiectae triados *coniecit Keilius, ita ut v.* in proxima periodo (7) *pro* in proxima pericope *dictum esset, quod parum probabile esse monuit Caesar l. s. s. p. VII sq., qui lacuna inter v.* τριάc *et* ita *indicata suadet:* ita, ut omnis et cτροφή et ἀντιcτροφή, ἐπῳδὸc totidem habebit syllabas in proxima triade, quae subicitur priori, ut sit aut ἰcόμετροc aut ἰcόχρονοc quolibet metro seu rhythmo subsistens. *Ceterum v.* quolibet metro seu rhythmo subsistens *non necessario ad epodi definitionem referenda sunt, ut retinuerim quod olim conieci* ita ut omnis [et] cτροφή [et ἀντίcτροφοc ἐπῳδὸc] totidem habea[n]t syllabas in proxima periodo *e. q. s.* et ἀντίcτροφοc et ἐπωδόc ς 8 quae] qui *B* aut ΙCΟΜЄΤΡΟC aut ΙCΟΧΡΟΝΟC quolibet metro *Val.* ς aut .CΟΜЄΤΡΟC aut .CΟΧΡΟΝΟC quolibet .... metro *A* aut CΟΜЄΤΡΟC aut CΟΧΡΟΝΟC quolibet metro *B* 9 quoniam *Keilius* quō *B* quā *A* nam ς *an* quoniam sicut — digiti, sic et strophes cola, cum sint inter se dissimilia, sunt similia in proxima periodo [subiectae triados]?

dextra manus impares habet digitos, sed horum pares sunt sinistrae manus, si conferas, digiti, sic et strophes cola, cum sint dissimilia * in proxima epodo subiectae triados. [Observabis autem ut temporibus, non syllabis pedes dividas, ut solvantur duae longae in quattuor breves [et disyllabo pede pro tetrasyllabo utaris] parique vice quattuor syllabarum brevium tempora in duo contrahantur, quod per metri necessitatem fieri licet, ut aut divisae numero respondeant aut coniunctae temporum spatiis occurrant, quod et in ceteris metris generali praecepto servabimus.] Inter haec sunt quaedam carmina quae monostropha appellantur, quod duas periodos et eas pares habeant neque epodo, ut alia, concludantur.

---

in epodis. ergo secundum haec et elegia epodicum carmen. haec igitur cantio lyrica, quae tres has partes habet aut (aut *libr. om.*) periodos appellatur[; eadem] trias[, si ex his tribus constat]. solet enim abundantior et plenior cantio habere * antistrophen periodon, aliquando et in medio, hoc est inter strophen et antistrophen, mesodon. inveniuntur autem in strophe cola vel commata aliquot ex voluntate scribentis varia metri lege finita: huic antistrophe redditur totidem colis, isdem metris: tertio additur epodos iam quolibet metro. haec est, ut dixi, quam triada appellant. sed quoniam haec accuratius graeci poetae servaverunt, melius te graeci magistri de exemplis graecis docebunt. *Heliod. ap. Hephaest. p. 61, 22 (cf. 'Heliod. Unters.' p. 148):* Τὰ μὲν οὖν μονοστροφικά ἐστιν, ὁπόσα ὑπὸ μιᾶς στροφῆς καταμετρεῖται. *Caes. Bass. p. 266, 25:* monostropha vocantur haec carmina, quia ad primam strophen cetera respondent nulla interveniente epodo, quae cum a prima strophe differat, faciat eam, quam musici et grammatici triada nominant. *Mar. Vict. p. 162, 1:* monostropha vocantur haec carmina, quia ad primam strophen cetera respondent neque ulla intervenit epodos, quae a prima strophe [id est epodi clausula] discrepet. *Cf. ibid. p. 167, 18. Atil. Fortunat. p. 294, 24:* monostropha Graeci appellaverunt, quod prima strophe duobus vel tribus vel quattuor colis explicata ceteras sequentes similes habeant, nec in aliqua parte interveniente epodo cola mutentur.

---

1 horum] numero ς 2 digiti, sic *Thiemannus et Keilius* digitis sic *A B* ς et *om.* ς 3 observabis — 10 praecepto servabimus *ex alieno loco inlata videntur, quod extrema potissimum verba* quod et in ceteris metris *e. q. s. arguunt* 5 breves *add. Keilius, om. A B* ς *verba* et disyllabo pede pro tetrasyllabo utaris *ex margine inrepserunt utpote olim verbis* parique vice — contrahantur *adscripta* et tetrasyllabo pede pro disyllabo utaris *scripsit Keilius* 7 metri *addidi, om. A B* ς 9 quod et] quae et *B* 11 monostropha *B Val.* ς monostrapha *A* (o *superscr.*) quae duas *B* *an* quod periodos pares habeant? quod plures periodos sed eas p. h. *coni. Caesar*

Hoc genus in sacris [cantilenae] ferunt quidam instituisse Theseum, qui occiso Minotauro, cum apud Delum solveret vota, imitatus intortum et flexuosum iter labyrinthi cum pueris virginibusque, cum quis evaserat, cantus edebat, primo in circuitu, dehinc in recursu, id est στροφῇ et ἀντιστρόφῳ * . Alii tradunt hoc sacrorum cantu concentum mundi cursumque ab hominibus imitari. Namque in hoc quinque stellae quas erraticas vocant, sed et sol et luna, ut doctiores tradunt philosophorum, iucundissimos edunt sonos per orbes suos nitentes. Igitur concentum mundi cursumque imitans chorus canebat dextrorsumque primo tripudiando ibat, quia caelum dextrorsum ab ortu ad occasum volvitur; dehinc sinistrorsum redibant, quia sol lunaque et cetera erratica sidera, quae Graeci πλανήτας vocant, sinistrorsum ab occasu ad ortum feruntur. Tertio consistebant canentes, quia terra, circa quam caelum rotatur, immobilis medio stat mundo. De qua re Varius sic tradidit, 24*B

24* B *Mar. Vict. p. 60, 1:* Hoc genus — reddere voces. *Boissonad. Anecd. graec. t. IV p. 459, 1:* Κέκληται δὲ ἡ μὲν στροφή, καθά φησι Πτολεμαῖος ἐν τῷ περὶ στατικῆς ποιήσεως, διὰ τοὺς ᾄδοντας κύκλῳ κινεῖσθαι περὶ τὸν βωμόν, σημαίνοντας τὴν τοῦ ἡλίου κίνησιν· ἀντίστροφος δὲ παρὰ τὸ ἀναστρέφοντας αὐτοὺς εὐρύθμως κινεῖσθαι, ἄχρις ἂν ἔλθωσιν ἐπ᾽ ἐκεῖνον τὸν τόπον ἀφ᾽ οὗ ἤρξαντο πρῶτον κινεῖσθαι· ᾐνίσσοντο δὲ διὰ τούτου τὴν τοῦ ἡλίου κίνησιν, ἐπειδὴ τὴν ἐναντίαν οὗτος δοκεῖ τῷ κόσμῳ ποιεῖσθαι· ἐπῳδὸς δέ, ἐπειδὴ ἱστάμενοι ἐπῇδον, διὰ τοῦτο τὸ ἔμμονον καὶ στερεὸν τῆς γῆς παριστῶντες. *Schol. Pind. p. 11 ed. Boeckh.:* Ἰστέον ὅτι οἱ λυρικοὶ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῶν ἐχρῶντο στροφῇ, ἀντιστροφῇ καὶ ἐπῳδῷ· στροφῇ μέν, ὅτε ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐστρέφοντο ἐπὶ τὰ ἀριστερά, ἥτινι ἀναλογεῖ ἡ τοῦ παντὸς κίνησις ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν ἐπὶ τὰ δυτικά· δεξιὰ γὰρ καλεῖ Ὅμηρος τὰ ἀνατολικά, ἀριστερὰ δὲ τὰ δυτικά· ἀντιστροφῇ δέ, ὅτε ἐκινοῦντο ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν

---

1 cantilenae *ad interpretanda v.* hoc genus *adscriptum erat, ut etiam hinc adpareat artigraphi verba in Victorini capite male distracta esse* 5 ἀΝΤΙCΤΡΟΦΟ *A* antistropho ς *B post* ἀντιστρόφῳ *lacunae signum posui: requiritur epodi interpretatio* 6 hoc sacrorum cantu concentum mundi *Keilius* hoc (hunc ς) sacrorum concentum mundi cantum *A B* ς hoc sacrorum concentu mundi cantum *Gaisfordius Addend. p. 613* 12 dextrorsum ab *A* ς dextrorsumq. ab *B* 13 redibant] redibat *Keilius* quia sol *Keilius* q̄ua sol *A* quam sol *B* q̄a sol *Val.* quandoquidem sol ς 15 canendo ς 17 tradidit *B* tradidit *corr.* tradit *A* tradit *Val.* ς Varius] *cf. Ribbeckius Trag. Rom. fragm. p. 229 ed. sec.*

primum huic
nervis septem est intenta fides
variique apti vocum moduli,
ad quos mundi resonat canor in
vestigia se sua volventis.

Item et Varro,

vidit et aetherio mundum torquerier axe,
et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes
nitentes aliis alios, quae maxima divis
laetitia est. At tunc longe gratissima Phoebi
dextera consimiles meditatur reddere voces.

25* Praeterea reperitur non numquam huius modi compositio versuum in carminibus, non ut prima compositio secundae compositioni, sicut in στροφῇ et antistropho, respondeat, sed ut prima tertiae, secunda quartae similis habeatur,

ἐπὶ τὰ δεξιά, ἥτινι ἀναλογεῖ ἡ τῶν πλανήτων κίνηϲιϲ ἡ ἀπὸ δύϲεωϲ εἰϲ ἀνατολάϲ· ἐπῳδῷ δέ, ὅτε ἵϲταντο ἐν ἑνὶ τόπῳ καὶ ἔλεγον τὰϲ ᾠδάϲ, ἥτινι ἀναλογεῖ ἡ ϲτάϲιϲ τῆϲ γῆϲ. *Cf. schol. Hephaest. p. 172, 29:* Ἰϲτέον ὅτι οἱ ἀρχαῖοι ἐποίουν ϲτίχουϲ δύο μείζουϲ καὶ ἕνα ἐλάττονα. Τῶν οὖν μειζόνων τὸν πρότερον ϲτροφὴν ἐκάλουν, παρὰ τὸν βωμὸν ἐν ταῖϲ ἑορταῖϲ ᾄδοντεϲ αὐτὸν καὶ χορεύοντεϲ· τὸν δὲ δεύτερον ἀντίϲτροφον, ἐναλλάξαντεϲ τὴν χορείαν· τὸν δὲ ἐλάττονα, ἐπῳδόν, ᾄδοντεϲ αὐτὸν ἑϲτηκότεϲ. ἐδήλου δέ, ὥϲ φαϲι, ἡ μὲν ϲτροφὴ τὴν τῆϲ ἀνωτάτω ϲφαίραϲ κίνηϲιν· ἡ δὲ ἀντίϲτροφοϲ τὴν τῶν πλανωμένων· ἡ δὲ ἐπῳδὸϲ τὴν τῆϲ γῆϲ ἠρεμίαν.

25* *Mar. Vict. p. 59, 8:* Praeterea reperitur — saepe fecerunt. *Heliod. ap. Hephaest. p. 62, 12 (cf. 'Heliod. Unters.' p. 148):* Τὰ δὲ κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ τὰϲ περιόδουϲ ὁμοίαϲ ἀλλήλαιϲ ἔχει, τὰϲ δὲ ἐν ταῖϲ περικοπαῖϲ περιόδουϲ ἀνομοίαϲ (*lib.* ἀνομοίουϲ)· καλεῖται

---

3 apti *Schneidewinus* additi ς addita *A B* dati *Bothius* moduli *Bothius* modi *A B* ς *propter hiatum post* moduli *lacunam statuit Ribbeckius, 'in qua motus chori memorari poterant'* variique modi uocum . . *vel* uariique apti uocum cantus *Buechelerus* 4 resonat canor in Vestigia se sua uoluentis *Buechelerus* resonat canor (tenor ς) sua se uoluentis in uestigia *A B* ς resonat canor in Sua se vestigia volventis *Schneidewinus* 6 Varro] *cf. P. Terenti Varr. Atac. rel. p. 263 ed. Ries.* 10 laetitia'st at tunc longe *editor Sanctandr.* laetitia stat tunc longe *A* ς laetitia stat longe *B* 13 uersuum — compositioni *om. A, add. a in marg. et Val.*

quae compositio κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ dicitur. Est enim περικοπή carmen subsistens ex strophe et antistropho et epodo. Quibus si vel bis vel ter vel saepius carmen concludatur, μονοπερίκοπον nominatur. Si vero dissimilia inter se in pericopis cola iungantur, πολυπερίκοπον nuncupatur, quando non sollemni continuatione, sed per distantiam et varietatem in pericopis periodi compleantur [id est tres partes eae quibus pericope subsistit]. Quae ἀνομοιομερῆ merito diximus, id est dissimilium partium copulatione periodi con-

---

δὲ τὰ μὲν δυαδικά, ὅσα δύο τὰς ἐν τῇ περικοπῇ περιόδους ἔχει, τὰ δὲ τριαδικά, ὅσα τρεῖς, τὰ δὲ τετραδικά, ὅσα τέσσαρας· καὶ ἐπὶ τῶν ἑξῆς κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον.

---

1 quae compositio κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ dicitur. quod ἀνομοιομερῆ merito dicitur, id est dissimilium partium copulatione periodi conclusio, si dissimilia inter se in pericopis cola iungantur, aut quando non solemni continuatione, sed per distantiam et varietatem in pericopis periodi copulentur, id est [tres] partes eae e quibus pericope subsistit. est enim περικοπή carmen subsistens ex strophe et antistropho et epodo. quibus si vel bis vel ter vel saepius carmen concludatur, μονοπερίκοπον nominatur. si vero dissimiles inter se sine epodis pericopae iungantur, πολυπερίκοπον nuncupatur, siquidem inducta prima strophe — saepe fecerunt *temptavit Caesar l. s. s. p. X sq.: magis ad verum accedere puto seclusis v.* si vero — iungantur *et* id est tres partes — periodi conclusio *haec:* habeatur. Quae compositio κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ dicitur, quando non solemni continuatione, sed per distantiam et varietatem in pericopis periodi compleantur. Est enim περικοπὴ carmen subsistens ex strophe et antistropho et epodo. Quibus si vel bis vel ter vel saepius concludatur, μονοπερίκοπον nominatur. Πολυπερίκοπον nuncupatur, siquidem inducta prima strophe — saepe fecerunt. *verba* est enim περικοπή — et epodo *ex margine inlata esse coniecit Thiemannus in Fleckeiseni Ann. a. 1873 p. 429* 3 quibus si *add. Keilius, om. A B* ς quando vel bis *Thiemannus* si uel bis *ed. Sanctandr.* 5 in pericopis *Keilius* in epodis *A B* ς *verba* si vero — iungantur *aliena manu addita esse suspicatur Thiemannus l. s. s.* ΠΟΛΙΠΕΡΙΚΟΠΟΝ *A B* 7 in pericopis *Keilius* in epodis *A B* ς compleantur] copulentur *Caesar* 8 ea e quibus *A B* eas e quibus ς *verba* id est — 9 periodi conclusio *secludi iubet Thiemannus* quae ꜰΝΟΜΟΙΟΜΕΡΗ ς *B* quod ꜰΝΟΜΟΙΟΜΕΡΗ *a Val.* quod ꜰΝΟΜΟΙΕΜΕΡΗ *A* 9 id est] et est ς

clusio, siquidem inducta prima strophe et antistrophe rursus aliam strophen et antistrophon praecedentibus dissimilem adferant et rursus tertiam nihil duabus praeeuntibus similem et quartam aeque a ceteris discrepantem. Cui varietati solent illud adiungere, ut postrema epodos cunctis dissimilis aliquando iungatur, quod non tantum tragici sed et lyrici auctores in epodis saepe fecerunt.

26* Hoc loco non supersederim dicere esse brevia cola, quae post strophen et antistrophon supercini moris est, quae iam non epodoe, sed ἐφύμνια dicentur, ut est ἰὴ παιάν. Haec enim vel hymnis vel dithyrambis supercini moris est, quae [de epodicis carminibus] si quando praeponuntur, προύμνια, si autem post antistrophon collocentur, μεθύμνια nuncupabuntur.

27* Proprie autem iambica metra gaudent acatalectis et catalecticis et hypercatalectis conclusionibus, adversantur autem

---

26* *Mar. Vict. p. 59, 24:* Hoc loco — μεθύμνια nuncupabuntur. *Hephaest. p. 72, 8:* Ἔστι δέ τινα ἐν τοῖς ποιήμασι καὶ τὰ καλούμενα ἐφύμνια, ἅπερ ταύτης τῆς προσηγορίας τετύχηκεν, ἐπειδὴ καὶ ἐφύμνιόν τι εἰώθασιν ἐπάγειν οἱ ποιηταὶ ταῖς στροφαῖς, οἷά ἐστι καὶ τὰ τοιαῦτα 'Ἰήϊε παιάν'. καὶ 'Ὦ διθύραμβε'. *Cf. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 633.*

27* *Mar. Vict. p. 60, 27:* Nunc de metrorum, prout versus processerit, praescripto et legitimo fine clausulaque dicemus. nam metrica lege in fine versuum quadripertita conclusio est, per quam exitus metri statusque dinoscitur, utrum pede seu semipede vel dipodia sit terminatum. hanc Graeci κατάληξιν vocant, id est (*v.* id est *delet Caesar*) cum legitimum metrum in syzygia simplicem pedem, in monopodia vero, id est in simplici pede, syllabam perdit. huius species sunt quattuor. nam aut acatalectum est aut catalecticum aut brachycatalectum aut hypercatalectum, id est cum in fine versuum nunc desunt, nunc exuberant syllabae aut manent integrae. est igitur catalecticum, quotiens in fine versus syllaba una pro toto pede accipitur atque ita posita velut refrenat et cohibet

---

3 tertiam *a** ς tertia *A B Val.* 6 quod] qui *B* 7 in epodis *fortasse delendum est* 8 quae post strophen *a* ς quae strophen *A* quae post trophen *Val.* qui post strophen *B* 9 et antistrophon *B a Val.* ς et antistrophen *A* 12 de epodicis *B* deopodicis *A* epodicis ς de epodicis carminibus *seclusit Bergkius in commentat. acad. benef. Marperger. lege ed. Hal. a. 1863 p. 5* praeponuntur] praeponantur *Christius* 13 antistrophon *delet Bergkius l. s.* metymnia *A* 15 metra gaudent ς metra plaudent *A B* catalecticis] catalectis *A*

brachycatalectis. Trochaica vero hypercatalectis reiectis residuas conclusiones admittunt. Choriambica autem et antispastica isdem conclusionibus, quibus etiam iambica, laetantur.

---

metri cursum; acatalectum autem, quod novissimum pedem integrum pro condicione sui metri obtinet, cui nihil abundat aut deest; brachycatalectum vero, cum uno pede, id est duabus syllabis, metrum imminuitur et pro dipodia pes unus ponitur, scilicet cum dipodiae feriuntur (hoc metrum quidam colobon vocant: miuron enim una fit syllaba detracta); hypercatalectum contra, cum metrum in postrema parte versus una syllaba abundat ultra quam exigit dipodiae numerus pro lege versus oppositi terminatus. id ut planius sub exemplo heroici versus faciam, erit acatalectum quod integris suis pedibus et modis finitur, ut 'arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris'; catalecticum, si una syllaba ei detrahatur, ut 'arma virumque cano, Troiae qui primus ab o'; brachycatalectum, si duae, ut 'arma virumque cano, Troiae qui primus ab'; hypercatalectum, si una amplius quam versus integer exigit syllaba exuberet, ut 'arma virumque cano, Troiae qui primus ab orisque'. quod in omni genere metrorum observabitur. rursus, ut exempla etiam ex his metris, quae coniugationibus gradiuntur, proferamus, cum ad perfectam coniugationem pes integer deest, erit brachycatalectum, ut est hoc tetrametrum, 'quis non adultas detrahat ramo voluptates' (habet enim tres integras coniugationes et quartam uno pede breviorem); catalecticum autem, cum perfectae coniugationi non pes, sed syllaba amputatur, ut est hoc tetrametrum (habet enim quartam coniugationem una syllaba breviorem), 'caeruli Neptune rector, Conse litorum potens'; acatalectum autem, cui, ut supra diximus, neque deest ad integram coniugationem neque abundat quicquam, ut est hoc trimetrum, 'amare nolo nec dolere, Clinia'; hypercatalectum vero, cum ad integram coniugationem una abundat syllaba, ut est hoc trimetrum, 'caduca popli coma glauca iam per agros'. sed metra magis gaudent catalecticis conclusionibus. P r o p r i e a u t e m — a c a t a l e c t i s d e l e c t a n t u r. *Cf. Hephaest. p. 14, 17 sqq. Schol. Hephaest. p. 141, 19 sqq. Arist. Quintil. p. 50 ed. Meib. Atil. Fortunat. p. 281, 10:* Depositio est, qua perspicitur, qua specie metrum finiatur. depositionis genera sunt quattuor: aut enim ἀκατάληκτον est, quando plenum metrum sive versus est; aut καταληκτικόν, quando syllaba deest; aut βραχυκατάληκτον, quando pes deest; aut ὑπερκατάληκτον, quando pes et syllaba deest. ἀκατάληκτον est, ut 'avete fontes caeruli', duo enim pedes integri integrum metrum dederunt; καταληκτικόν, ut 'quis hic manus tenellis', syllaba deest quo minus dimetron sit; * ὑπερκατάληκτον, ut 'vallis per imas', pes et syllaba deest quo minus dimetron sit. *Cf. Mar. Plot. Sacerd. p. 501, 5:* deinde catalexin (*sc.* considerare debemus), cuius species sunt quattuor, acatalecta, catalectica, brachycatalecta, hypercatalecta. acatalecta species est, quae finitur in suos pedes vel suorum pedum tempora habentes, ut puta dactylicum in dactylum [vel in spondeum] vel aliquem tot habentem tempora, quot etiam dactylus, ut 'quadrupedante putrem sonitu quatit ungula pulverem'. vel 'at tuba terribilem sonitum procul aere canoro'. catalectica species est quae minus una syllaba vel uno tempore terminatur, quam sui pedis quantitas exigit syllabarum vel

---

1 reiectis *Keilius* eiectis *A B* ς   residuas] *fort.* tres residuas   2 antispatica *A B*

Ionica autem trochaicis depositionibus sociantur, et ideo hypercatalecta illis exosa sunt. Dactylica vero et anapaestica magis acatalectis delectantur.

28* Occasio suggerit hoc loco etiam illud dicere, quaedam metra familiariter propriis pedibus terminari. Nam iambica acatalecta iambis, catalectica iambo superfluente syllaba; similiter trochaica et anapaestica suis libentius terminantur. Contra quaedam alienis depositionibus gaudent, ut antispastica et choriambica iambicis coniugationibus, ionica autem utraque trochaicis, siquidem sint his finitima et familiaria metra singula singulis: non enim solum in fine ponuntur, sed et in medietate versuum et inter initia coniunguntur.

29* Scias autem in omni metro novissimam syllabam ἀδιάφορον, id est indifferentem esse. Nihil enim metri interest,

---

temporum. ut 'postquam res Asiae Priamique evertere gentem'. trochaeus est enim gentem, cum deberet aut dactylus esse aut spondeus. brachycatalecta species est quae in metris scandendis per syzygian, id est per binos pedes disyllabos, venit, cum in novissimo pede composito debenti esse tetrasyllabo unus pes de simplicibus deest, id est duae syllabae, ut 'Maecenas atavis edite re'. hic enim unus pes simplex deest, id est duae syllabae, ut sit plenum metrum asclepiadeum, quod spondeo et choriambis duobus et iambo constat. hypercatalecta species est, cum finitis pedibus metri praepositi necessariis una syllaba abundat, ut 'omnia Mercurio similis vocemque coloremque'. *Serv. centimet. p. 457, 13:* catalecticum versum dici cui syllaba una deest; brachycatalectum, cui duae desunt; hypercatalectum, cui una superest; acatalectum, [ubi nihil plus minusve est in versu] qui legitimo fine concluditur. *Mar. Vict. p. 62, 12. Cf. quae dixi p. 55 sq. 120.*

28* *Mar. Vict. p. 62, 20:* Occasio suggerit — inter initia coniunguntur. *Cf. ibid. p. 86, 6. 88, 34. 90, 10. 94, 15. al.*

29* *Mar. Vict. p. 62, 28:* Scias autem — brevem habuerit. *Aristid. Quint. p. 47 ed. Meib. Hephaest. p. 16, 1 ed. Westph. Caes. Bass. p. 257, 6:* nihil interest, novissima syllaba brevis an longa sit.

---

1 hypercatalectica *A B* 4 occasio suggerit — illud dicere] *cf. supra p. 130* 5 nam iambica acatalecta iambis, catalectica iambo superfluente syllaba *Keilius* nam iambica catalectica iambis acatalectica iambo superfluente *A B* ς 10 siquidem sint his *Keilius* siquidem sunt (s̄ *A*) his *A B* ς 13 ἀΔΙἀΦΟΡΟΝΟΝ *corr.* ἀΔΙἀΦΟΡΟΝ *A* 14 interest] inter se *corr.* inter ē *A*

utrum illa longa sit an brevis, ea videlicet ratione, quia distinctionis mora breve tempus extendit. Longam autem syllabam pro brevi accipi finalem ea ratione putaverunt, qua reperiuntur in metris longae plerumque pro brevibus positae, quas communes vocant, ut est 'insulae Ionio in magno'. Unde fit ut in omni metro novissima syllaba indifferens habeatur. Nam Aristoxenus musicus dicit breves finales in metris, si collectiores sint, eo aptiores separationi versus a sequente versu fieri; idcircoque in sexta sede * trisyllabos figura non ponitur, quia moram habet. At contra disyllabos familiaris est, quia celerius desinit, et eo magis, si posteriorem syllabam brevem habuerit.

Incisiones etiam versuum, quas Graeci τομάς vocant, 30* ante omnia in hexametro heroo necessario observandae sunt (omnis enim versus in duo cola formandus est): qui herous

---

Atil. Fortunat. p. 284, 13: omnis enim ultima syllaba in versu adiaphoros erit. *Mar. Plot. p. 500, 29. Serv. de cent. metr. p. 457, 4. Cf. fr. 5* B. Mar. Vict. p. 36, 28. 71, 18. 108, 20. 110, 10. 152, 28. Cf. Westphalius 'Die Lehrs. und Fragm. d. gr. Rh.' p. 12.*

30* *Mar. Vict. p. 64, 31:* Incisiones etiam — tenuerit, faciet. quarum prima penthemimeres tome dicitur, cum post duos pedes sequens syllaba plenam orationis partem distinguit, cuius exemplum erit 'quam Iuno fertur'. verbum enim post duos pedes concluditur ac determinatur syllaba, quae in metro semipes habetur, ut sequens sermo ab integra parte orationis incipiat. geminata autem penthemimeres tome versum pentametrum complet, ut 'quam Iuno fertur, quam Iuno fertur'. secundam divisionem hephthemimeren Graeci dixerunt, quae tribus pedibus emensis adicit syllabam completque sensum quacumque orationis particula. huic, sicut et superiori, nomen inditum ex eo est, quod tribus pedibus et una syllaba, id est semipede, quae in arsi et thesi septem motus efficiunt, versum dividat. cuius exemplum erit 'quam Iuno fertur terris': nam post tres pedes suprema ris syllaba sensum complet. erunt igitur hae duae tomae principales, ut dictum est, heroici versus incisiones, quibus similiter et iambici versus tri-

---

1 *fortasse* qua distinctionis mora breve t. e. 2 extendit *Santenius in Terentian. p. 200* ostendit *A B* ς 4 '*post* plerumque *excidit* in fine pedis' *Christius* 5 insulae] *Verg. Aen. III 211* 8 sint *B a Val.* ς *sunt A* 9 idcirco q̄ in *A* idcircoquę in *B* * *ante* trisyllabos *addidi* trimetri *Bergkius in comment. academ. benef. Thielemann. lege ed. Hal. a. 1863 p. 6* trimetri iambici *scripsit Keilius* hexametri *Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 110: an* senarii *vel* iambi *excidit?* 10 at contra disyllabos *A* ς atque disyllabos *B* 12 habuerit *Keilius* habuerint *A B* ς 15 TOMOC *A B* 16 omnia ς *B* om̄ *A* omnes *Val.*

hexameter merito nuncupabitur, si competenti divisionum ratione dirimatur. Sex enim pedum percussio versum quidem hexametrum, non tamen heroum [quem epicum], si legem incisionis non tenuerit, faciet.

31* Συναλοιφή est, cum inter duas loquellas duarum vocalium concursus alteram elidit, id est cum duae partes orationis

---

metri dividuntur. sed his in heroo duae aliae accedunt. nam si harum neutram inveneris, tertium trochaeum in versu conquires, id est penthemimeren disyllabo clausam, ut est 'infandum regina'. nam percussis duobus pedibus tertius pes trochaeus est, gina, cui coniuncta brevis in secundum legem versus hexametri dactylum complet. bes autem syllaba et sensum superioris coli integrat, ut fiat hephthemimeres, et sequentis pedis initium inducit. eodem modo et quartus trochaeus accipietur, qui raro admodum reperietur, ut est 'quae pax longa remiserat, arma novare parabant'. quartus pes trochaeus, arma: vide hephthemimeren disyllabo clausam, ut supra, cui adnexa brevis no syllaba dactylum lege heroici versus implet. harum si nullam in hexametro speciem inveneris, heroum versum iure ac merito negabis. non numquam autem evenit ut in eodem versu plures incisiones, id est penthemimeren et hephthemimeren et eam quae quarto pede [caesura] partem orationis terminat, quam bucolicen Graeci dicunt, reperiamus, ut 'arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris'. nam iae qui, pes in versu quartus, eam divisionem explicat, quam bucolicen vocari dictum est, sub qua quattuor pedum percussione sensus impletur. nam bucolici metri haec lex est, quam per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus observat exceptis paucis versiculis, de quibus in processu dicemus. *Ibid. p. 70, 22. 114, 18. 120, 12. Atil. Fortunat. p. 284, 25:* optimus habetur, cuius prima caesura penthemimerim habet orationis parte finitam, ut 'arma virumque cano Troiae qui primus ab oris', aut duos pedes et trochaeum similiter partem orationis finientem, ut 'infandum, regina, iubes renovare dolorem'. *Fragm. Bob. de vers. p. 623, 14:* sunt praeterea heroi versus, quibus et Homerus et Theocritus facile usi sunt, qui bucolici dicuntur, quorum caesura non penthemimeres nec hephthemimeres, id est in secundo et dimidio vel tertio et dimidio pede, sed in quarto, et finita quidem parte orationis, non, ut in aliis, syllaba sequenti parti caesurae ex priore iuncta. huius exemplum est 'dic age, dic mihi, † bove Liburnica qui colis arva'. *Cf. quae supra disserui p. 121.*

31* *Mar. Vict. p. 66, 5:* Observanda praecipue in metris litterarum vocalium inter se collisio, quae trifariam evenit, id est per συναλοιφήν,

---

2 sex enim pedum percussio metrum quidem hexametrum, non tamen heroum, quem epicum dicimus, versum, si legem *Weilius in Fleckeiseni Annal. a. 1862 p. 345 n.* 3 heroum quem epicum dicunt *Santenius in Terentian. p. 227; seclusit verba* quem epicum *Keilius: malim* quem epos dicunt *conl. fr. 21** 5 CYNᴧΛΙΦΗ *A B* duarum vocalium concursu altera alteram elidit *coniecit Keilius*

ita coeunt, ut altera in vocalem desinat et altera incipiat a vocali, ut 'hic hasta Aeneae stabat', item 'Priamique evertere gentem'. Nec tamen putaveris quamlibet de duabus eximi posse: illa enim quae supervenit priorem semper excludet, non prior sequentem. Ἔκθλιψις autem vel ἔκτριψις fit, cum duae inter se dictiones dure concurrentes aliquam pluresve vocalium cum consonanti dumtaxat exprimunt, ut 'multum ille et terris iactatus et alto': item 'circumdat nequiquam umeris et inutile ferrum'. Συνεκφώνησις vero, cum duae vocales in unam syllabam coguntur, quae possunt duarum syllabarum locum divisae complere, nulla dumtaxat interposita consonante, ut cum Phaethon in metro sic enuntiatur, ut ex trisyllabo nomine disyllabum faciat ita, 'cum te flagranti deiecit fulmine Phaethon'; et illud Maronis, 'villis onerosum atque unguibus aureis'. Aureis enim pronuntiandum est. In

---

ἔκθλιψιν, συνεκφώνησιν vel συναίρεσιν, quarum inter se differentia talis est. nam συναλοιφή est — in metris imitatur. hae figurae sollicite observandae sunt tam in heroicis quam iambicis ac ceteris metrorum generibus, ne nobis per neglegentiam obrepant maximumque errorem adferant. *Cf. Maxim. Vict. de rat. metr. p. 219, 1. Mar. Plot. p. 448, 4. 453, 4. 453, 6. Schol. Hephaest. p. 118, 21 ed. Westph.:* Ἡ συνεκφώνησις ἀναγκαῖόν ἐστι μάθημα καὶ πάνυ μετρικοῖς ἁρμοδιώτατον· πολλοὶ γὰρ λελυμάνθαι δοκοῦντες στίχοι καὶ ἄμετρον ἔχοντες τὴν σύνθεσιν διὰ τῆς συνεκφωνήσεως τὸν τῆς μετροποιίας κόσμον ἀπολαμβάνουσι *e. g. s. Hephaest. p. 10, 9 ed. Westph.:* Συνεκφώνησίς ἐστιν, ὁπόταν δύο συλλα-

---

2 ut] *monendum est in hoc fragmento bina cuiusque speciei exempla ab excerptore electa esse* 2 hic hasta] *Verg. Aen. XII 772* Priamique] *Verg. Aen. III 1* 3 quamlibet de duabus *Keilius* quamlibet duabus *B* quamlibet dabus *A* quamlibet e duabus ς 4 excludet *Keilius* excludat *A B* excludit ς 7 multum] *Verg. Aen. I 3* 8 circumdat] *Verg. Aen. II 510* 9 SYNECPHONESIS *A* 12 ut *ante* cum *add. Keilius, om. A B* ς *fortasse post* consonante *etiam* media *addendum erit conl. Mar. Vict. p. 147, 28* cum Phaethon *ed. Sanctandr.* cum phae *A B* ς 13 *post* ita *decem fere litterarum, post* 14 Phaethon *quindecim fere litterarum litura est in A* cum te] *Quintil. I 5, 17* apud P. Varronem 'cum te flagranti deiectum fulmine Phaethon': *cf. P. Ter. Varron. Atac. rel. p. 262 ed. Ries.* flagranti deiecit fulmine ς flagrantem deiecit flumine *A B* 14 villis] *Verg. Aen. V 352* 15 aureis *priore loco in litura A* Aureis enim trisyllabos pronuntiandum est, in scandendo autem *Christius, sed requiritur quod verbis* in scandendo *opponatur*

scandendo autem reis syllaba non dividitur, sed e littera in unitatem cum i deducta per diphthongon graeco more et ratione scripta enuntiatur. Sed et nostri veteres eas syllabas, in quibus i productum invenitur, e anteposito scriptitabant, ut in antiquis libris invenimus. Consimili ratione quaeritur, Orpheus in metro, ut 'non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus', utrum trisyllabum an disyllabum sit, an idem nomen duplici enuntiatione promatur, aut sine a littera, ut Peleus Pentheus, aut cum a, ut ita declinetur Orphaeus, ut Aristaeus. Visum est tamen hoc posse discerni, ut illa sine a littera graeca sit enuntiatio, haec latina, quae per diphthongon effertur. Sed ut ad propositum revertamur, quidam superioribus tribus quartam speciem addiderunt, quam Graeci dicunt κρᾶσιν, id est cum unius litterae vocalis in duas syllabas fit communio, ut 'audire est operae pretium procedere recte': item 'quaecumque est fortuna, mea est'. Quae veluti per contrarium συνεκφώνησιν in metris imitatur.

32* Aut in principio aut in medietate aut in extrema sui parte corrumpuntur. Igitur cuius initium pro condicione

---

βαὶ σύμφωνον μὴ ἔχουσαι μεταξὺ ἀλλήλων ἀντὶ μιᾶς παραληφθῶσι. *Arist. Quintil. p. 51 ed. Meib. Cf. Heliod. ap. schol. Hephaest. p. 123, 13 ed. Westph. Diom. p. 442, 15. 25. Charis. p. 279, 9. 12. Mar. Vict. p. 147, 26:* per conexionem autem, id est cum duae vocales non interposita consonante media in unam syllabam coguntur, idem effici erit exemplo versus hic, 'cum te flagranti deiecit fulmine Phaethon', scilicet ut disyllabum nomen ex trisyllabo fiat. nam si conexa diducas, ut sit Phaëthon, heroo versui ultimus anapaestus adiungetur.

32* *Mar. Vict. p. 67, 13:* Inter alia, quae in metris vitanda esse praecepimus, tria vel maxime haec observanda vitia nobis sunt, quibus vulnerati versus claudicabunt, quae trifariam contingunt. nam aut in principio — sicut et ὅσσοι ὔμμιν ὅττι. at cum Livius Androni-

---

1 in unitatem ς *B* in uninatem *A* 5 in antiquis libris] *cf. supra p. 82 adn.* consimili *B(?) Camerarius* cum simili *A* ς 6 non] *Verg. bucol. 4, 55* uincet ς trachius *B* 8 ut peleus pentheus *B* ut pcus pentheus *A* ut pentheus ς *v.* ut — Orphaeus *deleverim* 11 quae *Keilius* quod *A B* ς *v.* quae — effertur *secludit Christius* 15 audire] *Hor. sat. I 2, 37* audirest *et infra* quaecumquest *exarari iubet Christius* 16 quaecumque] *Verg. Aen. XII 694* 17 SYNECPHONESIN *A* 18 aut in principio ς ut in principio *A B* in medietate *Keilius* medietate *A B* ς corrumpuntur] *sc.* versus

propriae legis nequaquam integrum processerit, ἀκέφαλος dicitur, veluti capite imminuto, ut 'fluviorum rex Eridanus': item 'adicias nec te ullius violentia vincat'*. In media vero parte laesus λαγαρός appellatur, ut 'Anchisen facio certum' * quibus qui medentur, finalis syllabae excusatione succurrunt, ne media versus sede iambus habeatur, causantes, quod parte orationis terminata pro longa posita o accipienda sit, ut 'quam Iuno fertur' et 'quis te, magne Cato, tacitum', item 'classe veho mecum'. At in ultima miuros ob decurtationem, ut Graeci dixerunt, caudae, id est extimae partis, ut est ille versus apud Homerum, Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ὅπως ἴδον αἴολον ὄφιν. Cuius exemplo etiam nos utemur ita, 'attoniti Troes

---

cus praemisso hexametro huius modi subnectat versus per ordinem iambo terminatos, novam potius hanc speciem quam miuron existimant versum et teliambon appellant. nam in hymno Dianae apud eundem ita inveniuntur in fabula Inone, 'sed iam purpureo suras include cothurno, | balteus et revocet volucres in pectore sinus, | pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra, | derige odorisequos ad certa cubilia canes'. Nam cum superiorem versum plerumque chorius, sequentem iambus terminet, non absurde choriambicam clausulam idem adfectasse in eius modi modulatione dicetur, ea videlicet contemplatione, qua viderit Homerum, fontem atque originem metricae disciplinae, non tantum in duobus corpusculis Iliados et Odysseae his versibus teliambis frequenter usum, sed et in eo carmine, cui Margitae nomen est, eundem herois hexametris trimetros iambicos tamquam pares numero miscuisse [viderit qua ratione id in opere suo Livius]. nobis autem, quibus in isto artis metricae commentario omnia insinuandi curae ac moris est, ne aut per imperitiam aut per neglegentiam id praeterisse ab obtrectatoribus diceremur, utrumque super huius modi condicione versuum aperire atque expromere in maximo opere et studio fuit. *Schol. Hephaest. p. 168, 14:* Ἀκέφαλος δέ, ὅταν ἐν τῇ ἀρχῇ ἐλλείπῃ χρόνῳ, ὡς ἐν τῷ 'ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο' *e. q. s. Ibid. p. 168, 27:* Λαγαρὸς δέ, ὅν τινες καὶ σφηκοειδῆ καλοῦσιν, ὁ κατὰ τὸ μέσον ἐλλιπὴς χρόνῳ ἢ συλλαβῇ, ὡς ἐν τῷ 'βῆ δ' εἰς Αἰόλου κλυτὰ δώματα' *e. q. s. Ibid. p. 169, 5:* Μείουρος δέ, ὁ κατὰ τὸ τέλος ἐλλείπων χρόνῳ, ὡς ἐν τῷ 'Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ἐπεὶ ἴδον αἰόλον ὄφιν'. *Schol.*

---

2 fluviorum] *Verg. georg. I 482* 3 adicias] *Verg. Aen. XI 354* *post* violentia vincat *excidisse quaedam supra dixi p. 137: cf. schol. Hephaest. p. 169, 27 sqq. Suppleri poterit lacuna ex fr. 3*A et 3B* 3 in media *A* ς in medio *B* 4 Anchisen] *Verg. Aen. III 179* 5 *ante* quibus *lacunam indicavi, de qua monui p. 137* 7 posita o *Keilius* positione *AB*ς 8 quam Iuno] *Verg. Aen. I 15* quis te] *Verg. Aen. VI 841* 9 classe] *Verg. Aen. I 379* at in ultima *Ba Val.*ς at adultima *A* miurus *B* 11 ΤΡΩΕϹΔΕΡΙΓΗϹΑΝ *AB: Hom. Il. M. 208* 12 utimur *B*

viso serpente pavitant'. Cui quidam ita medentur, ut dicant Homerum, artis poeticae patrem, geminata littera ὄφφιν dixisse, sicut et ὄccοι ὔμμιν ὄττι.

33* Nunc de metrorum conexionibus, quas epiplocas Graeci appellant, dicemus. Adiectione enim et detractione per syllabas et tempora iis accidentia metra variantur. Dicta autem epiploce, id est amplexio, a metricis eo, quod copulari metra metris diversa his adiectionibus vel detractionibus aut etiam translationibus videantur. Harum species sunt tres, quarum prima trisemos, secunda tetrasemos, tertia hexasemos dicitur, ex eo quod e tribus et quattuor et sex temporibus subsistant, quae detractis ab initio versus primis syllabis diversa metrorum genera informant. Quarum prima erit ἐπιπλοκὴ δυαδικὴ

Hephaest. p. 170, 8 ed. Westph.: ἢ ὅτι ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς ᾔcθετο τῆc τοῦ δαcέοc φ ἐκφωνήcεωc πλέον τι ἐχούcηc διὰ τὴν cφοδρότητα τοῦ πνεύματοc, ὡc καὶ Ἡλιοδώρῳ δοκεῖ τῇ δαcείᾳ πλέον τι νέμειν. *Cf. Heliod. ap. schol. Hephaest. p. 112, 14 ed. Westph. Mar. Plot. p. 452, 20:* hi versus acephali dicuntur, ut Homerus 'ἐπειδὴ νῆάc τε καὶ Ἑλλήcποντον'. *Cf. Diom. p. 500, 5:* de inprobatis vero versibus varia traduntur. mutili vel trunci sunt qui in principio amputantur et litteram vel syllabam amittunt, vel tempore deficiunt; Graece dicuntur ἀκέφαλοι, quale est 'fluviorum rex Eridanus'. item Homericus ille, ἐπεὶ δὴ νῆάc τε καὶ Ἑλλήcποντον ἵκοντο. versus in media parte exiles vel hiulci Graece vocantur λαγαροί, qualis est item Homericus βῆν δ' εἰc Αἰόλου κλυτὰ δώματα. ecaudes sunt, qui in ultima conclusione oratiuncula vel syllaba fraudantur vel tempore deficiunt; Graece μείουροι vel cκάζοντεc vocantur, ut est, Τρῶεc δ' ἐρρίγηcαν, ὅπωc ἴδον αἰόλον ὄφιν. *Cf. Mar. Plot. p. 524, 7:* miurum dicitur, quod minus sit, quod Graeci μι dicunt, in coda, id est novissima parte, quam Graeci οὐράν vocant. sic et colurum, quod sit κολοβόν, id est curtum ἐν τῇ οὐρᾷ, id est in coda, in fine. *Ibid. p. 533, 18. Cf. Frag. Berol. de spec. hex. her. p. 637, 4. Mar. Vict. p. 61, 12. 142, 9. Cf. quae supra diximus p. 58. 137 sqq.*

33* *Mar. Vict. p. 63, 12:* Nunc de metrorum conexionibus — ὁμοειδέc vocabitur. *Schol. Hephaest. p. 136, 25 ed. Westph.:* Ἐπιπλοκή ἐcτι τοῦ μέτρου τὸ ἀνώτατον γένοc, ἐξ ἧc τὰ μέτρα γίνεται. Εἰcὶ μὲν οὖν ἐπιπλοκαὶ κατὰ μέν τιναc καὶ ἄλλαι, πλὴν αἱ νῦν ἀναγκαιόταται τρεῖc· καὶ ἡ μὲν καλεῖται τρίcημοc δυαδική· ἡ δέ, τετράcημοc δυαδική· ἡ δέ, ἑξάcημοc τετραδική· καὶ δυαδικῆc μὲν τριcήμου εἴδη δύο, τό τε ἰαμβικὸν καὶ τὸ τροχαϊκόν· τῆc δὲ τετραcήμου δυαδικῆc δύο, τό τε δακτυλικὸν καὶ τὸ ἀναπαιcτικόν· τῆc δὲ ἑξαcήμου τετραδικῆc τέccαρα, τό τε

---

6 iis *B* his *A* ς 7 copulari ς copulare *A B* 8 uel detractionibus *om. A*, *add. a in marg. et Val.* 12 additis vel *ante* detractis *addidit Keilius, sed verba* quae detractis — genera informant *fortasse a Victorino interposita sunt*

τρίϲημοϲ, id est cum iambicis trochaica conexa variantur in species duas utrasque trisemas, ut diximus, temporum trium. In coniugatione vero hexasemoe sunt, id est temporum sex. Nam iambico versui, ut est 'paratus omne Caesaris periculum', si adieceris longam, efficies trochaicum, ut 'o paratus omne Caesaris periculum'. Rursus trochaico si detrahas primam syllabam, iambicum efficies, velut 'est celer phaselus ille quem videtis'. * At cum dactylicis anapaestica sociantur similiter, ἐπιπλοκὴν δυαδικὴν τετράϲημον faciunt, ut 'arma virumque cano': huic si accesserint duae breves, fiet anapaesticum, ut 'ades arma virumque cano': rursus adiecta longa fiet dactylicum, ut 'pro ades arma virumque cano'. Quod adaeque ut supra per duas species variatum est, dactylici et anapaestici, et ideo δυαδική, id est duarum amplexio, tetrasemos autem propter quattuor tempora, quibus uterque pes extenditur, appellatur, qui in coniugationem copulati octasemi fiunt. Observabis autem in hac specie semper duas breves aut adicere aut detrahere, longam unam, quia est uterque pes trisyllabos. Tertia ἐπιπλοκή est in ionicis duobus et choriambo et antispasto, quae τετραδική hexasemos dicitur, id est amplexio quadra: quattuor enim pedes sibi mutuo conectuntur; temporibus autem sex constant. Nam

ἰωνικὸν τὸ ἀπὸ μείζονοϲ, τὸ χοριαμβικόν, τὸ ἀπ' ἐλάϲϲονοϲ ἰωνικόν, καὶ τὸ ἀντιϲπαϲτικόν. Ὠνομάϲθηϲαν δὲ ἐπιπλοκαί, ἐπειδὴ τὰ ἐκ μιᾶϲ ἐπιπλοκῆϲ εἴδη ἀπ' ἀλλήλων ε. ἄλληλα τὰ εἴδη μεταπίπτει *e. q. s. Ibid. p. 125, 3:* Τὸ ἰαμβικὸν καὶ τροχαϊκὸν μέτρον καλεῖται ἐπιπλοκὴ δυαδικὴ ἑξάϲημοϲ. Τὸ δακτυλικὸν καὶ ἀναπαιϲτικὸν μέτρον καλεῖται τετράϲημοϲ. *Ibid. p. 138, 22:* Δεῖ οὖν ϲε, ὅταν λαμβάνῃϲ δυαδικὴν τετράϲημον, ἐὰν μὲν μακρὰν εὑρίϲκῃϲ, μίαν ἀφαιρεῖν· ἐὰν δὲ βραχείαϲ δύο, μίαν προϲτιθέναι μακράν· καὶ οὕτω ϲοὶ τὸ μὲν δακτυλικὸν γίνεται ἀναπαιϲτικόν, τὸ δὲ ἀναπαιϲτικὸν δακτυλικόν. *Ibid. p. 125, 28:* Ἀπὸ τῶν ἓξ ποδῶν τῶν ἑξαχρόνων τέϲϲαρα μέτρα γίνεται, τά τε ἰωνικὰ καὶ τὸ χοριαμβικὸν καὶ τὸ ἀντιϲπαϲτικόν, ἅπερ καλεῖται ἐπιπλοκὴ τετραδικὴ ἑξάϲημοϲ. Ἓν γὰρ μέτρον τὸ ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονοϲ, τῆϲ κατ' ἀρχὴν ϲυλλαβῆϲ λαμβανομένηϲ, γίνεται

4 paratus] *Hor. epod. 1, 3* 7 est celer] *cf. Catull. 4, 1* phasellus *A B* 8 *lacunam indicavi Keilium secutus: quamquam sic metricum scripsisse existimaverim:* rursus trochaico, velut 'est celer — quem videtis', si detrahas primam syllabam, iambicum efficies sic 'celer phaselus ille quem videtis' at cum *Keilius* aut cum *A B* ς 10 anapaesticum *Keilius* anapaesticus *A B* ς 11 dactylicum *B a Val.* ς dactylus *A* 12 quod] qui *B* 19 tetradice exasemos *A* 20 *v.* id — quadra *secludi iubet Christius:* quadrua amplexio *legitur Mar. Vict. p. 94, 11* 21 constat *B*

cum sit hic versus ionici minoris, 'dea fecit dea belli dominatrix Phrygas', adiecta longa fit choriambicon, ut 'cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas': rursus adiecta alia longa efficiet ionicum maiorem sic, 'hoc cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas': item adiectio brevis quartam speciem in pede antispasto procreabit ita, 'et hoc cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas'. Adaeque et hic versus apud Horatium, 'miserarum est neque amori dare ludum neque dulci', constat ex ionico minore: huic si copulaveris longam, erit choriambicum, ut 'quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci': item longa alia apposita facit ionicum maiorem, ut 'o quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci': brevis autem praelata antispastum informabit sic 'et o quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci'. Ad summam omnis ἐπιπλοκή propriis pedibus nulla intermixtione aliorum subsistens suis usque ad ultimum pedibus terminabitur. Sin autem alios admiserit, variabitur. Nam familiare est utrisque ionicis trochaicas sibi bases admiscere. Ergo sincerum μονοειδές, mixtum autem ὁμοειδές vocabitur.

τὸ λοιπὸν χοριαμβικόν· καὶ τῆς δευτέρας λαμβανομένης γίνεται τὸ ἀπ' ἐλάσσονος ἰωνικόν· καὶ τῆς τρίτης λαμβανομένης τὸ ἀντισπαστικὸν γίνεται. Καὶ οὗτοι μὲν οὕτως. Ὁ δὲ ἴαμβος γιγνόμενος μετὰ τῶν χοριαμβικῶν καὶ ἀντισπαστικῶν τὸ ἐπίμικτον ποιεῖ· ὁ δὲ τροχαῖος μετὰ τῶν ἰωνικῶν ποιεῖ τὸ ἐπίμικτον μέτρον. *Mar. Vict. p. 84, 2. Fragm. Paris. de iamb. metr. p. 631, 3. Mar. Vict. p. 75, 3. 122, 28. 94, 10. 91, 14. 129, 32. Ibid. p. 102, 12:* erunt ergo per συμπάθειαν, id est per consentaneum adfectum, mixtae inter se iambicae bases choriambicis et antispasticis. nam quotiens copulantur sub quacumque sede, videas veluti ex una eademque specie id compositum metrum stare et quasi uniforme, quod monoides Graeci dicunt, procedere. adaeque et trochaicae bases ionicis pari consensione sociantur, cum epiplocarum, quas amplexiones metrorum diximus, mutua inter se successione variantur. et quamvis non solum trochaeum et solutionem eius tribrachyn, sed et spondeum cum suis solutionibus, id est dactylum et anapaestum, admittant, tamen uniformia metra sentiuntur, cum ex similibus et familiaribus pedibus sit ista coniunctio. *Schol. Hephaest. p. 125, 14:* Τὸ δὲ παιωνικὸν ἐπιπλοκὴν οὐκ ἔχει, ὡς τὰ προειρημένα. *Vid. quae supra monui p. 56 sqq. 120.*

---

2 dea] *Terentian. Maur. 2060* in carmine sic est, Diomeden modo magnum Dea fecit *sqq.: sed versus non ipsius Mauri esse monuit L. Muellerus post Rutil. Namat. p. 57* 3 alia longae *A* 8 miserarum] *Hor. carm. III 12* 10 ut *addidi, om. A B* ς 18 bases ς basis *A B* sincerum ς syncere *A B* 19 ὁμοειδές] ὁμοιοειδές *Rossb. et Westph. Metr. t. III p. 336 n. 5 ed. prim.*

LIBER III.

Qui ab iambo initium trahunt eo studio id fieri volunt, 34*
quod idem a brevi, a quo his origo est, incipiens tempore et in longo desinens, velut a minori ad maius egressus, per temporum incrementa consurgat. Pyrrichius enim nullum ex se metrum edidit, trochaeus vero a longa incipit. Nos autem, ut dictum est, principium metrorum omnium heroo sive

---

34* *Mar. Vict. p. 69, 4:* Credo nos omnia, quae ad instructionem metricae disciplinae, velut quaedam primae institutionis incunabula, necessario his quibus huiusce artis voluptas ac studium est intimanda sunt, adfatim persecutos. unde nunc ad novem prototypa, id est primiformia omnium metrorum genera, e quorum fonte atque origine derivata innumerabilis metrorum profluit copia, stilum nostri operis convertam, de quorum disciplina et praeceptis et ratione omni, qua inter se congruunt sive dissentiunt, textus huius secundi voluminis singula quaeque reserans explicabit. auspicandum igitur ab eo nobis pede potissimum credidi, qui heroum metrum, principium omnium, continens etiam nominis sui appellatione signavit, siquidem non nulli ambigant, a quo e duobus metrorum ordinem inchoantes exordium capiant. nam q u i a b i a m b o — e s s e c e n s u i m u s. igitur prototypa, id est primiformia novem metra, quorum et in primo *(Mar. Vict. p. 52, 20)* mentionem fecimus, sunt haec, e quis primum dactylicum, dehinc anapaesticum, post iambicum et trochaicum et choriambicum et antispasticum, ionicum ἀπὸ μείζονος, ionicum ἀπὸ ἐλάσσονος et paeonicum. nam proceleumaticam speciem novem prototypis decimam adsociandam esse quidam putant, de quo suo loco dicemus. placuit itaque hoc situ ordinis ad illuminandas eorum inter se alternationes ac mutuas aemulationum vicissitudines, quas per contrariam naturae positionem habere noscuntur, eadem sic digerere, ut dactylicis anapaestica, iambicis trochaica et cetera, ut paulo ante induximus, e diverso posita, quo distent ac differant sive copulentur et congruant ipsa inter se comparatione proposita, non solum ingenii sed et oculorum veluti contemplatione percepta in promptu ac propatulo habeantur. *Schol. Hephaest. p. 145, 9:* Ἀπὸ ἰαμβικοῦ δὲ πρῶτον ὁ Ἡφαιστίων ἤρξατο (καίτοι πολλῶν μετρικῶν τὰ πρῶτα τῷ δακτυλικῷ παρεσχηκότων καὶ τιμησάντων τὸ πρῶτον εὑρεθὲν τῆς τέχνης προεδρίᾳ· ἐνταῦθα οὖν ὁ Ἡφαιστίων περὶ ἰαμβικοῦ πρῶτον ποιεῖται τὸν λόγον) οὐχ ὅτι (ὁ ἴαμβος) τῶν ἄλλων τιμιώτερος, ἀλλ' ὅτι τῶν ἄλλων βραχύτερος· ἀπὸ δὲ τῶν βραχυτέρων ἐπὶ τὰ μείζω ἀναβαίνειν ἔθος. *Ibid. p. 162, 3:* Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι σχεδὸν πάντες μετρικοί, ὅπερ ἔφημεν, ἀπὸ τοῦ δακτυλικοῦ φασὶν ἄρχεσθαι, καὶ τιμὴν ταύτην ἀπονέμειν τῷ μέτρῳ καὶ τῷ τὸ μέτρον εὑρόντι· ὁ δὲ ἀπ' ἐλάσσονος ἀρξάμενος Ἡφαιστίων ἀπὸ τρισήμου τὸν λόγον ποιεῖται δυαδικῆς *e. q. s. Ibid.*

---

2 a quo metris origo est *coniecit Keilius: an* a quo cunctis o. e.? *cf. supra p. 188, 7* 3 in *add. Keilius, om. A B* ς 5 edit *Santenius in Terentian. Maur. p. 110* 6 principium *Santenius l. s. p. 137* principi *A B* ς

pythio deferentes non absurde a dactylico auspicandum esse censuimus.

35* Differt enim a dactylico heroum eo, quod et dactylicum et spondiacum est et in duas caeditur partes.

36* Incipit autem et adcrescit per augmenta syllabarum dactylicum metrum a dimetro usque ad hexametrum.

37* Dimetrum acatalectum, quod hymenaicum appellatur.

---

p. 145, 16: πυρρίχιοϲ μέντοι οὐκ ἔχει μέτρον οὐδὲ ϲπονδεῖοϲ. *Atil. Fortunat. p. 283, 14:* igitur originalia sunt, ut dixi, numero octo, quae omnia proprio suo pede consistunt, unde nomina acceperunt, et sunt haec, dactylicum, anapaesticum, iambicum, trochaicum, ionicum ἀπὸ μείζονοϲ, ionicum ἀπ' ἐλάϲϲονοϲ, choriambicum, antispasticum. his quidam adiciunt proceleumaticum et paeonicum, quae possunt videri non inter prototypa ponenda, sed inter illa quae ex prototypis nascuntur. sed nos post octo prototypa haec duo coniungemus. *Cf. quae supra disserui p. 41 sq.*

35* *Mar. Vict. p. 70, 21:* Dactylici igitur metri id praecipuum est, quod heroum appellatur. Differt enim — caeditur partes, de quibus supra *(Mar. Vict. p. 64, 31)* diximus, penthemimeren et hephthemimeren. dactylicum enim, licet isdem subsistat pedibus, non tamen isdem divisionibus ut herous caeditur versus. *[Censor.] fragm. de metr. p. 611, 24:* Primus est et legitimus maxime numerus hexameter heroicus. huius pedes aut dactyli sunt aut spondii: raro et in extremo versu reperietur trochaeus. *Diom. p. 494, 31. Fragm. Bob. p. 623, 2:* Dactylicum metrum constat dactylo et spondio. sed quod dactylo solo constat, dactylicum nominatur; quod dactylo et spondio, quamvis et ipsum dactylicum sit et constet frequenter dactylis solis et in fine trochaeo sive spondio, tamen heroum dicitur et recipit hos duos pedes. quod heroum appellatum est, quod isto carmine heroas potissimum vetustissimi auctores cecinisse traduntur. *Atil. Fortunat. p. 283, 26:* sed admissus in societatem dactyli spondeus, scilicet propter temporum similem potestatem, heroum fecit. volunt enim heroum illo distare a dactylico, quod dactylicus ex dactylo solo sit, herous et ex spondeo. *Cf. Mar. Vict. p. 151, 5.*

36* *Mar. Vict. p. 73, 3:* Incipit autem — ad hexametrum. *Arist. Quintil. p. 51 ed. Meib.:* Ἄρχεται δὲ ἀπὸ διμέτρου, καὶ πρόειϲιν ἕωϲ ἑξαμέτρου *e. q. s.*

37* *Fragm. Bob. p. 623, 8:* Dimetrum — appellatur. *Serv. centim. p. 460, 16:* hymenaicum constat dimetro acatalecto, ut est hoc 'tibia personet'. *Mar. Plot. p. 517, 4:* Hymenaicum dimetrum dactylicum sapphicum monoschematistum est: semper enim duobus dactylis constat 'Ὕμεν' Ὑμήναον | ὦ τὸν Ἀδώνιον, 'inde toro pater', 'mens sibi conscia'. *Cf. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 165.*

---

4 et spondiacum *add. Keilius Atilium secutus, om. A B ς*
7 *B = codex Bobiensis, nunc Vindobonensis 16* *v = editio Vindobonensis* hymenaicum *v* hymenicum *B*

Versus dimetrus catalecticus, qui duobus suis dumtaxat 38* pedibus subsistit, tamquam 'terruit urbem', qui concurrit etiam in choriambicum monometrum hypercatalectum, quod adonidium appellatur. Trimetrus autem acatalectus, qui e tribus, ut 'cui non dictus Hylas puer': hoc hemiepes dicitur, quo Simonides frequenter usus est. Tetrametrus, qui e quattuor, ut 'nos patriae fines et dulcia', qui in dactylum desinens alcmanicum, in spondeum vero archilochicum metrum efficit. Pentametrus acatalectus, qui e quinque, ut 'Phoebus me docuit iuga Pieridum sequi': et hoc simonidium dicitur. Hexametrum, cui sex incisiones sunt, ut 'Oceanum interea surgens Aurora reliquit': fit catalecticum in syllabam, [cuius ea compositio est, ut habeat duos dactylos et spondeum, dehinc totidem dactylos et in fine syllabam,] ut 'alma parens, genetrix divum, decus Oceano'. Nam si una syllaba brevius fuerit a

---

38* *Mar. Vict. p. 73, 4:* erit ergo versus dimetrus — semper habeat. *Hephaest. p. 23, 7 ed. Westph. Schol. Hephaest. p. 164, 8 sqq. Serv. centim. p. 460, 14:* adonium constat dimetro catalectico, ut est hoc 'fundite fletus'. *Mar. Vict. p. 119, 4. Serv. centim. p. 460, 23:* simonidium constat trimetro acatalecto, ut est hoc 'indue pallia serica'. *Ibid. p. 461, 5:* simonidium constat pentametro acatalecto, ut est hoc 'Parthenopaeus erat puer Arcadiae decus'. *Mar. Vict. p. 119, 4. 115, 9. 165, 17. 166, 28. 170, 25. Ibid. p. 111, 4:* tamquam 'Maro me docuit iuga Pieridum sequi'. *Ibid. p. 111, 13:* huic quoque si octavam syllabam a primordio versus auferas, fiet elegion, quod diestigmenon elegion appellatur, quasi unius interiectu syllabae distinctum, ut 'alma parens genetrix divum decus Oceano'. *Atil. Fortunat. p. 285, 1:* nunc exempla videamus a dimetro. dimetrum acatalectum, in quo clausula est hexametri, 'terruit urbem'; hoc et choriambicum est: trimetrum acatalectum 'caeditur icta securi', tetrametrum catalecticum 'Italiam fato profugus', tetrametrum acatalectum 'caelicolae Veneris sacra semina', pentametrum acatalectum 'haec mare canificat nec agit freta caerula', hexametrum acatalectum 'conticuere omnes intentique ora tenebant'.

---

1 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** 2 terruit] *Hor. carm. I 2, 4* qui concurrit *B* quod concurrit *A* ς 4 trimetrus ς *B* trimetros *A* 5 cui non] *Verg. georg. III 6* 6 tetrametros *A B* 7 nos] *Verg. bucol. 1, 3* in dactylum desines *A* in dactilicum desinens *B* 9 acatalectus *Gaisfordius* catalectus *A B* ς 10 *post* hexametrum *addit* metrum *Christius* 11 incisiones] *an* ingressiones? Oceanum] *Verg. Aen. IV 129. XI 1* 12 in syllabam *Keilius* in syllabas *A* in syllabas *B* in syllaba *Val.* ς *v.* cuius ea — 15 decus Oceano *secludi iubet Christius: retinui v.* ut 'alma — decus Oceano' 13 duo dactylos *A* duo dactyli *B*

legitimo hexametro heroo, dicetur diphilium metrum, ita tamen ut ista versificatio tertium pedem spondeum semper habeat.

39* A Ferunt apud auctores exempla reperiri, quibus ostendant metrum dactylicum usque ad octametrum disyllabo terminatum processisse, ultra quam proceritatem nihil in eodem scrutandum est.

39* B Octametrum catalecticum, quo usus est Stesichorus in Sicilia, 'audiat haec nostri mela carminis et tunc per tua rura volabit'.

40* Dactylicum hexametrum constat e spondeo, trochaeo et eodem dactylo. Habet autem sedes sex, quas Aristoxenus musicus χώρας vocat. Recipit etiam pedales figuras tres: has Graeci dicunt ποδικὰ σχήματα. Nam aut in sex partes dividitur per monopodian, aut in tres per dipodian et fit trimetrus, aut in duas per κῶλα duo, quibus omnis versus constat, dirimitur.

41* Metrorum fere omnium natura talis est, ut caveant ne

39* A *Mar. Vict. p. 74, 30:* inter haec, ne ignorasse videar, non praetermiserim, quod ferunt apud auctores — scrutandum est. *Cf. Serv. centim. p. 461, 17 sqq. Hermanni Epit. d. m. p. 101 ed. quart.*

39* B *Fragm. Bob. de vers. p. 623, 9:* Octametrum catalecticum — rura volabit.

40* *Mar. Vict. p. 70, 12:* Igitur dactylicum hexametrum — constat, dirimitur. *Schol. Hephaest. p. 165, 24:* Τὸ Ἡρωϊκὸν μέτρον ἑξάμετρόν ἐστιν· ἓξ γὰρ χώρας ἐπιδέχεται, καὶ κατὰ μονοποδίαν μετρεῖται *e. q. s. Atil. Fortunat. p. 284, 9. Cf. fr. 19* p. 202, 9. Mar. Vict. p. 64, 32. 83, 4. Cf. Westphalius 'Die Fragm. u. d. Lehrs. d. gr. Rh.' p. 12.*

41* *Mar. Vict. p. 70, 24:* inter spondeum autem et dactylum mensura temporum congruente etiam in arsi et thesi eadem aequalitas stabit, quam Graeci dicunt ἴσον λόγον. quibus per coniunctionem et divisionem, ut supra docuimus, mutua procreatio est, meritoque indifferenter in quacumque versus sede, ut sors scandendi processerit, reperiuntur, dumtaxat usque ad pedem quartum: quintus enim frequenter, ut heroum decet, dactylus esse debet. eadem cognatione etiam anapaestus, qui [e] spondei prima in duas breves divisa efficitur, heroo

---

5 metrum *Keilius Corrigend. p. 671* hexametrum *A B* ς 8 *de cod. vide adnot. ad fr. 37** tesichorus *B* 9 tunc per tua rura *Keilius* tu[nc] peruida rura *B* tunc pervia rura *v* 11 *de codic. vid. adnot. ad fr. 2** 12 etiam] autem ς 15 monopodian ς *B* ΜΟΝΟΠΟΔΙΑΝ *A*

singulas partes orationis singulorum pedum fine concludant, sed potius ut verba vel nomina ex residua sui parte sequentibus pedibus adnectant.

Arietat in muros et duros obice postis, 42
genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis,
inclusere cava et nigra nemus abiete cingunt.

---

posset adnecti metro, nisi incipiente dactylo et subiuncto anapaesto mediae breves numero quattuor heroum versum deformarent: seu quod anapaesti per syzygias gradiuntur, sive quia m e t r o r u m f e r e — p e d i b u s a d n e c t a n t. quo pacto evenit * vocum integer pes esse, sed sane ut perfectae parti orationis de sequenti sermone aliquid accedat, nec umquam facile cum fine pedis pars orationis impleatur. in anapaestis autem contra evenit istud: etenim pes hic singulis coniugationibus amat (amat *libr. om.*) partem orationis includere, sicut in comoediis pleraque exempla declarant. non numquam haec observatio praetermittitur. sed qui fuerint eius modi versus, neque sonum neque gratiam habebunt et prosae orationi similes audientur. trochaeus numero tantum syllabarum spondeo congruens, velut alienus ab his, semper in extima parte versus locabitur. super quo etiam nunc inter grammaticos lis pendet. nam qui eum adserunt, ferunt pulchriorem versum epicum effici, si κατάληξιν habeat, id est si trochaeo claudente terminetur, ut persuadeant dactylicis pedibus familiariter trochaeos in depositionibus coniugari. adversus quos alii loci extimi, in quo tantum locabitur, praescriptione nituntur; nec immerito, ut novissima eius syllaba, quae semper brevis est, mora temporis intercedente, quae in fine versus naturaliter contingit, suppleatur, quo tunc demum pro longa sumatur, sicut pleraeque in metris finales syllabae: vel quod in omni versu ultima brevis ἀδιάφορος, id est indifferens, habeatur. quae tamen persuasio in medio posita potest et trochaeo accidere. *Schol. Hephaest. p. 166, 14:* Ἡ δὲ ἕκτη χώρα σπονδεῖον δέχεται καὶ τροχαῖον· ἐπὶ παντὸς γὰρ μέτρου ἀδιάφορός ἐστιν ἡ τελευταία συλλαβή. *Diom. p. 494, 14:* sed spondeus perpetuo in fine ponitur, cuius loco plerumque trochaeus invenitur, ea ratione qua indifferentem in omnibus metris postremam syllabam veteres esse crediderunt. *Atil. Fortunat. p. 284, 12:* recipit, ut dixi, pedes dactylum et spondeum omnibus locis indifferenter, aliquando in ultimo et trochaeum. omnis enim ultima syllaba in versu adiaphoros erit. *Mall. Theod. p. 589, 24. Serv. centim. p. 460, 11. Mar. Vict. p. 72, 22:* memineris autem saepe Graecos huic metro molossum et palimbacchium et creticum loco dactyli sub lege syllabarum communium admiscere. nam et apud nos similis versus reperitur, in quo primus amphimacrus est, ut 'insulae Ionio in magno'. qui

---

4 *A = codex Valentianus N. 5. 1, olim S. Amandi Elnonensis, B = codex Leidensis Vossianus 79, 8, C = codex Parisinus Sangermanensis 1094, p = editio Putschii* Arietat in muros et duros obice postis Genua (Gentia *B*) labant gelidus concreuit frigore sanguis Inclusere caua et nigra nemus abiete cingunt *B C* arietat in muros genua labant abiete cingunt*: Verg. Aen. XI 890. XII 905. VIII 599*

Quos pedes quidam faciunt dactylicos, primas duas breves ligatas pro longa accipientes, sicut praecepit Iuba metricus.

43* Incipit autem versus herous hexameter a duodecim syllabis, in quo omnes spondei sunt, ut 'non phocae turpes, non marcentes ballenae', et crescit usque ad XVII syllabas. Quotiens autem dactylus accedit, totiens syllaba adcrescit. Quas species sub exemplis enumerare et apud nos longum et apud eruditos absurdum habeatur, quotiens et quibus in locis per alternas dactyli et spondei vices inter se obòrtae collocentur: quas tamen XXXII esse manifestum est. Est autem herous versus temporum XXIIII, spondeo dumtaxat ultimo. At

---

tamen certa ratione creticus non est. nam tertiam longam, id est ae diphthongon, quae creticum pro dactylo dedit, sequens syllaba a vocali incipiens, dum tempus prioris in se trahit, produci non patitur, atque ita productam vocalem superveniens alia vocalis elidit. nec te idem pes in illo versu decipiat, velut huius similis, qui est talis, 'ponite spes sibi quisque'. nec enim hic, ut in superiore, primus pes creticus erit propter duas consonantes, sed pes est dactylus, primo quod pars orationis compleatur cum pede, id est ponite, dehinc quod s p sequentis pedis inferri superiori non possunt, quae alium inchoant sensum; nec umquam consonantes duae longam syllabam faciunt, nisi in eadem parte verbi constitutae, quod et in ceteris observabimus.

42 *Mar. Plot. p. 546, 1:* fit asynartetum etiam per antipathian, id est per contrarietatem, ac siquis proceleumaticum pedem, qui anapaestico datus est metro, contrario eius, id est dactylico, praestet, ut Vergilius arietat in muros — Iuba metricus. sed errant: nam genus est illud asynartetum, quo usa est Sappho per totum librum suum primum. *Ibid. p. 452, 25:* nam 'genua labant*' sicut metricis placet, ut proceleumaticus pro dactylo sit, duabus prioribus brevibus pro una longa positis.* *Maxim. Vict. de rat. metr. p. 222, 5:* quattuor syllabae breves pro spondeo poni possunt, ut 'genua labant'. hic enim genua la scanditur, in quo pede priores duae breves iunguntur, ut unam longam faciant poetica licentia, quae magis in iambicis versibus est permissa et celebris. *Cf. Wentzelius Symb. crit. p. 19 sq. et quae supra monui p. 143.*

43* *Mar. Vict. p. 72, 12:* Incipit autem — hexametrum catalecticum. *Schol. Hephaest. p. 140, 16:* Τοῦ μὲν ἡρωϊκοῦ μέτρου σχήματά εἰσι τριάκοντα δύο *e. q. s.* *[Censor.] fragm. p. 612, 7:* hoc genus numeri paucissimarum duodecim syllabarum, plurimarum decem et octo: tempora recipit viginti quattuor, interim viginti tria: pedibus tribus tantum conficitur: formas recipit triginta duas, quas enumerare festinantibus longum est. *Fragm. Bob. p. 623, 11:* Hexametrum heroum, 'conticuere omnes intentique ora tenebant'. huius species sunt iunctis per vices spondio et dactylo [compositis] XXXII.

---

2 *fortasse* sicut praecepit et Iuba metricus *coll. Mar. Plot. p. 152, 26: cf. supra p. 143 et Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 160*

si trochaeus versum clauserit, XXIII, quem volunt haberi hexametrum catalecticum.

Heroi versus vitiosi habentur qui ex solis dactylis vel 44*
qui ex solis spondeis constant, quia in talibus aut gravis tarditas aut velocitas nimia vitiosa est. Insignes autem in metris sunt aut dactylici, id est cum quinque dactyli ultimo spondeo clauduntur, ut 'panditur interea domus omnipotentis Olympi': aut spondiazontes, id est cum in quinta et sexta regione versus pedes spondei ponuntur, ut 'cornua velatarum obvertimus antemnarum'; aut in monosyllabum desinentes, ut 'procumbit humi bos'; aut quattuor orationis partibus decur-

---

Atil. Fortunat. p. 284, 18: maximus qui est versus, syllabas habet XVII, ut 'at tuba terribilem sonitum procul aere canoro'; minimus habet XII, ut est Ennianus 'olli respondit rex Albai longai'. *Mar. Plot. p. 502, 20:* spondeus igitur et dactylus variati faciunt metrum habere schemata XXXII, quae aut exemplis auctorum aut nostris docebimus.

44* *Mar. Vict. p. 71, 33:* Heroi versus — ardebat Alexin. *Cf. Diom. p. 495, 16:* dactylicus nominatur, cum omnes fere dactylos habet, maxime novissimum, ut est apud Homerum Κύκλωψ, τῆ, πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγεϲ ἀνδρόμεα κρέα. apud Vergilium tale est, 'panditur interea domus omnipotentis Olympi' *e. q. s. Mar. Vict. p. 112, 6. Atil. Fortunat. p. 284, 22:* sed hos et eos qui plures spondeos quam dactylos habent, quasi minus bonos et sine dactylo parum teretes et sonoros, spondiazontas appellaverunt. proprium huius est, quod semper a longa incipit et disyllabo pede finitur. optimus habetur, cuius prima caesura penthemimerim habet orationis parte finitam, ut 'arma virumque cano Troiae qui primus ab oris', aut duos pedes et trochaeum similiter partem orationis finientem, ut 'infandum, regina, iubes renovare dolorem'. *Mar. Plot. p. 505, 15:* Huius metri, id est heroici, virtutes sunt tres: si ἀϲύνδετοϲ versus fuerit, id est sine coniunctione, ut est illud graecum, μῆνιν ἄειδε, θεά, Πηληιάδεω Ἀχιλῆοϲ, hoc latine sic, 'hic alienus ovis custos bis mulget in hora': si fuerit tetracolos, id est si quattuor verbis vel quibuslibet partibus orationis fuerit divisus, cuius virtutis exemplum latinum melius lectum est quam graecum, 'saltantis satyros imitabitur Alphesiboeus', graecum sic, αἰδέομαι βαϲιλῆα πολυχρύϲοιο Μυκήνηϲ, sed πολυ fecit illum quasi pentacolon, nam πολύχρυϲοϲ compositum nomen est: si fuerit rhopalius versus, qui a monosyllabo verbo incipiens gradatim crescit et ῥόπαλον, id est Herculis clavam, imitatur ab angusto et tenui in latitudinem desinens, ut ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲϲ ὀλβιοδαῖμον. latinum non repperi, sed potui illum Vergilii ver-

---

1 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** quem] *fortasse* quem quidam haberi *B Val.* ς habere *A* in metris *secludit Christius* 6 dactylici, id est cum quinque *Keilius* dactylici in quo quinque *AB*ς dactyli ς dactylici *A B* 7 panditur] *Verg. Aen. X 1* 9 cornua] *Verg. Aen. III 549* 11 procumbit] *Verg. Aen. V 481*

rentes, ut 'cornua velatarum obvertimus antemnarum'; aut ἀσύνδετοι et διὰ πέντε, ut 'formosum pastor Corydon ardebat Alexin'.

45* Non amat autem, ut dictum est, per singulos pedes verba finire, sed immiscere syllabas. Nam qui per singulos pedes verba terminarit, erit indecens, sicut 'Pythie, Delie, te colo, prospice votaque firma'. At si misceantur syllabae, erit decentissimus, ut 'at regina gravi iamdudum saucia cura'. Adaeque observatur ne tertius pes verbum finiat versumque a se diducat, ut est 'cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos'.

46* Heroici versus hexametri cola seu commata alia sunt, ut Graeci dicunt, ἀρκτικά, alia τελικά, alia κοινά, e quis alia initiis, alia clausulis versuum conexa respondent, quas portiunculas, si necesse sit, ausim dicere initiales et finales seu no-

---

sum verba commutans sine sensus laesione formare, 'quarum quae forma pulcherrima Deiopea'. ut sit sic, 'quae quarum facie pulcherrima Deiopea'.

45* *Mar. Vict. p. 71, 24:* non amat — Latonia Delos. *Schol. Hephaest. p. 161, 19:* Ἔπος κατ' ἐξοχήν, ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι τὰς βάσεις ἀλλήλαις, ἐντεῦθεν γὰρ καὶ τὴν τοῦ ἔπους ἀρετήν ἐστιν ἰδεῖν· τὰ γὰρ εὔρυθμα τῶν ἐπῶν οὐ συναπαρτιζομένας ἔχει τὰς βάσεις τοῖς μέρεσι τοῦ ὅλου (*leg.* λόγου), ὡς τὸ 'Ὕβριος εἵνεκα τῆσδε'· ἄρρυθμον γὰρ τοῦτο. *Ibid. p. 167, 16:* Ὑπόρρυθμον δέ ἐστι τὸ καθ' ἕκαστον πόδα ἀπαρτίζον εἰς μέρος λόγου, οἷον 'ὕβριος εἵνεκα τῆσδε, σὺ δ' ἴσχεο, πείθεο δ' ἡμῖν'.

46* *Mar. Vict. p. 74, 8:* Heroici versus — sociatae congruunt. igitur tetrametrus versus herous initialis erit talis, 'Odrysium Martem cane barbite', finalis seu novissimalis 'Odrysio lyra carmine cantat', communis autem 'mensorem cohibent Archyta'; trimetrus initialis 'sic te diva potens Cypri', quod metrum glyconium octasyllabum dicitur; finalis autem 'grato Pyrrha sub antro', quod pherecration heptasyllabon appellatur: dimetrus herous initialis erit 'arma sonantia', novissimalis, qui pentasyllabos dicitur, 'terruit urbem'. nam tam in prima quam postrema parte posita haec cola adsumptis reliquis quattuor pedibus faciunt heroum hexametrum.

---

1 aut asyndetoe et diapente *A* 2 *v.* et διὰ πέντε *suspecta sunt Christio* formosum] *Verg. bucol. 2, 1* 5 namq. per *B* 6 pithie *A* phitie *B* 8 at regina] *Verg. Aen. IV 1* ataeque *A B* 10 diducat *B* deducat *A* ς cui non] *Verg. georg. III 6* 14 portiunculas *Keilius* partiunculas *A B* particulas ς 15 ausim ς usim *A B*

vissimales, communes autem, quae et initio et fini sociatae congruunt.

'Dic age, dic mihi, † bove Liburnica qui colis arva'. 47*

Hoc quoque dignum eruditis auribus non praetermiserim 48* repertum in hexametro versu dactylico, cui tamen duo cola

---

47* *Fragm. Bob. de vers. p. 623, 14:* sunt praeterea heroi versus, quibus et Homerus et Theocritus facile usi sunt, qui bucolici dicuntur, quorum caesura non penthemimeres nec hephthemimeres, id est in secundo et dimidio vel tertio et dimidio pede, sed in quarto et finita quidem parte orationis, non, ut in aliis, syllaba sequenti parti caesurae ex priore iuncta. huius exemplum est dic age — colis arva. *Diom. p. 495, 15:* bucolici sunt, quotiens in quarta regione dactylus finiens partem orationis invenitur. *Ibid. 497, 9:* quarta (*sc.* incisio) tetrapodia bucolice dicitur, quia Theocritus auctor bucolici carminis hac plurimum usus esse creditur. *Mar. Vict. p. 65, 29:* non numquam autem evenit ut in eodem versu plures incisiones, id est penthemimeren et hephthemimeren et eam quae quarto pede [caesura] partem orationis terminat, quam bucolicen Graeci dicunt, reperiamus, ut 'arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris'. nam iae qui, pes in versu quartus, eam divisionem explicat, quam bucolicen vocari dictum est, sub qua quattuor pedum percussione sensus impletur. nam bucolici metri haec lex est, quam per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus observat exceptis paucis versiculis, de quibus in processu dicemus. *Ibid. p. 114, 17:* ergo tetrameter sive versus sive hexametri heroi tome tertia — nam post duas incisiones eius proprias, id est penthemimeren et hephthemimeren, tertia est ea quam βουκολικήν appellant, quae quarto pede semper sensum claudente distinguitur ideoque a Graecis sic appellatur, quod bucolici carminis haec lex sit, ut versus eius ea observatione formetur, ut ante duos ultimos quarto pede terminet aut partem orationis aut sensum, quam legem per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus exceptis tribus aut quattuor ferme versibus, e quibus sunt ἀμφῶες νεοτευχὲς ἔτι γλυφάνοιο ποτόςδον et τοῖς δὲ μέτα γριπεύς τε γέρων πέτρα τε τέτυκται, custodit: at noster Maro haud ita, quod utrum scrupulosum an supervacuum duxerit, ipse norit. quod Graeci sanxerunt, ne pars orationis aut sermo integer ullo verbi discidio interveniente seiungeretur, tamquam 'forte sub arguta consederat' tetrametrus; sequitur 'ilice Daphnis': hoc comma dimetrum epicum nuncuparunt. item 'o crudelis Alexi nihil mea', dehinc 'carmina curas'. unde intellegi datur bucolicum carmen seu metrum ex tetrametri et dimetri versus copulatione subsistere. *Atil. Fortunat. p. 292, 18:* bucolicus similiter ab heroo venit. herous, si quarto pede partem orationis finiat, bucolicum facit, ut 'ab Iove principium Musae, Iovis omnia plena'. Theocritus hanc metri legem custodivit, Virgilius contempsit. *Mar. Plot. p. 506, 14 sqq.*

48* *Mar. Vict. p. 73, 23:* hoc quoque — recurrentes contineat.

---

1 quae *Keilius* quia *A B* ς sociatae *Keilius* societate *A B* ς 3 *fortasse glossemate expulso scribendum erit* dic age, dic mihi, laeta Liburnica *e. q. s.:* bobu' liburnica *vel* bobus iberica *suadet Christius* 4 hoc quoque — non praetermiserim] *cf. supra p. 130*

e duobus dactylis et spondeo constabunt, quattuor pedes disyllabos, id est trochaeum iambum pyrrichium spondeum, per ordinem semper positos inveniri, si velis alias, quam hexametri heroi lex postulat, scandere, ut est apud Homerum Ζεὺς δὲ θεῶν ἀγορὴν ποιήσατο τερπικέραυνος et apud nostrum 'conciliumque vocat divum pater atque hominum rex' et 'incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus'; et appellatur quadrupes δυωδεκάσημος περίοδος, eo quod quattuor pedes temporum duodecim quasi per circuitum quendam recurrentes contineat.

49* Dactylicum hexametrum, quod aeolicum nominatur et est variati generis in initiis, spondio, 'inferretque deos Latio genus unde Latinum', trochaeo 'Nisus Aeolia chlamyda caput

---

49* *Fragm. Bob. de vers. p. 623, 20:* Dactylicum hexametrum — litora cervi. *Hephaest. p. 24, 8:* Τὰ δὲ Αἰολικὰ καλούμενα τὸν μὲν πρῶτον ἔχει πόδα πάντως ἕνα τῶν δισυλλάβων ἀδιάφορον, ἤτοι σπονδεῖον, ἢ ἴαμβον, ἢ τροχαῖον, ἢ πυρρίχιον· τοὺς δὲ ἐν μέσῳ δακτύλους πάντας· τὸν δὲ τελευταῖον πρὸς τὴν ἀπόθεσιν δάκτυλον μέν, ἢ κρητικὸν διὰ τὸ τῆς τελευταίας ἀδιάφορον, ἐὰν ἀκατάληκτον ᾖ, ἐὰν δὲ καταληκτικόν, καί τὰ ἀπὸ τούτου μεμειωμένα εἰς δισύλλαβον καὶ συλλαβήν. Τὸ μὲν οὖν Αἰολικὸν ἔπος τὸ καταληκτικὸν τοιοῦτόν ἐστι· 'κέλομαί τινα τὸν χαρίεντα Μένωνα καλέσσαι, | εἰ χρὴ συμποσίας ἐπ' ὄνασιν ἐμοὶ γεγενῆσθαι'. *Schol. Hephaest. p. 163, 11. 165, 11. Mar. Vict. p. 110, 34:* hoc quoque ex eodem pentametri versus genere profluit, quod aeolicon seu sapphicon metron nominant, a Sappho, vate doctissima, inventum. huius primae in versu duae syllabae indifferenter nunc longae, nunc breves, nunc dispares solent poni, id est quilibet pes e disyllabis quattuor. subiectis per ordinem usque ad finem versus quattuor dactylis, tamquam 'Maro me docuit iuga Pieridum sequi', item 'cordi laurea virginitas mihi cum foret'; nisi si catalecticus versus emerserit, scilicet [et] ut disyllabo ultimo quam dactylo terminetur. hoc quoque cognatum aeolico generi metrum esse in dubium non venit, quod primo spondeo et dactylis quattuor subsistit, nisi quod huic interdum ultimus creticus est, ut 'at Pleias venit (adplenius uenit *AB* aurae uis uenit ς) Alpibus aeria nive', cui ad implendum hexametrum spondeus deest. *Mar. Plot. p. 511, 22:* huic metro, id est simmio, metrum

---

1 e *om. A, add. a Val.* 3 semper positos ς semper potius *AB* 5 ΖΕΙϹ *A: Hom. Il. Θ 2* 6 conciliumque] *Verg. Aen. X 2* divum ς dium *AB* incipe] *Verg. bucol. 8, 21* 8 ΔΥΟΔΕΚⲀϹΗΜΟϹ *AB* 9 quasi] quibus *B* 11 *de cod. vide adnot. ad fr. 37** aeolicum *v* alcaicum *B* 12 'generis *in cod. lineola subducitur' editor Vindobonensis:* variatis initiis *coniecit Keilius* spondio *v* spondion *B* inferretque] *Verg. Aen. I 6* 13 chlamyda *Keilius* chlamyde *B*

integit alte', iambo 'ama populeas medium super aethera frondes', pyrrichio, 'quasi me celeres fugiunt prope litora cervi'.

Est ergo exemplum huiusce versus tale, 'invida formo- 50*
sas oderat illa boves', qui versus heroo subiungitur sic,

Pasiphae niveo gaudebat adultera tauro,
invida formosas oderat illa boves.

---

aeolicum dactylicum sapphicum contrarium est. nam incipiens a pede disyllabo desinit in dactylos quattuor, sicut exemplis docebimus. De metro aeolico sapphico pentametro dactylico. metrum aeolicum sapphicum pentametrum constat, sicut dixi, primo pede disyllabo quolibet, ceteris quattuor dactylis. unde primus pes eius quattuor schemata habet, sic uti simmii metri pes novissimus, quod exemplis latinis quidem quattuor docebimus: nam graecum unum repperi. graecum exemplum hoc est, ἠράμαν μὲν ἐγὼ cέθεν, Ἄτθι, πάλαι πόκα. latina exempla haec sunt: spondeus, quattuor dactyli, ut est 'o regina novam cui condere Iuppiter'; pariambus [id est pyrrichius], dactyli quattuor, ut est 'erat Hectoreus tumulus rapidum prope'; trochaeus, quattuor dactyli, ut est '† cere magna deum genetrix Phrygiam regit'. *Mall. Theod. p. 590, 17.*

50* *Fragm. Bob. de vers. p. 624, 3:* Elegeum autem est, quod alternatim habeat heroum et pentametrum versum. elegeum metrum constat dactylo et spondio, ita tamen, ut prima pars [in sequenti versu caesurae] indifferenter utrumque pedem recipiat, altera vero non nisi dactylum. porro autem utraque constare debebit duobus pedibus et dimidio, id est syllaba, unde et penthemimeres a quibusdam nominatur, quandoquidem sit penthemimeres pars caesi versus, qui duos pedes et dimidium habeat, quasi τῶν πέντε ἥμιcυ, ut est 'conticuere omnes'. quidam tamen volunt elegeum hoc modo dividi, ut post duos illos pedes indifferenter positos habeat spondium, adiuncta scilicet syllaba, quae de prima parte remanserat, ad posteriorum pedum initialem syllabam, et praeterea anapaestos duos. e s t e r g o — a u c t o r e s t. *Heliod. schol. Aristoph. pac. 1191 p. 8 ed. Thiem.:* ἐλεγεῖον Ἀρχιλόχου. *Arist. Quintil. p. 51 ed. Meib. Hephaest. p. 52, 12. Schol. Hephaest. p. 171, 28 sqq. Diom. p. 484, 17 sqq. 502, 30 sqq. Atil. Fortunat. p. 291, 6:* et primo quidem de pentametro epodico dicam, ut ad initia redeamus (nam et hic a dactylico nascitur), cuius divisio duplex traditur. nam prima eius parte duo pedes ex dactylico, dactylus et spondeus, sed varie commutatis vicibus inveniuntur; tertius spondeus, ita ut prima eius syllaba hemistichium et partem orationis finiat, sequens hemistichium sequens et partem orationis incipiat. deinde mutat dactylicam condicionem et transit in anapaesticam: nam iam residui erunt duo anapaesti. aut sic, ut media caesura duo penthemimere dividat, in primo varie positis pedibus, ut dixi; in secundo semper duo dactyli erunt. dictum penthemimeres quasi τῶν πέντε τὸ ἥμιcυ. habet enim prima pars duos pedes et syllabam partem orationis finientem, secunda item similiter divisa: prima sic, 'hei mihi cum domino', secunda 'non licet ire tuo'. hic et

---

1 alte *Keilius* alta *B* 4 huiusce versus tale *Keilius* huiusque uetustate *B* formonsas *B* 6 passife *B: Ovid. art. am. I 295* 7 formonsas *B*

Elegeum autem dici traditum est, quod eo carmine nostri maiores defunctos suos lamentasse dicuntur, unde et elegeum nominatum est, velut ab elegis. Huic et Archilochus auctor est.

51* Est et hoc carmen dactylicum, quod ex dactylico penthe-

---

elegus vocatur, quando per vices heroo subiungitur nec seorsum ac solitarium carmen facere potest. subiungitur autem sic, 'Pasiphae niveo gaudebat adultera tauro, invida formosas oderat illa boves'. *Cf. supra fr. 23*. Mar. Vict. p. 109, 29:* in scandendo autem pentametro non nulli dissentiunt. quidam enim eum in duo dividunt cola et percussis utriusque partis binis pedibus semipedes, qui supersunt, coniungunt et ex his spondeum quintum versui adnectunt, tamquam 'nil mihi rescribas attinet ipse veni', sic 'nil mihi rescri attinet ipse veni bas'. hoc eo studio, ne anapaestum pedem, quem hexameter herous excludit, pentametro miscerent. alii vero spondeo tertium locum ut proprium defendunt, qui ex semipede superioris clausulae et prima longa incipientis dactyli ei adnexa gignitur: supererunt residuae breves dactyli duae, his adiuncta longa efficiet anapaestum quarto loco: supersunt tres syllabae. quarum duae breves, utpote supremae dactyli; his copulata finalis tertia pedem anapaestum complebit, nec interest, brevis an longa sit, utpote in ultimo constituta. huius exemplum 'ne tu Pieridum deseris Aoniam'. observabis autem ne novissima syllaba prioris coli, quae post duos pedes semipes residet, brevis sit, ne pro spondeo tertius iambus obrepat, qui huius legis rationem subruat; quamvis quidam, quod ex gemina tome videatur versus iste subsistere, non sint deterriti quin brevi syllaba prius colon concluderent adfirmantes nihil interesse, cuius modi in fine sit syllaba, idque ipsum iuris ac legis commata retinere voluerunt, quod in omni metro et in quocumque versu catholice praeceptum est. his subditis, ut dictum est, hexametris elegiacum metrum reddunt dictum ex eo, quod maerori rebusque tristibus modus eorum aptior esse videatur, ἀπὸ τοῦ ἐλεεῖν. alii vero παρὰ τὸ εὖ λέγειν elegos dictos arbitrantur. *Ibid. p. 65, 6:* geminata autem penthemimeres tome versum pentametrum complet, at 'quam Iuno fertur, quam Iuno fertur'. *Ibid. p. 105, 14:* duo dactylica si coniungas penthemimere, fit elegium tale 'lactea sanguineis lilia mixta rosis'. *Ibid. p. 107, 10:* quod metrum invenisse fertur Callinous Ephesius. alii vero Archilochum eius auctorem tradiderunt, quidam Colophonium quendam, super quorum opinione apud grammaticos magna dissensio est. is autem versus a duodecim syllabis in quattuordecim crescit *e. q. s. Ibid. p. 142, 19. 145, 18. Mar. Plot. p. 509, 31. Ibid. p. 512, 10.*

51* *Fragm. Bob. de vers. p. 623, 29:* Est et hoc — ita iuga. proceleumaticus autem pes est, qui a duobus pyrrichiis, id est quattuor brevibus, constat. *Mar. Vict. p. 122, 9:* item ex tribus dactylis accedente ad extimam clausulam pyrrichio seu iambo lyrici versus metrum, quod Graeci calabrion appellant, informabitur usurpatum a pastoribus Calabris, qui decantare res rusticas his versibus solent. quod genus metri Annianus faliscum carmen inscribit, tamquam 'carmina per varios dare modos', ut est illud apud Septimium Serenum, 'quando flagella ligas, ita liga, | vitis et ulmus uti simul eant'. ferme omnes dactyli

---

1 aelegaeum *B* 2 aelegeum *B* 3 ab aelegis *B*
4 ex dactylico penthemimeri *Keilius* ex dactylo pentemimeri *B*

-mimeri et proceleumatico pede compositum est, 'si qua flagella iugas, ita iuga'.

Anapaesticum metrum originem trahere a rhythmo dacty- 52* lico in dubium non venit, cum isdem temporibus uterque eorum syllabisque subsistat: unde a quibusdam antidactylus dicitur, siquidem dactylus e longa et duabus brevibus, anapaestus e duabus brevibus et longa digesti situ ordinis tantum discrepare videantur.

Recipit autem id metrum pedes quattuor spatio tempo- 53*

---

sunt ultimo disyllabo accedente quolibet excepto spondeo. quod genus et ex penthemimere tome formari poterit, ita ut duobus dactylis et semipede partem orationis implentibus residua metri portio duobus disyllabis, id est pyrrichio et iambo, terminetur, ut 'vitis et ulmus uti simul eant'. *Serv. in Verg. Aen. IV 291:* sane quando, do brevis est naturaliter: sic Serenus, 'Quando flagella ligas, ita liga'. *Cf. quae supra disputavimus p. 8 sqq.*

52* *Mar. Vict. p. 74, 35:* Anapaesticum metrum — discrepare videantur; dehinc quod detracta per epiplocen heroo dactylico prima longa reliqui pedes in anapaestum reformentur in eo dumtaxat versu, qui quinque continuis per ordinem dactylis currit, ut 'at tuba terribilem sonitum procul aere canoro'. detracta enim at syllaba, qua primus in versu dactylus constat, erunt reliqui pedes anapaesti sic, 'tuba terribilem sonitum procul aere canoro'. *Schol. Hephaest. p. 162, 13 ed. Westph.:* Δακτυλικὸν μὲν οὖν τὸ γένος ὠνόμασται καὶ τὸ ἀναπαιστικόν· πάντα γὰρ τὸν ἐν ἴσῳ λόγον δακτυλικὸν καλοῦσιν οἱ ῥυθμικοί *e. q. s. Ibid. p. 173, 11:* γένεσις δὲ αὐτοῦ (*scil.* τοῦ ἀναπαιστικοῦ) τὸ δακτυλικόν. *Cf. supra fr. 11* p. 180, 1. fr. 12* p. 182, 13. fr. 13*A p. 190, 10. Mar. Vict. p. 70, 30. Ibid. p. 122, 27:* sed et anapaestica metra per epiplocen, de qua supra diximus, ex heroo originem trahere haud difficile est deprehendere. nam si hexametro versui, cui in supremo spondeus seu trochaeus sit, ceteri omnes dactyli, primam detrahas syllabam, erit anapaesticus catalecticus, tamquam 'at tuba terribilem sonitum procul aere recurvo'. sublata enim 'at' coniunctione, quae prima in versu positione longa est, ultima singularis erit syllaba vo initiali, ut vides, dempta, quae in principio dactylum, in ultimo spondeum facit. erit ergo anapaesticus versus talis, 'tuba terribilem sonitum procul aere recurvo'. *Ibid. p. 126, 5. Atil. Fortunat. p. 285, 15:* dactylico contrarium est anapaesticum metrum.

53* *Mar. Vict. p. 75, 10:* Recipit autem — in quacumque

---

1 siqua flagei iugasit iuga *B versum correxit ed. Vind. e Terentian. v. 2001* siqua flagella iugabis, ante putare decet *Iuba apud Prisc. de metr. Ter. p. 421, 5* 3 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** 5 unde] *fortasse* unde et antidactylas *A* ἀντιδάκτυλος ς *B* 6 duobus *priore loco A, posteriore B* 9 id metrum *B Val.* ς $\overset{\text{id}}{\text{hoc}}$ metrum *A*

rum pares, syllabarum numero dispares, spondeum, qui est anapaesti collectio, dactylum, proceleumaticum et eundem anapaestum in quacumque sede.

54* Et iambus in clausula invenitur, et appellatur archebulium. At si trisyllabo pede sui dumtaxat generis terminetur, adaeque archebulion, sed integrum: nam prius, in quo iambus, ἀπόκροτον dicitur. Volunt enim sicut dactylicum trochaeo ultimo, ita anapaestum non numquam iambo concludi, siquidem dactylus ut trochaeus a longa incipiat, anapaestus autem ut iambus in longam desinat, quo fit sonorus.

55* Hoc loco dicam cur, cum sint duae periodi seu stasima ut quidam vocant pari inter se coniugatione copulata, alterum

---

sede. nam cum omnes numero temporum quattuor comprehendantur, tamen divisione longarum vel coniunctione brevium, cum longae in breves dividuntur vel contra breves in longas colliguntur, inter se variantur, et cum diversis vocabulis nuncupentur, eiusdem fere generis existunt. non nulli in ultima huius sede ionicum minorem recipiunt ea ratione, qua in fine metrum omne varie claudatur; dehinc quod etiam ab auctoribus studio novitatis quaedam adiciantur et detrahantur contra, quam ratio veteris disciplinae permittit. quod et in ceteris metris datur agnoscere. *Schol. Hephaest. p. 175, 1 ed. Westph.:* Δέχεται δὲ δ′ (δ′ *libri om.*) πόδας· αὐτὸν τὸν ἀνάπαιστον, ἀφ' οὗ καὶ τὸ μέτρον ὠνόμασται, σπονδεῖον, ὅτι συναίρεσις τοῦ ἀναπαίστου, προκελευσματικὸν δέ, ὅτι λύσις τῆς ἐσχάτης μακρᾶς εἰς δύο βραχείας, τὸν δὲ δάκτυλον, ὅτι τετράσημος. *Diom. p. 504, 36. Fragm. Bob. p. 624, 23:* anapaesticum metrum constat anapaesto et spondio indifferenter et solutione anapaesti, proceleumatico pede et dactylo. *Atil. Fortunat. p. 285, 19:* recipit pedes, suum, scilicet anapaestum, dactylum et spondeum, raro et proceleumaticum: hos omnes omnibus in locis. *Mar. Plot. p. 531, 21:* anapaesticum metrum pedes recipit quattuor, anapaestum spondeum dactylum proceleumaticum. *Mall. Theod. 596, 2. Cf. quae supra disserui p. 47.*

54* *Mar. Vict. p. 75, 20:* nam et iambus — fit sonorus. *Schol. Hephaest. p. 177, 19:* ἐπεὶ καὶ χαίρει τῷ ἰάμβῳ ὁ ἀνάπαιστος, ὡς ἀπὸ βραχείας ἀρχομένῳ, ὥσπερ ὁ δάκτυλος τῷ τροχαίῳ διὰ τὴν μακράν. *Cf. Mar. Plot. p. 533, 14.*

55* *Mar. Vict. p. 76, 28:* Hoc loco — vestem ocius. *Caes. Bass. p. 267, 17:* constat enim (*sc.* clausula 'terruit urbem') ex dactylo

---

8 *fortasse* anapaesticum 10 anapaestum autem *B* in longam *addidi, om. A B* ς *verba* quo fit sonorus *secluserim* 12 periodi seu stasima] periodi seu systemata (*vel* συστήματα) *conieci p. 50*

vocetur anapaesticon, alterum dactylicon, cum aeque in utraque cadant mixti dactylus et anapaestus. Causa talis, quod anapaesticum melos binis pedibus amat sensum includere, ut apud Accium

inclyte, parva praedite patria,
nomine celebri claroque potens
pectore, Achivis classibus auctor.

Quae periodos circa sex versatur dipodias. Contra Pacuvius novare propositum volens noluit intra binos pedes, ut superius, finire sensum, sed secundum Euripidem dactylicum metrum, quod appellatur, induxit, ut nominis mutatio diversitatem daret, huius modi stasimo seu periodo usus,

agite ite, evolvite, rapite, coma
tractate per aspera saxa et humum,
scindite vestem ocius.

Cui etiam id quod ex omnibus proceleumaticis constat, 56*

---

et spondeo. quae clausulae et per se repetitae et inter se iunctae anapaesticon metron efficiunt sic 'terruit urbem terruit urbem | terruit urbem primus ab oris | inclyte parva praedite patria | nomine celebri claroque potens'. *Charisius p. 290, 1.*

56* *Mar. Vict. p. 78, 4:* Cui (*scil.* metro anapaestico) etiam — homine sonat. *Ibid. p. 52, 23:* is (*sc.* proceleumaticus) anapaestico plerumque subditus caret auctoritate. *Atil. Fortunat. p. 283, 18. Mar. Plot. p. 500, 20:* anapaestico metro proceleumaticum additur *e. q. s. Hephaest. p. 28, 24 ed. Westph.:* Τῷ δὲ ἀναπαιϲτικῷ (*sc.* μέτρῳ) ὑποϲτέλλοιτο ἂν καὶ τὸ προκελευϲματικὸν ὑπ' ἐνίων καλούμενον, οἷον τὸ τετράμετρον τοῦτο τὸ Ἀριϲτοφάνειον, 'τίϲ ὄρεα βαθύκομα τάδ' ἐπέϲυτο βροτῶν', γίνεται γάρ, ἑκάϲτου τῶν πρώτων τριῶν ποδῶν ἀναπαίϲτων λελυμένου εἰϲ τὸν προκελευϲματικόν, δίμετρον ἀκατάληκτον ἀναπαιϲτικόν. Τινὲϲ δὲ αὐτὸ κατὰ πόδα διαιροῦντεϲ πυρριχαϊκὸν καλοῦϲι· τοῖϲ δὲ χαριεϲτέροιϲ δοκεῖ ἀναπαιϲτικὸν εἶναι, ἀντὶ ἑκάϲτου ἀναπαίϲτου προκελευϲματικοῦ παραλαμβανομένου ἐπὶ τῶν ἄλλων χωρῶν, ἐπὶ δὲ τῆϲ τελευταίαϲ φυλαττομένου αὐτοῦ

---

4 apud Accium] ut Accius Ulixen laudavit in Philocteta suo in eius tragoediae principio *Apuleius de deo Socr. c. 24: cf. Ribbeckius Trag. Rom. fragm. p. 203 ed. sec.* 5 prodite patria *editores Apuleii* praedite forma *Bergkius* 8 uersatur ς *B* uarsatur *A* 12 stasimo] *fort.* systemate 13 agite ite] ite agite *Keilius* euoluite *Kiesslingius* uoluite *A B* ς 15 scindite ς scandite *A B* Ite agite eam vellite rapite coma, Tractate per aspera saxa et humum, Discindite vestes ocius nunc *dubitanter coniecit Keilius*

quoniam uniformitas omnium brevium metrum facere non sufficit, adscribetur, ut est 'nemus ave reticuit, ager homine sonat'.

57* Percutitur vero versus anapaesticus praecipue per dipodian, interdum et per singulos pedes.

58* Scio quaesitum, cur dactylicum singulis pedibus, anapaesticum per syzygian scandatur, cum inter se omnifariam congruant. Persuasum est nullum metrum hexametro posse esse maius; igitur cum anapaesticus versus et septem et octo pedum reperiatur, placuisse maioribus eum per syzygias caedi, non alias quam si dactylicus supergrederetur hexametrum, utique per syzygias scanderetur.

59* Exemplum erit tetrametri catalectici, quod est in ana-

καθαροῦ καὶ μὴ λελυμένου. *Cf. schol. Hephaest. p. 178, 18. Mar. Vict. p. 53, 11. 99, 12. Atil. Fortunat. p. 290, 24:* 'ave nemora silent'. *Cf. Mar. Plot. p. 452, 21 sqq. 532, 16. 20. 546, 2.*

57* *Mar. Vict. p. 75, 26:* Percutitur vero — singulos pedes. est autem percussio cuiuslibet metri in pedes divisio. *Aristid. Quintil. p. 52 ed. Meib.:* Καὶ ὅτε μέν ἐστιν ἁπλοῦν καθ' ἕνα πόδα γίνεται· ὅτε δὲ σύνθετον, δι' ἣν προείπομεν αἰτίαν, κατὰ συζυγίαν ἢ διποδίαν. *Cf. C. Thiemannus in Heliod. colom. Aristoph. p. 112. 'Heliod. Unters.' p. 111 sq.*

58* *Mar. Vict. p. 76, 22:* Scio quaesitum — per syzygias scanderetur. *Schol. Hephaest. p. 174, 13 ed. Westph.:* Ζητήσειε δ' ἄν τις τί δήποτε τὸ μὲν δακτυλικὸν βαίνεται κατὰ πόδα, τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν οὔ. Εἴρηται δέ, ὅτι τὸ δακτυλικὸν διὰ τὴν ἐν αὐτῷ ἰσότητα βαίνεται κατὰ πόδα, τὸ δ'αὐτὸ δ' ἄν τις εὕροι καὶ ἐν τῷ ἀναπαιστικῷ· καὶ γὰρ ἐν αὐτῷ πάντας ἄν τις εὕροι τετρασήμους ὄντας. Φαμὲν οὖν, ὅτι οὐδὲν μέτρον ἐστὶν ὑπὲρ τὸ ἑξάμετρον. Ἐπεὶ τοίνυν τὸ ἀναπαιστικὸν εὕρηται πολλάκις καὶ ἐξ ἑπτὰ καὶ ὀκτὼ ἁπλῶν συγκείμενον, ἐδέησεν ἡμᾶς αὐτὸ βῆναι κατὰ διποδίαν, ἵνα τὸ ἐξ ὀκτὼ ποδῶν τετράμετρον ἀλλὰ μὴ ὀκτάμετρον προσαγορεύηται. Ὅτι δὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει, δῆλον· ἐὰν γὰρ ὑπερβῇ τὸ δακτυλικὸν τὸ ἑξάμετρον, κἀκεῖνο βαίνεται κατὰ διποδίαν· ἐὰν μέντοι ἐντὸς ᾖ τοῦ ἑξαμέτρου, τὴν ἐξουσίαν ἔχει βαίνεσθαι κατὰ μονοποδίαν. *Cf. supra fr. 18*.*

59* *Mar. Vict. p. 75, 28:* Exemplum erit — litora caedit.

---

1 quoniam *Keilius* qnm̄ *B* qn̄ *A* quando ς 2 nemus] *Septimio Sereno tribuit versum Wernsdorfius Poet. lat. min. t. II p. 290, quem secutus est L. Muellerus post Namatian. p. 47* homine ς hominē *A B* 3 sonat] silet *Mar. Vict. p. 53, 11: cf. Atil. Fortunat. p. 290, 24* 11 non alias quam dactylicus, si supergredietur hexametrum, utique per syzygias scandetur *coniecit Keilius* dactylicus *Westphalius Metr. t. II p. 142 n. ed. sec.* dactylus *A B* ς

paesticis nobilis ille versus, 'alius cithara sonituque potens volucres pecudesque movere', item 'admota labris tuba terribilem sonitum dedit aere canoro'. Quod genus frequens est apud Aristophanen: unde et aristophanion vocatur, non quia conditor eius idem fuit (nam et Aeschylus et Cratinus et alii priores usi sunt eo), verum quia plurimus in hoc metro Aristophanes est[, ut 'mare non amo, quod, modo cum placido stetit aequore, litora caedit'].

Purum vero anapaesticum tale est, 'nitet aurea purpureae 60*
Veneris coma roscida, lactea cervix'.

Erit ergo exemplum pentametri acatalecti 'celebret Phoe- 61*
bus cithara superos omnipotentes resonetque melos Musis

Hephaest. p. 26, 8 ed. Westph.: Ἐπισημότατον δὲ ἐν αὐτῷ ἐστὶ τὸ τετράμετρον καταληκτικὸν εἰς συλλαβὴν τὸ καλούμενον Ἀριστοφάνειον, 'Ὅτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων ἤνθουν, καὶ σωφροσύνη νενόμιστο'. κέκληται δὲ Ἀριστοφάνειον, οὐκ Ἀριστοφάνους αὐτὸ εὑρόντος πρώτου, ἐπεὶ καὶ παρὰ Κρατίνῳ ἐστί· 'χαίρετε δαίμονες οἱ Λεβάδειαν Βοιώτιον οὖθαρ ἀρούρης'. ἀλλὰ διὰ τὸ τὸν Ἀριστοφάνην πολλῷ αὐτῷ κεχρῆσθαι. Καὶ πρὸ Κρατίνου παρ' Ἐπιχάρμῳ, ὃς καὶ ὅλα δύο δράματα τούτῳ τῷ μέτρῳ γέγραφε, τούς τε Χορεύοντας καὶ τὸν Ἐπινίκιον. Ἀριστόξενος δὲ ὁ Σελινούντιος Ἐπιχάρμου πρεσβύτερος ἐγένετο ποιητής, οὗ καὶ αὐτὸς Ἐπίχαρμος μνημονεύει ἐν Λόγῳ καὶ Λογίνᾳ, 'οἱ τοὺς ἰάμβους καττὸν ἀρχαῖον τρόπον, | ὃν πρᾶτος εἰσηγήσαθ' Ὡριστόξενος'. καὶ τούτου τοίνυν τοῦ Ἀριστοξένου μνημονεύεταί τινα τούτῳ τῷ μέτρῳ γεγραμμένα· 'τίς ἀλαζονίαν πλείσταν παρέχει τῶν ἀνθρώπων; τοὶ μάντεις'. *Schol. Hephaest. p. 178, 14. [Censorin.] fragm. de metr. p. 614, 2. Ibid. p. 617, 2. Mar. Vict. p. 124, 8:* accedit his etiam illa anapaesticorum species de fonte dactylici versus veniens apta admodum comicis, quae aristophanios nuncupata est, non quia conditor eius Aristophanes fuit (nam et Aeschylus et Cratinus, priscae comoediae scriptor, ea usi sunt), sed quia plurimus in hoc metro Aristophanes invenitur. *Ibid. p. 124, 19:* anapaesticus constat anapaestis septem et semipede, qui est octonarius, velut 'alius cithara sonituque potens volucres pecudesque movere'. *Ibid. p. 125, 15:* item 'admota labris tuba terribilem sonitum dedit aere canoro'. *Ibid. p. 125, 18. Mall. Theod. p. 596, 20. Serv. centim. p. 462, 27.*

60* *Mar. Vict. p. 78, 2:* Purum vero — lactea cervix, quod est tetrametrum catalecticum. *Cf. Mar. Plot. p. 532, 25.*

61* *Mar. Vict. p. 76, 4:* Erit ergo — mihi Melpomene. *Fragm. Bob. p. 624, 27:* dimetrum brachycatalectum, 'super ardua fertur equis'.

---

4 non] nam *B* 5 aeschylus *A* ς ęsclylus *B* Eupolis *Gaisfordius: idem tamen error Victorini legitur p. 124, 10* 6 plurimus ς *B* plurim) *A* plurimū *Val.* 7 *v.* ut 'mare — caedit' *ex margine inlata esse vidit Christius* 11 pentametri acatalecti ς tetrametri acatalectici *A B* celebret ut phoebus *A B:* ut *om.* ς 12 superos *B a Val.* ς superas *A*

placitum', tetrametrus autem 'celebret Phoebus cithara superos omnipotentes resonetque melos', trimetrus vero 'celebret Phoebus cithara superos omnipotentes', dimetrus autem 'celebret Phoebus cithara superos'. Tres autem pedes seu tripodia, ut Graeci dicunt, dimetrum brachycatalectum faciunt ita, 'super ardua fertur equis'. Placet nunc eodem ordine, quo pentametrum per metra singula detractione pedum ad dimetrum deduximus, susum versus rursum dimetrum pari lege ad pentametrum perducere, velut 'lyrico resonet mea Musa potens'. * melo nova carmina pangere gestio'* 'adsis age, deprecor, o mihi Melpomene'.

62* Monometrum acatalectum, 'lux alma deum'.

63* 'Quamvis ego per montes alacer properarem'.

Atil. Fortunat. p. 285, 21: dimetrum brachycatalectum 'similes nobis volumus', dimetrum acatalectum 'similes nobis volumus pueros'. item, si adicias 'edere', facies trimetrum brachycatalectum, 'similes nobis volumus pueros edere'; et fiet sic acatalectum, 'similes nobis volumus pueros edere matres'. tetrameter plenus erit, si addas 'tu quoque perge'. hic quoque similiter tetrameter acatalectus est, 'operas vobis dedimus, domini, reddite nobis debita similes'. *Cf. quae supra monui p. 152.*

62* *Fragm. Bob. p. 624, 25:* Monometrum — deum. *Mar. Vict. p. 78, 13:* erit ergo monometrum anapaesticum, id est suprema longa deficiente, tale, 'propero pede'.

63* *Mar. Vict. p. 77, 14:* apud Alcmanem, disciplinae huius antiquum auctorem, reperitur trimetrum catalecticum in syllabam, cui si una longa praeponatur syllaba, fiet heroum, quod est tale, 'quamvis — properarem'; heroum fit (fit *libr. om.*) ita, 'sed quamvis ego per montes alacer properarem'. *Serv. centim. p. 462, 18. Cf. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 265.*

---

1 placitum *B a Val.* ς placidus *A* tetrametrus ς *B* tetrametros *A* 2 omnipotentis *A* trimetrus ς *B* trimetros *A* 3 omnipotentis *A B* ς dimetrus ς *B* dimetros *A* 4 seu *addidi, om. A B* ς vel *Keilius* 7 quo pentametrum ς quo pentametro *A B* detractione ς detractatione *A B* 9 *locum mutilatum ita refingere studuit Camerarius:* lyrico resonet mea Musa potens. trimeter, Delo noua carmina pangere gestio dulcisona. tetrameter, assis age deprecor o mihi Melpomene fer opem scribere nescio. pentameter, lyrico resonet mea Musa potens Delo noua carmina pangere gestio dulcisona*: cf. Keilius ad Mar. Vict. l. s. s.*

'Superat montes pater Idaeos nemorumque'. 64*

Anapaestici autem versus, qui ex spondeo et anapaesto 65* et dactylo et rursum spondeo et anapaesto et syllaba componuntur, sunt quidem proceritatis trimetrae catalecticae, ut 'Pan Maenalio carmine nymphas properantes'. Verum hic versus concurrit ionico maiori et par ei est, qui sotadius dicitur, ut est ille, 'rumpunt teneras uviferae comas lagei'.

Ab hoc metri genere distat versus, qui prosodiacus no- 66* minatur † emanum, quod in principio non anapaestum, sed iambum pedem aut spondium accipiat et duobus sequentibus

---

64* *Mar. Vict. p. 77, 20:* cuius mensurae (*sc.* trimetri catalectici in syllabam) est hoc quoque metrum, quod messeniacum appellatur, et est, ut superius, trimetrum catalecticum in syllabam; verum eo distat, quod anapaestis praecedentibus et spondeis sequentibus habet factas coniugationes et postremam syllabam brevem. idem et embaterion dicitur, quod est proprium carmen Lacedaemoniorum. id in proeliis ad incentivum virium per tibias canunt incedentes ad pedem ante ipsum pugnae initium, quod est tale, 'superat — nemorumque'. *Cf. Westphalius Metr. t. II p. 406 ed. sec. Christius 'Metr. d Gr. u. R.' p. 265.*

65* *Mar. Vict. p. 77, 27:* Anapaestici autem — comas lagei.

66* *Fragm. Bob. p. 625, 1:* Ab hoc — cantu*. *Heliod. colom. Aristoph. pac. 776 (p. 5 ed. Thiem.):* περίοδος προcοδιακὴ ἑνδεκάcημοc. *Ibid. equit. 1270 (p. 14 ed. Thiem.):* προcοδιακὸν δωδεκάcημον. *Hephaest. p. 48, 8:* Καὶ μέντοι καὶ τοὺc cπονδείουc παρῃτήcαντο τοὺc ἐν τῷ μέcῳ οἱ μετὰ τὸν Ἀρχίλοχον, οὐχ ὡc ἀναπαιcτικὸν ἡγουμενοι, ἀλλὰ προcοδιακόν, τὸ ἐξ ἰωνικῆc καὶ χοριαμβικῆc, τῆc ἰωνικῆc καὶ βραχεῖαν τὴν πρώτην δεχομένηc. Δύναται δὲ καὶ εἰc τρίπουν ἀναπαιcτικὸν (εἰc τρίτον ἀνάπαιcτον *libr.: cf. 'Heliod. Unters.' p. 112*) διαιρεῖcθαι, εἰ ἀπὸ cπονδείου ἄρχοιτο, οἷον τὸ Cαπφοῦc 'αὐτὰ δὲ cὺ Καλλιόπα', τοῦ προcοδιακοῦ ὂν καὶ τοῦτο εἶδοc, τὸ ἐξ ἰωνικοῦ καὶ χοριαμβικοῦ cυγκείμενον. Τὸ τοίνυν ἀναπαιcτικὸν εἴ τιc οὕτω διαιροῖτο, εὑρήcει τῷ προcοδιακῷ ἐφαρμόζον. Ἐὰν μὲν γὰρ cπονδεῖον ἔχῃ τὸν πρῶτον, τοὺc δὲ ἑξῆc ἀναπαίcτουc, τὰc τοῦ δευτέρου ἀναπαίcτου δύο βραχείαc προcθεὶc τῷ cπονδείῳ ποιήcειc ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονοc, ᾧ ἐφεξῆc χορίαμβοc. *Cf. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 234.*

---

4 ut *addidi, om. A B* ς 6 concurrit] currit *A B* ς par ei est *Gaisfordius* paneis est *A* panęis est *B* par eis est ς *fortasse* parilis ei est sotadius *B* ς sotadios *A* dicitur, ut est ille *L. Muellerus et Keilius* dicitur et est illae *A* ς dicitur et est iliae *B* 7 rumpunt] *Septimio Sereno versum tribuerunt Wernsdorfius Poet. lat. min. t. II p. 291 et L. Muellerus post Namatian. p. 49* 8 *de codic. vide adnot. ad fr. 37** prosodiacus *v* prosodatus *B* 9 emanum *B* et est varius *Keilius conl. fragm. Bob. p. 623, 20. Malim* et est alienus *vel* et est alienum metrum

anapaestis terminetur, ut est iambo ‘quis inter aves melicas’, spondio ‘cantu *’.

67 Mensuram esse in fabulis [hoc est metron] Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum dicunt hi: Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Caesius Bassus, Terentianus, Caecilius Vindex, Cinna, Sisenna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenius, Asper,

---

67 *Rufin. de metr. com. p. 565, 1:* Mensuram esse — Donatus, Iuba. *Mar. Vict. p. 78, 19:* Et super hoc hactenus. quantum autem ad metrum comicum spectat, ut paululum evagemur, scio plurimos adfirmare Terentianas vel maxime fabulas metrum ac disciplinam graecarum comoediarum non custodisse, id est quas Menander Philemon Diphilus et ceteri ediderunt. nostri enim in modulandis metris seu rhythmis veteris comoediae scriptores sequi maluerunt, id est Eupolin Cratinum Aristophanen. prologos itaque et primarum scaenarum actus trimetris comprehenderunt, deinde longissimos, id est tetrametros, subdiderunt, qui appellantur quadrati. postea in consequentibus variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est semipede adiecto vel integro pede iambo vel sesquipede. haec per medios actus varie; rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scaena, locarunt. sed iidem quadrati legitimi, cum sedecim syllabis iuxta ius proprium constare debeant, plerumque inveniuntur viginti aut amplius syllabarum. hinc existimantur metrum non tenuisse nec sua lege composuisse. quod vero ad clausulas, id est minuscula cola, pertinet, quot genera versuum sunt, totidem eorum membra pro clausulis poni possunt et solent in canticis magis quam diverbiis, quae ex trimetro magis subsistunt, collocari, et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium. nam hi maxime ex omnibus membris versuum velut colis ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis. *Firmianus apud Rufin. p. 564, 7. Serv. de accent. p. 535 ed. Endl.:* Terentius rhythmis scribit comoedias vel Plautus. *Fragm. Parisin. de iamb. metr. p. 630, 8 sqq.*

---

2 spondiu cantur *(?) B* spondia cantus *legi in catal. cod. Vindob. p. 219 monuit Keilius, qui vidit a v.* cantu *novum exemplum incipere* 3 *A = codex Parisinus 7496*, *B = codex Parisinus 7501*, *b = corrector codicis B, R = codex Vaticanus bibliothecae Reginae Christinae 733, ς = lectio vulgata veterum editionum, Ven. = editio princeps a. 1470, Asc. = Ascensiana a. 1516, Ald. = Aldina a. 1527* 3 hoc est metron *eicienda esse vidit Osannus ‘Beitr. z. griech. u. roem. Litt.’ t. II p. 330* mensuram esse, hoc est μέτρον, in fabulis *e. q. s. B. ten Brinkius Iub. Maurus. rel. p. 26* 4 plauti ac ceterorum *B* 6 caecilius (cecilius *B*) uindex cinna sisenna *A B R Asc.* Caelius Sisenna *Ven.* Caecilius Vindex, Sisenna Cinna *Ald.* *Caesellium Vindicem dici adnotaverunt Osannus et Ritschelius Parerg. Plaut. Terent. t. I p. 360* 8 Helenius *Ritschelius* helenus *A B R ς*

Fl. Caper, Arruntius, Probus, Plinius, Euanthius, Sacerdos qui et Donatus, Iuba.

LIBER IV.

Iambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed 68
quinque suscipit pedes, id est iambum tribrachyn anapaestum dactylum et spondeum, hoc est iambum et spondeum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione tribrachyn (nam si sequentem longam syllabam in duas breves dividas, fiet de iambo tribrachys), spondei autem solutiones duas, dactylum et anapaestum. Nam si prior syllaba spondei solvatur

---

68 *Rufin. de metr. com. p. 562, 11:* In alio loco sic (*sc.* Iuba in libro quarto): 'Iambicum metrum — eorum solutionibus'. *Aristid. Quintil. p. 53 ed. Meib. Fragm. Parisin. de iamb. metr. p. 630, 2:* recipit autem pedes quinque iambum, tribrachyn, spondium, dactylum, anapaestum. *Mar. Vict. p. 80, 1:* Igitur iambicum metrum ne propter angustam brevitatem sui pedis, videlicet in tria tempora coartati, verba plura excludendo minus apte aut metrum pangeret aut sensum exprimeret, placuit conditoribus adscito spondeo et qui ex eo per divisionem temporum gignuntur per dipodias id scandere. unde intellegi datur iambica metra ex iambo et spondeo et eorum solutione subsistere. nam ex iambo tribrachys, ex spondeo autem soluto dactylus et anapaestus creantur. *Atil. Fortunat. p. 286, 19:* sed iambus, ut ait Horatius, spondeum in partem recipit, qui pes omnia paene metra ornat atque disponit. item solutio longae in iambo tribrachum facit, alterutrius longae spondei aut dactylum aut anapaestum: utraque enim longa spondei in iambico metro non potest solvi. fiunt ergo hi universi pedes quinque. inveniuntur semper hi omnes incipientibus locis, id est sublationibus, quae loca imparia quidam vocant, in desinentibus vero, id est in depositionibus, quae loca paria appellant, non nisi qui a brevibus incipiunt. *Mar. Vict. p. 80, 17:* movit non-nullos iambico

---

1 fl. caper *A B R* Flauianus Caper ς Flauius Caper *Asc. Putschius* arruntius *A B R* Aruntius ς euanthius *A* euantius *B* eu^{n}atius *R* Sacerdos qui et Donatus *Asc. Ald. codex Vossianus 33.* 4 sacerdos qui et domatus *A B* sacerdos et donatus *R* Sacerdos quod etiam docuit Donatus *Ven.* Sacerdos, qui et Plotius, Donatus *Ritschelius: cf. ea quae Keilius ad h. l. adnotavit* 3 describitur *B* 6 ex iambo (*corr.* —bi) solutione *B* ex iambi solutionē *A* et iambi solutionem *R* 7 diuidas *A B* diuides *R* soluas ς

in duas breves, fiet anapaestus; si vero secunda, dactylus fiet. Unde intellegi datur iambica metra de iambo et spondeo fieri et de eorum solutionibus.

69 Iambicum metrum a monometro hypercatalecto usque in octametrum catalecticum Iuba teste procedit.

70 Ideo in secundo et quarto et sexto loco iambus non

---

metro trochaeum minime sociari. quippe cum tribus temporibus, ut idem iambus, constare videatur, posset quidem sub huius modi parilitate misceri. sed ne praecedente iambo subiunctus trochaeus antispastum pedem aut ionicum metrum efficeret, dempta ex iambo prima brevi, sequentibus dehinc per ordinem duabus longis totidemque brevibus, consequenter prospectum est, praesertim ne id rursus in trochaico interpositus iambus pari more faceret. nam aut choriambum aut ionicum ἀπὸ ἐλάccονοc praeeunte trochaeo subiunctus iambus dempta, ut supra, prima longa faceret. quod adaeque observatum est in dactylo et anapaesto, ne copulati proceleumaticum ex se medium gignerent. *Ibid. p. 132, 24. Cf. Westphalius Metr. t. II p. 448 ed. sec.*

69 *Fragm. Paris. de iamb. metr. p. 630, 2:* Iambicum metrum — teste procedit. *Serv. centim. p. 458, 5:* aristophanium constat monometro hypercatalecto, ut est hoc, 'valles per imas'. *Fragm. Paris. de iamb. metr. p. 631, 10:* crescunt a trimetris usque in octametros, id est faciunt versus de sedecim pedibus, ultra numquam, *e. q. s. Cf. infra fr. 80. Atil. Fortunat. p. 286, 26:* dimetron hypercatalecton [ut] 'valles per imas', dimetron brachycatalecton [ut] 'plenus cadus musti', dimetrum catalecticum 'aquae sonant liquentes', dimetrum acatalectum 'avete fontes caeruli', trimetrum acatalectum 'amare nolo nec dolere Clinia'. *Cf. Mar. Vict. p. 137, 11. 141, 21. 143, 29. 169, 32. 173, 4. Ibid. p. 166, 20. 172, 22. 178, 32. 179, 20. Ibid. p. 168, 33. 172, 11. 27. 177, 16. Atil. Fortunat. p. 294, 16. 299, 10. 302, 25.*

70 *Priscian. de metr. Ter. p. 420, 7:* Iuba: 'ideo in secundo — et sexto'. attende Iubam quoque scire inveniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus absque observatione ponitur, quos κακομέτρουc vocat. *Caes. Bassus apud Rufin. p. 555, 22:* Bassus ad Neronem de iambico sic dicit, 'Iambicus autem, cum pedes etiam dactylici generis adsumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris ut, cum pedem supplodes, iambum ferias; ideoque illa loca per-

---

1 fiet anapaestus ς fiat anapaestus *AB* fit anapestus *R* secunda *om. R* dactylus fiet *Keilius* dactilus fiat *A B R* fiet dactylus ς 2 unde et intellegi datur *A* 4 *P = codex Parisinus 7530, v = editio Vindobonensis* 5 catalecticum *Keilius* acatalectum *P* Iuba *v* iuua *P* 6 *R = codex Parisinus 7496, V = codex Leidensis Vossianus 12. 8, A = codex Parisinus 7501, a = eiusdem codicis manus secunda, B = codex Vaticanus bibliothecae Reginensis 1709,* ς *= editiones interpolatae.* iambus *Keilius Quaest. gramm. p. 17* iambos *R V A B*

recipit nisi a brevi incipientes, quia in his locis feriuntur per coniugationem pedes trimetrorum, et vult extrema pars pedum iambicorum celerior esse, quomodo et ipsi iambi. Accipere autem solet caesuras duas, quas et heroicum, id est semiquinariam et semiseptenariam. Erit autem probabilis iambicus versus et tragoediis aptus, si secundum et quartum pedem non alios feceris quam iambos aut eum qui appellatur tribrachus aut anapaestus, quoniam sunt pares; κακόμετρος autem, si aliter. Nam primus et tertius et quintus admittunt hanc permutationum pedis licentiam. Causa obscura multis est, sed aperiatur a nobis, nam quoniam ter feritur hic versus, necesse est, ubicumque ab ictu percussionis vacat, moram temporis adiecti non reformidet. In primo autem pede et tertio incipit et in quinto, feritur in secundo et quarto et sexto.

Sexto autem loco quidam volunt recipi pariambum ea 71*

---

cussionis non recipiunt alium quam iambum et ei parem tribrachyn, aut alterius exhibuerint metri speciem' *e. q. s.* *Hephaest. p. 17, 4:* Τὸ ἰαμβικὸν δέχεται κατὰ μὲν τὰς περιττὰς χώρας, τοῦτ᾽ ἔστι πρώτην τρίτην πέμπτην, ἴαμβον, τρίβραχυν, σπονδεῖον, δάκτυλον, ἀνάπαιστον· κατὰ δὲ τὰς ἀρτίους, τοῦτ᾽ ἔστι δευτέραν τετάρτην ἕκτην, ἴαμβον, τρίβραχυν, καὶ ἀνάπαιστον. *Fragm. Parisin. de iamb. metr. p. 630, 4:* sed locis inparibus, id est primo, tertio, quinto et deinceps, omnes quos diximus indifferenter suscipit pedes; locis vero paribus, id est secundo, quarto, sexto et deinceps, tantum tres, iambum, tribrachyn et anapaestum. *Mar. Vict. p. 80, 7:* recipit itaque iambicus versus in disparibus locis, quas Graeci περισσὰς χώρας vocant, id est primo tertio et quinto, cum est tragicus (*v.* cum est tragicus *secludenda videntur*), spondeum dactylum anapaestum; paribus autem, quas ἀρτίους χώρας dicunt, eos qui a brevi syllaba incipiunt, id est iambum tribrachyn anapaestum. *Cf. ibid. p. 132, 14. Atil. Fortunat. p. 286, 23. Mar. Plot. p. 518, 23.*

---

1 recepit *VB* quia i his *V* 2 pedes trimetrorum *Westphalius 'Die Fragm. u. d. Lehrs. d. gr. Rh.' p. 171 et Metr. t. I p. 650 ed. sec.* pedestri metrorum *RVA* pedestrem metrorum *Ba* pedestrium metrorum ς 4 duas *om. B* qua et *V* 7 quam iconbos *V* 8 tribachis *V* anapaestum *Lindemannus v.* aut anapaestus *secludi iubet Christius* 8 quoniam] quō *V* sunt ς sint *Ba* sit *RVA* κακόμετρος *Keilius* cacometros ς cacometres *RVAB* 10 permutationem *R* p̄mutationum *V* permutationis ς 13 uocat *B* non formidet *VB* 16 *de codicibus vide adnot. ad fr. 2** ea *Keilius* ex *AB* ς

contemplatione, qua herous in ultimo trochaeum. Lego praeterea in fine versus dumtaxat catalectici tetrametri bacchium a brevi incipientem vel amphibrachyn propter novissimae syllabae indifferentiam admisisse quosdam; in fine autem acatalecti omnino iambum seu tribrachyn, eius progeniem, iure constitui, qui adaeque in catalecticis secundam ab ultima sedem probabiliter obtinebunt.

72* Comici poetae laxius etiamnum versibus suis quam tragici spatium dederunt et illa quoque loca, quae proprie debentur iambo, dactylicis occupant pedibus * dum cotidianum

---

71* *Mar. Vict. p. 80, 11:* Sexto autem — probabiliter obtinebunt. *Ibid. p. 132, 21. Hephaest. p. 17, 10:* Ὅτε μὲν οὖν ἀκατάληκτόν ἐϲτιν, ἐπὶ τῆϲ τελευταίαϲ τὸν ἴαμβον δέχεται μόνον, ἢ τὸν πυρρίχιον διὰ τὴν ἀδιάφορον· ὅτε δὲ καταληκτικόν, τὸν ἴαμβον παραλήγοντα, ἢ ϲπανίωϲ τρίβραχυν, ὥϲτε γίνεϲθαι τὴν κατακλεῖδα ἤτοι ἀμφίβραχυν, ἢ βακχεῖον. *Diom. p. 504, 17. 507, 10.*

72* *Prisc. de metr. Terent. p. 420, 1:* Asmonius etiam idem confirmat his verbis: 'comici poetae — inesse videatur'. *Hephaest. p. 19, 15:* Εὑρίϲκεται δὲ παρὰ τοῖϲ κωμικοῖϲ ϲυνεχῶϲ ὁ ἀνάπαιϲτοϲ· τὸν γὰρ βίον οὗτοι μιμούμενοι θέλουϲι δοκεῖν διαλελυμένωϲ διαλέγεϲθαι, καὶ μὴ ἐμμέτρωϲ· ὁ δὲ ἀνάπαιϲτοϲ διαλελυμένην ποιεῖ τὴν φράϲιν διὰ τὸ τετράϲημον *(cf. Westphalius Metr. t. I p. 186 ed. sec.). Mar. Vict. p. 80, 30:* apud comicos laxius spatium versibus datum est. nam et illa loca, quae propria iambo debentur, spondeis occupant dactyloque et anapaesto locis adaeque disparibus utuntur et paribus. ita dum cotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant studio, non imperitia, quod frequentius apud nostros quam Graecos invenies. *Fragm. Paris. de iamb. metr. p. 630, 8:* sed latini comici, dum satis student communibus fabulis et gestiunt comoedias ad sermonem vitae vocare, corruperunt leges iambi. nam primum, secundo et quarto et sexto, id est paribus locis, non illis tribus tantum pedibus utuntur, sed omnibus quinque. nec illud etiam servant, ut vel quadam varietate in ipsis pedibus utantur, sed quoniam recipit, ut diximus, spondium, plerumque omnes spondios faciunt; quoniam anapaestum, plerumque omnes ana-

---

1 qua herous in ultimo trochaeum] *exspecto* qua et herous in ultimo admittat trochaeum 4 in finem *B* 5 eius] et eius *B* 6 constitui *Camerarius* constituti *A B* ς qui adaeque *Keilius* quique in *A* ς qui^{od}que in *B* 7 sedem *Keilius* sede *A B* ς 8 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 70* etiamnum *R Va* etiamnam *A* etiam unum *B* etiam in ς 9 spati *V* debentur *B* debeantur *R V* debebantur *A* 10 *ante* dum *lacunam signavi, quam ita fere ex fragmento Parisiensi possis supplere conl. Mar. Vict. l. c.:* Sic corruperunt leges iambi*: maiora temptavit Bergkius Philol. t. XVI p. 645* cottidianum *VB*

sermonem imitari volunt et a versificationis observatione spectatorem ad actum rei convertere, ut non fictis sed veris affectionibus inesse videatur.

73* Trimetri igitur iambici acatalecti genera sunt quattuor [hi numquam semipede, ut tetrametri, sed semper integro concluduntur pede, quo paene omnes tragoediae et comoediae scriptae sunt], quorum prius tragicum, dehinc comicum et iambicum, post satyricum habebitur. Et tragicum quidem, cuius in versu erunt dextri spondei, sinistri iambi, id est disparibus pares subditi: huius exemplum 'Musae, Iovem laudate concentu bono'. Comicum autem, quod anapaestum et tribrachyn praedictis admiscet, ut 'agite, agite, quid dubitatis agiles dare choros?' iambicum autem, quod ex omnibus

---

paestos, atque eadem de ceteris servant. quin etiam contenti sunt plerumque unum tantum locum in toto versu pedi legitimo reservare, nec non solutiones ita crebras ponunt, ut plerumque decem breves et amplius sequentes deprehendas. plerumque etiam aut acephalos faciunt eosdem iambos, aut hypercatalectos, quae res metrum hoc, id est iambicum, in trochaicum convertat necesse est *e. q. s. Mar. Vict. p. 81, 32. 132, 31. 182, 18. Mar. Plot. p. 519, 15:* in comico vero iambico frequentiores iambi anapaesti vel tribrachi debent poni, quia res comica, id est urbana et laeta, velociori pronuntiatione per breves pedes est componenda. *Cf. supra fr. 67. Keilius de Mar. Vict. arte gramm. p. VI sq. Cf. quae supra monui p. 155.*

73* *Mar. Vict. p. 81, 25:* Trimetri igitur — date choros. *Schol. Hephaest. p. 152, 23 ed. Westph.:* Τοῦ δὲ ἰαμβικοῦ μέτρου χαρακτῆρέϲ εἰϲι τέϲϲαρεϲ, τραγικόϲ, κωμικόϲ, ϲατυρικόϲ, καὶ οὕτω πωϲ ἰδίωϲ λεγόμενοϲ ἰαμβικόϲ. Καὶ ἐϲτὶ τραγικοῦ μὲν ἴδιον, τὸ ἐπὶ πλεῖϲτον μὲν ἐκ ϲπονδείων καὶ ἰάμβων ϲυγκεῖϲθαι, ϲπανίωϲ δὲ καὶ ἕνα τριϲύλλαβον ἐπιδέχεϲθαι, οἷον 'ἥκω Διὸϲ παῖϲ τήνδε Θηβαίαν χθόνα | Διόνυϲοϲ, ὃν τίκτει πόθ' ἡ Κάδμου κόρη'. Κωμικοῦ δὲ ἴδιον, τὸ καὶ ἐκ τριϲυλλάβων ὡϲ ἐπὶ τὸ πλεῖϲτον ϲυγκεῖϲθαι, οἷον 'καὶ φρένα μὲν οὐκ ἐθέλουϲαν ὀμόϲαι καθ' ἱερῶν'. Ἴδιον δὲ ϲατυρικοῦ τὸ μέϲον εἶναι τραγικοῦ καὶ κωμικοῦ, ἤγουν δέχεϲθαι καὶ τοὺϲ τριϲυλλάβουϲ μὴ κατακόρωϲ, οἷον 'ἤδ' ἄγκοϲ ὑψίκρημ-

---

2 *post* convertere *addit* nituntur *Bergkius ex Victorino* 3 afectionibus *V* interesse videantur *Putschius* inesse se videant *Lindemannus ex coniectura Bondami* videbatur *R* videantur ς *an* inesse sibi videatur*?* 4 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** acatalecti] et catalectici *B* 5 hi numquam — scriptae sunt *seclusit Keilius* 12 ut agite quid dubitant nunc agiles dare choros *A B* ut agite quid dubitatis agiles dare nunc choros ς*: correxit Keilius conl. Mar. Vict. de metr. Hor. p. 182, 19* 13 agiles] hilares *Mar. Vict. de metr. Hor. p. 182, 19* agiles *Plotius l. c.* quod] qui *B*

iambis nullo alio admixto subsistit, quo iambographi maxime gaudent, ut 'beatus ille qui procul negotiis'. Superest satyricum, quod inter tragicum et comicum stilum medium est. Haec apud Graecos metri species frequens est sub hac conditionis lege, ut non heroas aut reges, sed Satyros inducat ludendi iocandique causa, quo spectatoris animus inter tristes res tragicas Satyrorum iocis et lusibus relaxetur, quod Horatius his versibus testatur,

carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
mox etiam agrestis Satyros nudavit et asper
incolumi gravitate iocum temptavit eo, quod
illecebris erat et grata novitate morandus
spectator.

Quod genus nostri in Atellanis habent. Gaudet autem trisyllabo pede et maxime tribrachy. Exemplum huius 'Musae, Iovem laudate et agiles date choros'.

74* Ut heroum metrum incipit a duodecim syllabis et crescit

νον ὄρεϲι περίδρομον'. ἴδιον δὲ ἰαμβικοῦ, τὸ διϲυλλάβουϲ μόνουϲ ἐπιδέχεϲθαι πόδαϲ, καὶ μάλιϲτα ἴαμβον, οἷον 'πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράϲω τόδε'. *[Censorin.] fragm. de metr. p. 612, 20 sqq. Diom. p. 507, 5:* iambicus qui versus est constat ex omnibus iambis, ut 'anus virente secta pinus in Crago'. *Ibid. p. 507, 11. Atil. Fortunat. p. 286, 15:* constat autem iambo suo principe, nam versus qui ex hoc uno est legitimus iambicus erit, quem Graeci ὀρθόν vocant, ut ille est, 'beatus ille qui procul negotiis'. *Mar. Plot. p. 526, 13:* tetrametrum brachycatalectum, 'τὸν Πύθιον τὸν Δήλιον ὃν ἔταϲϲε † βίχοροϲ, Musae Iovem laudate et agiles choros date'. *Mar. Vict. de metr. Hor. p. 182, 13:* iambici trimetri formae sunt tres, tragica, comica, satyrica. tragica erit quae dextros pedes recipit spondeos, id est [impares] primum tertium quintum, sinistros iambos, id est secundum quartum sextum, ut 'divi potentes, ferte lassatis opem'. comica erit quae frequenter tribrachos habet, ut 'agite agite quid dubitatis hilares dare choros' [ocissime]. satyrica erit quae inter tragicum comicumque constituta est †de cetero putatas (de Satyris appellata *ci. Caesar: an* de Satyris nuncupata?), ut 'Musae Iovem laudate et hilares date choros'. *Cf. Westphalius Metr. t. II p. 480 ed. sec.*

74* *Mar. Vict. p. 79, 8:* Hexametro dactylico trimeter iambicus comparatur, quem latine senarium nominamus, veluti hexametron: sex

---

1 alio *add. Keilius, om. A B ς* 2 beatus] *Hor. epod. 2, 1* 6 inter tragicum et comicum tristes *A* 9 carmine] *Hor. art. poet. 220* certavit] obcertauit *corr.* certauit *A* obcertauit *Val.* 14 gaudet *Keilius* gaudent *A B ς* 16 agiles] hilares *Mar. Vict. l. s. s.* agiles *Plotius* 17 ut heroum *ς B* aut heroum *A*

ad septemdecim, ita et iambicum, velut in his versibus, 'beatus ille qui procul negotiis': item septemdecim syllabarum, 'quid ais epidia? tibi facilior erit amor'.

Penthemimeres in trimetris satis probatur, quae per bi- 75*
nos iambos et semipedem verba finit, ut est 'divi potentes,

---

enim pedes iambos habet, ut ille dactylos, cum uterque purus ex se figuratur (trimetros autem appellatur a Graecis, quia tribus percussionibus per dipodias caeditur); ideoque dicitur et Homerus in Margite suo miscuisse hos versus tamquam pares. huius mensura usque ad pentametrum extenditur. praeterea ut heroum — erit amor. sed et tomas, quas supra ostendimus, id est divisiones versuum, recipit penthemimeren et hephthemimeren, id est quinariam et septenariam. *Ibid. p. 83, 10:* plerique auctorum nobilium id obtinuerunt, ut iambicum trimetrum, quod acatalectum nominatur, XII syllabis terminaretur, quod tunc evenit, quotiens e spondeis et iambis pedum coniugatio sociatur. at enim incurrentibus ceteris pedibus et syllabarum et temporum incrementa nascuntur, et nihilo minus sunt iambici versus constante mensura. et syllabarum quidem incrementa sic recipit, ut a XII syllabis ad XVII syllabas protendatur. temporum autem ita versus habet incrementa, ut a XVIII temporibus ad XXIIII porrigatur. novissima etenim syllaba indifferens habetur, licet brevis sit, ut longae vicem praebeat. *Ibid. p. 132, 22. Atil. Fortunat. p. 286, 2:* Sequitur ut de iambico dicere debeamus, cuius auctorem alii Archilochum, alii Hipponactem volunt. sed primus Homerus hoc usus est in Margite, ἦλθέ τις εἰς Κολοφῶνα γέρων καὶ θεῖος ἀοιδός, | Μουσάων θεράπων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος, | φίλην ἔχων ἐν χερσὶν εὔφθογγον λύραν. iambica maledica carmina appellant, quod hoc pede [id est metro] olim lacerare et laedere solebant. iambicus trimeter qui est minimus habet syllabas XII, ut 'beatus ille qui procul negotiis'; qui maximus, XVII, ut 'rapite agite, proceres, rapite [o] iuvenum decus'. hic latine senarius, quod pedes sex simplices habeat, graece trimeter, quod tres συζυγίας habeat, appellatur. *Mar. Vict. p. 50, 23. Mall. Theod. p. 593, 2. Atil. Fortunat. p. 287, 10:* iambicum hoc metrum, etiam si defuerit versui iambus vel rarus in eo fuerit, appellabimus. ille enim legitimus solus, quem ὀρθόν dixi, iambo solo constat. sed ut diximus iam dactylicum hexametrum etiam eum dici, qui omnes spondeos habeat, ita et hic iambicus dicetur, quamvis unum iambum habeat, 'pavidumque leporem et advenam laqueo gruem'. *Fragm. Sangall. p. 639, 8.*

75* *Mar. Vict. p. 79, 19:* sed et tomas, quas supra *(Mar. Vict. p. 64, 31)* ostendimus, id est divisiones versuum, recipit: penthemimeren et hephthemimeren, id est quinariam et septenariam. e quibus penthemimeres in trimetris — divinitas caelestium. *Aristid. Quintil. p. 53 Meib.:* Ἐπιδέχεται δὲ . . . καὶ τομὰς εὐπρεπεῖς τήν τε μετὰ δύο πόδας εἰς συλλαβήν, ἣ πενθημιμερὴς καλεῖται, καὶ τὴν μετὰ τρεῖς, ἥτις ἑφθημιμερὴς ὠνόμασται. *Schol. Hephaest. p. 148, 10:* Μὴ εἰρηκὼς (*sc.* Ἡφαιστίων) περὶ τῆς τομῆς ἐνταῦθα, ἐν δὲ τῇ κατὰ πλάτος αὐτοῦ πραγματείᾳ καὶ τοῦτο πεποίηκε, σαφῶς δείξας καὶ συμφωνήσας πᾶσιν ὅτι δύο μόναι εἰσὶ τομαὶ τοῦ ἰάμβου λέγω δὴ πενθημιμερὲς δύο ἥμισυ ποδῶν καὶ ἑφθημιμερὲς τριῶν ἥμισυ. *Mar. Vict. de metr. Hor. p. 182,*

---

2 beatus] *Hor. epod. 2, 1* v. item — syllabarum *fortasse delenda sunt* 4 probat qui per *B*

ferte lassatis opem'. Pessimus autem, qui singula verba in dipodiis habet, qualis est 'praesentium divinitas caelestium'.

76 Iamborum itaque exempla, quae maxime frequentata sunt, subdidi,

πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράcω τόδε;
Δαναὸc ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ,
Ξάνθῃ παλαιῇ γρηὶ πολλῆcιν φίλῃ,
οἶδ' ὑπὸ γὰρ ἡμῶν παρετάθη καὶ Περικλέουc,
ἱμάτιον ἐφόρει μαλακὸν ἐρίων Cικελικῶν,
τὸ δὲ προcκεφάλαιόν φηcιν ἅμα coὶ βούλομαι.
videre non vult Caelium Panaetius,
misera marino quae timidula litore,

17: 'divi potentes, ferte lassatis opem'. *Cf. supra fr. 70 p. 249, 3. Westphalius Metr. t. II p. 482 n. ed. sec.*

76 *Rufin. comm. in metr. Ter. p. 561, 11:* Iuba in libro quarto sic dicit, 'Iamborum itaque — cane melos'. *Mar. Vict. p. 170,*

---

3 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 67* itaque *B R* utique *corr.* itaque *A* maxime *om.* ς 5 πάτερ — 10 βούλομαι] ΠΕΤΕΡaΥΚaΜΒaΠΟΒΟΙΛΟΜaΙ *et superscriptum* deest graecum *A* '*pro hoc adhibitus est codex Parisinus 7498 (P). duos versus primos ediderunt Ascensius et Aldus, reliquos quattuor ex Scaligeri libro, ut videtur, addidit Putschius' Keilius* ΠaΤΕΡaΥΚaΝΒa *R: Archiloch. fr. 92 ed. Bergk.* 6 Δαναόc] Εὐριπίδηc ἐν Ἀρχελάῳ *Strabo l. V. p. 221: Eur. fr. 230 N.* 7 ΞaΝΘΗΡaΛΑΙΝΙΡΗΠΟΛaΝCΙΝΦΙΛΗ *R* ΞaΝΘΝΠaΛΛΙΗΓΡΗΠΟΛΛΗCΙΝΦΙΛΝ *P* ΞaΝΕΝΠΛΛΛΙΗΓΡΝΠΟΜΕC *reliquis usque ad* 10 βούλομαι *omissis B* *Archilochi vel Anacreontis videtur versus Bergkio Poet. lyr. t. III p. 1325 ed. tert.: Anacreonti dederat versum Schneidewinus 'Beitr. z. Krit. d. Poet. lyr.' p. 92. Cf. Meinekius fragm. com. graec. t. IV p. 684, qui nomen proprium restituit* πολλοῖcιν *Bergkius* 8 ΟΙΔΥΠΟΓaΡΝΜΩΝ *P* ΟΙΔΥΠΟCΓaΡΝΜΩΝ *R* οἶδ' ὑπὸ γὰρ ὑμῶν *Putschius: Aristoph. Nub. 213* καὶ] ΚΕ *R P* 9 ΙΝaΤΙΟΝΕΦΟΡΕΙΝaΛaΚΟΝ *R* *Aristophanis versum esse coniecit Meinekius, Philemonis* ἐν Cικελικῷ *ten Brinkius Iubae Maurus. rel. p. 19* 10 ΤΟΔΕΡΩCΚΕΦaΛaΙΟΝΦΕCΙΝaΝaCΟΙΒΟΥΛΟΝaΙ *R* *versus fortasse Aristophaneus non integer scriptus videtur Meinekio* 11 caelium *R* cael(i)um *A* celium *B* coelum *Asc. Ald.* ut puto caelum *Ven.* panaetius *A R* penetius *B Asc.* Panetius *Ald.* paneus *Ven.* 12 timidula litore *ten Brinkius l. s. p. 20* timida (timido *R*) in litore *A B R* timidam litore *Ven.* tumida in littore *Asc. Ald.* tumida littore *Putschius*

vallis per imas amne labens caerulo,
armiger in Ida pede vago litora petens,
caerula nec aliter liquida superans malaciae,

* * *

παρὰ coφοῦ μάθε κλύων ὅca τιc ἂν καταμάθοι,
rape faces, cape puer, sopor abit, cane melos.

Est autem proceritatis eiusdem versus qui unius pedis 77
differentia nomen amittit. Nam quod sexto loco, qui locus par est, non iambus, sed spondeus vel trochaeus accipitur et a longa syllaba incipit, claudum carmen facit et choliambus nominatur, ut est

ὦ Κλαζομένιοι Βούπαλοc κατέκτεινεν,

---

5. *Plot. p. 518, 5. Atil. Fortunat. p. 281, 19 et 287, 1:* 'valles per imas'. *Serv. centim. p. 458, 7:* 'valles per imas'.

77 *Rufin. comm. in metr. Terent. p. 562, 19:* De choliambo sic (*sc.* Iuba), 'Est autem — trimetro dictum'. *Hephaest. p. 18, 11 ed. Westph.:* Ἔcτιν ἐπίcημον ἐν τοῖc ἀκαταλήκτοιc καὶ τὸ χωλὸν καλούμενον· ὅπερ τινὲc μὲν Ἱππώνακτοc, τινὲc δὲ Ἀνανίου φαcὶν εὕρημα. Διαφέρει δὲ τοῦ ὀρθοῦ, ᾗ ἐκεῖνο μὲν τὸν τελευταῖον ἴαμβον ἔχει, ἣ πυρ-

---

2 armiger] *cf. fr. 13* B p. 196, 22* armiger in unda pede vago litora petit, coerula nec aliter superat, itaque et malaciam *ten Brinkius* in Ida *A B* mida *R* unda *Ven.* huda *Asc. Ald.* 3 caerula non aliter superans liquida (liqua ς) malitiae *A B R* ς liquida malaciae *Putschius* liquida Salmaciae *coniecit Salmasius apud Gaisfordium p. 614: ad exemplum graeci versus correxit et transposuit verba Keilius. Idem lacunam indicavit, qua versus iambicus sexto versui Graeco respondens periit. 'Praeter eum autem plura hic olim scripta erant, quibus transitus paratus erat ad creticos versus qui subiecti sunt': Keilius Quaest. gramm. p. 21* 4 ΠΑCΟΦΟΥΜΑΘΕΚΛΙΩΝΟCΑΤΙCΑΝΚΑΤΑΜΑΘΟΙ rapae *A* ΠΑΡΑCΟΦΟΙΜΑΘΕΚΛΥΟΝΟCΑΤΙCΑΝΚΑΤΑΜΑΘΕΙCΤΑΡΕ *B* ΠΑΡΑCΟΦΟΥΜΑΘΕΚΑΥΩΝΟCΑΤΙCΑΝΚΑΤΑΝΑΘΟ.irape *R* παρὰ coφοῦ μαθε κλυων (μεμάθηκ᾽ ἐγών *Ald.*) οca τιc αν Καταναθοι Rape *Asc. Ald.* 5 fauces *corr.* faces *A* melos *Putschius* melis *A B R* ς 6 proceritas ς 11 ὦ — ἥκω] ΩΚΛΑΖΟΜΕΝΙΟΙΒΟΥΠΑ *reliquis omissis et superscr.* deest graecum *A pro hoc adhibitus est codex Parisinus 7498 (P) duos Hipponactis versus Iuba auctore referre Plotium p. 522, 19 putat Keilius: quod dubitavi supra p. 145* ΚΛΑΖΟΝΕΝΙΟΙ *R* Βούπαλοc *om. R* ΚΑΤΕΚΤΕΙΝΕΝ *P R* ΚΑΤΕΚΤΕΥΝΕΝ *B* Βούπαλόc τε κἄθηνιc *legisse videtur Plotius: cf. Bergkius Poet. lyr. t. II p. 755 ed. tert.*

ἀκούϲαθ' Ἱππώνακτοϲ οὐ γὰρ ἀλλ' ἥκω,
o quae tenerulae comparis tenes crinem,
sudes in ista Veia latent fossa.

Quod autem binis pedibus et non singulis scanditur, vetus institutum est, quippe Herodotus, antiquus historiae auctor, cum de heroo diceret versu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit, καί ϲφιν ἡ Πυθίη ἀφικομένοιϲιν χρῇ ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ τάδε,

ἀλλ' ὅταν ἡμίονοϲ βαϲιλεὺϲ Μήδοιϲι γένηται,
καὶ τότε, Λυδὲ ποδαβρέ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν μηδὲ μένειν μηδ' αἰδεῖϲθαι κακὸϲ εἶναι.

Unde apparet heroum singulis pedibus scandi etiam apud veteres solitum. Iambum autem binis scandi idem ait, cum de Archilocho Pario referret, qui Gygae fabulam optime com-

ρίχιον διὰ τὴν ἀδιάφορον· τοῦτο δὲ ἢ ϲπονδεῖον ἢ τροχαῖον· καὶ ὅτι ἐκεῖνο μὲν ἐπὶ τῶν παραληγόντων μετὰ τῶν διϲυλλάβων δύο, ἰάμβου καὶ ϲπονδείου, δέχεται καὶ τριϲυλλάβουϲ τὸν δάκτυλον, τὸν τρίβραχυν, καὶ τὸν ἀνάπαιϲτον· τὸ δὲ χωλὸν οὐ δέχεται τοὺϲ παραλήγονταϲ τριϲυλλάβουϲ πόδαϲ, οὔτε δάκτυλον, οὔτε τρίβραχυν, οὔτε ἀνάπαιϲτον· ἀλλὰ μάλιϲτα μὲν ἴαμβον, ὅτε καὶ εὐπρεπέϲ ἐϲτιν, ὡϲ τὸ 'ἀκούϲαθ' Ἱππώνακτοϲ· οὐ γὰρ ἀλλ' ἥκω', ἔϲθ' ὅτε δὲ καὶ ϲπονδεῖον, ὅτε καὶ τραχύτερον γίνεται, ὡϲ τὸ 'εἰϲ ἄκρον ἕλκων, ὥϲπερ ἀλλάντα ψύχων'. *Cf. Schol. Hephaest. p. 151, 1. Mar. Vict. p. 81, 4:* genera autem iambici metri sunt duo. nam ex his alia integra, alia clauda, quae scazonta seu choliamba vocant, in-

1 ΑΚΟΥϹΑΤΙΠΠΟΝΑΚΤΟϹΟΙΤΑΡΑΜΗΚΩ *R* ΑΚΑΥϹΑΤΠΠΟΝΑΚΤΟϹΟΥΓΑΡΑΜΝΚΩ *P* ΚΟΥϹΑΤΙΠΠΟΝΑΚΤΟϹΟΥΤΑΡΑΝΗΚΩ *B* 3 ueia *R* uia *et in marg.* ueia *A* uia *B* devia *coniecit Bergkius l. s. s.* latent] latens *Bergkius* 7 ΚΑΙϹΦΙΝΗΠΙΘΥΝΑΦΙΚΟΝΝΥϹΙΝΧΡΕΗΕΝΕΞΑΝΕΤΡΩΤΟΝΩΤΑΔΕΑΑΑΟΤΑΝΗΗΝΙΟΝΟϹΒΑϹΙΑΕΥϹΕΝΕΛΟΙϹΓΕΝΟΙΤΟΚΑΙΝΟΤΘΑΥΔΕΠΟΔΑΒΡΕΠΟΛΥΙΗΦΙΔΑΠΑΡΕϹΝΟΝΦΕΥΓΕΙΝΑΙΕΔΕΝΕΝΕΙΝΑΙΗΔΑΙΔΕΙϹΕΑΙΚΑΚΟϹΕΙΝΑΙ *R* ΚΑΙϹΦΙΝΗΠΙΘΥΝΑ.ΦΥ.ΚΑ *superscr.* deest graecum *A* ΚΛΙϹΦΙΝΗΤΙΘΥΠΙΝΑΦΙΚΟΜΝΙϹΙΝ *B* καὶ ϲφὶν ἠπίθυνα φήϲω ἄλυϲιν *Ald.* '*Herodoti verba cum versibus oraculi ediderat Ascensius. duos autem Herodoti locos I 47* ἡ Πυθίη ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ λέγει τάδε, οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμόν *sqq. et I 55* ἡ δὲ Πυθίη οἱ χρᾷ τάδε, ἀλλ' ὅταν ἡμίονοϲ *sqq. Iuba coniunxit' Keilius* 13 uetus *B* ueter̄ *b* iambum autem binis idem ait *B* iambum autem binis id enim ait *A R Asc.* iambicum autem binis id autem ait ς scandi *post* binis *add. Keilius* 14 de archilo *R* refert ς complexus esset *coniecit Keilius*

plexus est, ita, Γύγης, τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς ἐπεμνήσθη ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ. Meminit autem versus eius Herodotus, quem applicui, οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει. Et hactenus de acatalecto trimetro dictum.

Tetrametrum catalecticum, ut est apud Aristophanen, 78*
quod parodicum dicitur ab eo, quod trans † scabiam chori

---

ducuntur, quorum differentiam paenultima versus syllaba demonstrabit. *Ibid. p. 81, 11:* huius repertor Hipponax: nam pro iambo inductus trochaeus contra legem trimetri iambici metrum innovavit, quod adaeque et ex spondeo contingit. *Cf. quae supra monui p. 85. Cf. [Censor.] fragm. de metr. p. 613, 2. Caes. Bass. p. 257, 2. 263, 17. 266, 8. Mar. Vict. p. 136, 13. 155, 1. Atil. Fortunat. p. 293, 2. Mar. Plot. p. 519, 22. 522, 15. 523, 3. Mall. Theod. p. 594, 7.*

Vide supra fr. 18. Mar. Vict. p. 80, 3:* placuit conditoribus ... per dipodias id (*sc.* iambicum metrum) scandere. *Atil. Fortunat. p. 282, 4:* ideo autem dactylica sola simplicibus pedibus ingrediuntur, quoniam dactylus et spondeus aequalitatem temporum habent, alia autem per syzygias, quoniam diversae potestatis pedibus constant. *Mar. Plot. p. 500, 27. 519, 4.*

---

1 ΓΥΝΗCΤΟΥΚλΙΑΡΧΙΛΟCΟΠΛΡΙΟCΚλΤλΤΟΝλΥΤΟΝΧΡΟΝΟΝΓΕΓΟΝΟCΕΠΕΝΝΕCΗΝΙλΛΙΒωΤΡΙΝΕΡω *R* ΓΙΓΟCΚλΙΤΟΥΛΡΧΙΛΟΧΟΠλΡΙΟCΚλΤλΤΟΝλΥΤΟΝΧΡΟΝΟΝΓΕΓΟΝΟCCΗΠΕΜΝΗCΕΝΙλΜΒΟΡΙΜΕΤΡΟ *B* ΓΙΓΗCΤΟΥΚλΙλΡΧΙΛΟΧΟCΟΠλ *superscr.* deest graecum *A* γιγνεθον καὶ ἀρχιλοχος παριος κατα τὸν αὐτὸν χρονὸν γεγονω cε πεμηεcεν ἰαμβῳ τριμετρω *Asc.* γίγνεcθον καὶ ἀρχίλοκος πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς, ἐπῄνεcεν ἰάμβῳ τριμέτρω *Ald.* γίγεω αὐτοῦ καὶ ἀρχίλοχος πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς ὑπέμνηcεν ἰάμβῳ τριμέτρῳ *Putschius: Herod. I 12* 3 ωΝΟΙΤλΡΓΥΡΕΟΥΤΟΥΠΟλΙΧΡΥCΟΥΝΕΛΕΙ *R* ωΛCΕΙΤλΡΓΥΡΕΟΥΤΟΥΠΟΛΙΧΡΙCΟΥΜΕΛΕΙ *B* ωΜΟΙΤλΡΓΥΡΕΟΥ *superscr.* deest graecum *A* ὦ μοι τ' ἀργυέρου τοῦ πολυχρύσου μέλει *Asc. Ald.* ὦ μήτε γίγεω πολυχρύσου μέλει *Putschius* 4 acatalecto *A R* catalecto *B* catalectico ς

6 *de cod. vid. adnot. ad fr. 37** metrum catalecticum *B* tetrametrum catalecticum *restituit H. Wentzelius in scriptione gratulatoria gymnas. Oppol. a. 1864 edita p. 7* 7 parodicum *Wentzelius l. s. p. 9 sq. conl. schol. Aristoph. vesp. 270, ubi tetrametrum catalecticum (vesp. v. 230) inter metra* παροδικά *numeratur: sed nescio an Iuba male dederit* parodiacum, *de quo etiam Wentzelius cogitavit* parhoetiacum *B* scabiem *corr.* scabiam *B* 'caveam *scribere voluisse videtur librarius' Keilius* scenae viam *Wentzelius* scalas *coniecit Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 375* chorii *B*

id genus carminis canere soleant, ut 'videtis infantem Iovis Tirynthium tenellum'.

79* Pentametrum hypercatalectum, quod chaeremonion appellatur a Chaeremone tragico, 'caeli serena qui regat et aureos currus calentibus quadrigis'.

80 Octametrum catalecticum, quod appellatur boiscion,

78* *Fragm. Bob. p. 620, 3:* Tetrametrum catalecticum — Tirynthium tenellum. *Schol. Aristoph. vesp. 270:* τῶν γὰρ χορικῶν μελῶν τὰ μέν ἐςτι παροδικά, ὡς τὸ 'ἀέναοι νεφέλαι, ἀρθῶμεν φανεραί', καὶ τὸ προειρημένον ἐνταῦθα 'χώρει πρόβαιν' ἐρρωμένως' *e. q. s. Cf. Gaisf. in Hephaest. p. 131 adn. ed. sec. Hephaest. p. 18, 9. Caes. Bass. p. 263, 17:* hipponactei versus iambici quadrati, quem dixi a comicis antiquis et latinis et graecis interponi frequentissime sic, 'quid maestus incedis Micon? habes, amas, amaris'. *Ibid. p. 266, 9. Cf. Mar. Vict. p. 134, 32.*

79* *Fragm. Bob. p. 620, 7:* Pentametrum hypercatalectum — calentibus quadrigis. *Schol. Hephaest. p. 148, 17:* Τὸ ἰαμβικὸν μέτρον κατὰ μὲν τὸ περιφανέςτατον αὐτοῦ μέχρι τοῦ τριμέτρου πρόειςι· κατὰ δὲ τὰ παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὑριςκόμενα καὶ μέχρι τοῦ πενταμέτρου παραύξεται. *Cf. ibid. p. 150, 23. Cf. Mar. Vict. p. 79, 13:* huius mensura usque ad pentametrum extenditur. *Mar. Vict. p. 81, 14:* igitur iambicus pentameter compositus auctore Archilocho ex trimetro et dimetro acatalectus erit talis, 'beatus ille qui procul negotiis, ut prisca gens mortalium', tetrametrus autem 'beatus ille qui procul negotiis, ut prisca gens', trimetrus vero 'beatus ille qui procul negotiis', dimetrum quoque, quod archilochium vocatur, 'beatus ille qui procul': id si fuerit brachycatalectum, eupolidion nominatur; sin vero catalecticum, anacreontion; sin autem hypercatalectum, alcaicon dicitur.

---

1 uidi infantem iouis titynthum sigillum *B, correxit Wentzelius, qui versum Aristophanis, ut videtur, 'ex Heliodoro patrono . . . Iubam sumsisse sumtumque latine reddidisse' perspexit l. s. p. 19*

3 ipercatalecticum *B* ceremonion (h supra c) *B* 4 tralico *corr.* tragico *B* regit *corr.* regat *B* regunt *v: 'retinui codicis scripturam, quae ita defendi potest, ut pentametro in dimetrum acatalectum et trimetrum hypercatalectum diviso in fine prioris partis brevem syllabam pro longa admiserit grammaticus' Keilius: cf. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 382* calentibus *v* galentibus *B*

6 *de codicibus vid. adn. ad fr. 67* Boiscium (Boiscum *Ald.*) βοίςκος ὁ ἀποκυζικοῦ — δώρον *Asc. Ald.* boiscion ΒΟΙϹΚΟϹΟἀΠΟΚΥΖΙΚΟΥΠἀΝΤΟϹΓΡἀΦΕΙϹΠΟΙΗΜἀΤΟϹΤΟΝΟΚΤἀΠΟΥΝΕΥΡωΝϹΤΙΧΟΝΦΟΙΒωΤΙΘΗϹΙΔωΡΟΝ *R* boiscion ΚΟϹΟΛΠΟΚΙΖΙΚΟΥΠἀΝΤΟϹΦΡΑΦΕΙϹΠΟΙΗΜἀΤΟϹΤΟΝΟΚΤΛΠΟΥΝΕΙΡωΝϹΤΙΧΟΝΦΟΙΒΟΤΙΘΗϹΙΔωΡΟΝ *B* boiscicon ΒΟΙϹΚΟϹ.ΟΔωΡΟΝ *A*

Βοΐϲκοϲ ἀπὸ Κυζικοῦ, παντὸϲ γραφεὺϲ ποιήματοϲ,
τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν ϲτίχον Φοίβῳ τίθηϲι δῶρον,
Boiscus is de Cyzico, novi repertor carminis:
nam primus octonopedem versum deo dicavit. 4

Traditum est enim colum intra decem et octo tempora 81*
esse debere.

---

80 *Rufin. comm. de metr. com. p. 564, 1:* De octametro boiscio idem (*sc.* Iuba) sic dicit, 'Octametrum catalecticum — deo dicavit'. *Fragm. Parisin. de iamb. metr. p. 631, 10:* crescunt (*sc.* versus) a trimetris usque in octametros, id est faciunt versus de sedecim pedibus, ultra numquam. *Mar. Plot. p. 526, 19:* secundum rationem metri iambici huc usque extendi metrum iambicum deberet, a dimetro usque ad tetrametrum . . . *(22)* sed quoniam multi ausi sunt et pentametra et hexametra et heptametra et octametra iambica facere, de his quoque brevissime doceamus. *Mar. Vict. p. 82, 25:* Admonemur hic quod apud Graecos celebratur non praetermittere, Boiscum Cyzicenum supergressum hexametri legem iambicum metrum in octametrum versum extendisse sub huius modi epigrammate, Βοΐϲκοϲ ἀπὸ Κυζίκου, παντὸϲ γραφεὺϲ ποιήματοϲ, | τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν ϲτίχον Φοίβῳ τίθηϲι δῶρον. quod si imitandum est, apud nos erit et iambicus talis, 'beatus ille qui procul negotiis forensibus | ruris sub umbra frigidi vitam quiete placat'; qui constat ex duobus tetrametris, superiore acatalecto, sequente catalectico, quod enorme esse manifestum est, cum ultra numerum triginta temporum egressum sit. *Rufin. comm. in metr. Ter. p. 558, 17. 560, 5. Cf. L. Muellerus de re metr. p. 108. Christius 'Die metr. Ueberl. d. Pind. Od.' p. 25.*

81* *Mar. Vict. p. 83, 3:* Traditum est -- esse debere, metrum autem ex duobus colis subsistere nec provehi longius oportere. siquidem una quaeque duum pedum coniugatio octo tempora colligat, id est aut spondei et anapaesti aut dactyli et anapaesti aut duum anapaestorum. hi sunt enim qui praeter ceteros pedes in iambicis metris temporibus abundant. qui fit ut tres pedes per syzygian xxiiii temporibus impleantur, quartus vero, qui est catalecticus, sex temporibus terminetur. scilicet ut intra triginta tempora versus habeatur. *Ibid. p. 83, 19:* tragici autem auctores et comici paulo plura et in syllabis et in temporibus incrementa fecerunt, quippe cum quidam inductis te-

---

1 παντόϲ] καινοῦ *ten Brinkius Iub. Maurus. rel. p. 29*
3 is de *A R Asc. Ald.* iste *B Ven.* 4 octonopedem versum *Keilius Quaest. gramm. p. 21* octano pede uersum *A R* uersum octono pede *B* ς uersum octonum pedum *Putschius* octonum pedum uersum *ten Brinkius* deo dicauit ς deo dedicauit cauerat *R* deo di . . . . . . cauerat *sex fere litteris deletis B* deo dicauit i cauerat *corr. ut videtur* deo dicant cauerat *et in marg.* dicando cauerat *codex Vossianus 33, 4* deo dicauerat *A Asc. Putschius*
5 de *codicibus vid. adn. ad fr. 2** decem et octo ς *B* decem e et octo *A*

82* Trochaicum metrum eosdem pedes quos et iambicum recipere manifestum est (eadem enim utriusque progenies est), excepto dumtaxat iambo simili inter se contrarietatis ratione, qua et trochaei in iambico excluduntur.

83* Nam trochaei longa soluta tribrachum, alterutra spondei

---

trametris novitatis studio ausi sint contra praescriptum triginta temporum duo adicere, nec quisquam ulterius postea. *Psell. proleg. in rhythm. § 12 (Mus. Rhen. nov. t. I p. 624):* αὔξεσθαι δὲ φαίνεται τὸ μὲν ἰαμβικὸν γένος μέχρι τοῦ ὀκτωκαιδεκασήμου μεγέθους. *Schol. Hephaest. p. 199, 13:* ἕως τούτου (*sc.* τριάκοντα) δὲ προβαίνει ἡ ποσότης τῶν ἐν τοῖς στίχοις χρόνων κατὰ Ἡφαιστίωνα· ἐπεὶ καθ' ἑτέρους καὶ ἕως λβ'. *Ibid. p. 147, 11:* Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐνδέχεται στίχον τριακαιτριακοντάσημον (*cf. Caesar Emend. Hephaest. p. XVI*), ἀλλ' εἰ εὑρεθείη, περίοδος καλεῖται. *Ibid. p. 150, 23:* ὑπερκατάληκτον (*sc.* πεντάμετρον) δὲ οὐκ ἔστιν, ὅπου καὶ αὐτὸ τὸ ἀκατάληκτον σπανιώτατόν ἐστι, διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι τὸν ἴαμβον ἐπὶ πλέον τῶν λβ' χρόνων ἀνέρχεσθαι. *Ibid. p. 157, 8. 23. Ibid. 182, 22:* Ἰστέον δὲ ὅτι οὐδέποτε τριακονταδύο χρόνους ὑπερβαίνει μέτρον, ἐπεὶ εἰς περίοδον ἐμπίπτει. *'Heliod. Unters.' p. 117.*

82* *Mar. Vict. p. 83, 24:* Trochaicum metrum — in iambico excluduntur. quamquam Terentianus, non paenitendus inter ceteros artis metricae auctor, sedulo refragetur. nam secundam sedem in trochaico versu trimetro acatalecto velut legitimam iambo adsignat, cum idem ab iambico metro trochaeum excluserit, praeterea cum viderit ex trimetro iambico adiecta prima longa per ἐπιπλοκήν, id est amplexionem, de qua supra dictum est, trochaicum versum integrum propagari, tamquam 'est celer phaselus ille quem videtis'. nam dempta syllaba 'est' redit ad iambum. ergo iambi locum in hoc trochaeus obtinuit: pari ratione detracta rursus eadem erit iambicus. sed et omnis trochaicus purus, id est ex se compositus, accepta in principio versus brevi syllaba iambicum metrum reddet. idem et translationes syllabarum, cum initiales ad finem vel finales ad initium versus transferuntur, efficient, * longa in brevem feratur. at iambus contrario situ temporum tardior, unde ei etiam, ut quidam putant, inditum nomen est iambo [ἀπὸ τοῦ ἰέναι, id est ire, appellatur]. admittit et amphimacrum in catalectico versu ultimum et dactylum [maxime in comicis] propter novissimae syllabae indifferentiam. *Aristid. Quintil. p. 53 ed. Meib.:* Τὸ δὲ ἀντικείμενον τούτῳ τροχαϊκὸν δέχεται τρίβραχυν, δάκτυλον, ἀνάπαιστον· σπονδεῖον δὲ ἐν ταῖς ἀρτίοις μόναις, διά τε τὰς ἐπὶ τοῦ ἰάμβου προρρηθείσας ἡμῖν αἰτίας, καὶ ὅτι ἐφεξῆς πολλῶν κειμένων μακρῶν ἡ τῆς φωνῆς συνέχεια τοῖς ἐπαλλήλοις μεγέθεσι τῶν συλλαβῶν διακόπτεται· εἰ δὲ εἴη καταληκτικόν, καὶ ἀμφίμακρον ἢ δάκτυλον. *Mar. Plot. p. 528, 20:* Trochaicum metrum in prima quidem parte et tertia et quinta pedes recipit duos, trochaeum et tribrachyn, in secunda vero et quarta et sexta vel novissima quinque recipit pedes, trochaeum tribrachyn anapaestum spondeum dactylum vel amphimacrum propter novissimam syllabam indifferentem. *Schol. Hephaest. p. 155, 1:* ἓν ἀμφοῖν γένος. *Ibid. p. 155, 12:* γένεσίς τέ ἐστιν ἑκατέρῳ ἡ αὐτή.

---

4 in iambico *Keilius* in iambo *A B* ς 5 *A = codex Vaticanus 3402, B = codex Vaticanus 5216,* ς *= editio princeps Iani Parrhasii Mediolani a. 1504*

aut anapaestum aut dactylum faciunt. Hi pedes omnes ponuntur paribus in locis, imparibus non nisi hi qui brevibus finiuntur.

Inter haec non supersederim pauca etiam de choriaco 84* metro dicere, quod est frequens in tragoediis. Incipit autem a dimetro, tamquam 'non labor iam', quodque erit et monometron, si, ut Graeci, per syzygias scandas. Eas vero sedes, quas iambus in suo possidet, has in choriacis trochaeus tenet. Porrigitur autem usque ad tetrametrum versum, tamquam 'nunc Iovi litemus, exoremus omnes supplices'. Recipit spondeum e contrario iambicis versibus. Amat autem longas in breves solvere, ut non tam spatia temporum quam numerum duplicet syllabarum, ideoque trochaei seu spondei regionibus recipiet tribrachyn, ut 'nemore † dulcisanes cantu personat'.

83* *Atil. Fortunat. p. 287, 17:* Contrarium huic trochaicon metron, quod aeque quinque pedibus constat, trochaeo et ceteris quibus supra (superius *Keilius*). nam trochaei — brevibus finiuntur. *Hephaest. p. 19, 24:* Τὸ τροχαϊκὸν κατὰ μὲν τὰς περιττὰς χώρας δέχεται τροχαῖον, τρίβραχυν καὶ δάκτυλον· κατὰ δὲ τὰς ἀρτίους τούτους τε, καὶ σπονδεῖον καὶ ἀνάπαιστον. *Schol. Hephaest. p. 158, 13:* Τῆς γὰρ πρώτης τοῦ σπονδείου μακρᾶς εἰς δύο βραχείας διαλυομένης ἀνάπαιστος γίνεται· ὁμοίως δὲ καὶ τῆς δευτέρας διαλυομένης ὁ δάκτυλος. *Cf. supra fr. 68. Diom. p. 504, 20. Fragm. Bob. p. 621, 2:* Trochaicum metrum e quinque pedibus constat, trochaeo, spondio, tribrachy, anapaesto, dactylo. ex his in inparibus locis non nisi hi qui brevi finiuntur, in paribus universi indifferenter ponuntur. *Mall. Theod. p. 594, 28.*

84* *Mar. Vict. p. 82, 13:* Inter haec — cantu personat. *Aristid. Quintil. p. 54 ed. Meib.:* ἄρχεται μὲν ἀπὸ διμέτρου, πρόεισι δὲ

---

1 ponuntur *om.* ς 4 *de codicibus vide adnot. ad fr. 2** Inter haec — metro dicere] *vid. p. 130* de choriaco] de chorico *A B* ς 6 a dimetro ς a dimetris *A* a dimetros *B Val.* quodque erit et] quod querit et *A B* ς quod erit et *Keilius: cf. p. 194, 12* 7 si] sic *B* 8 in choricis *A B* ς 9 ad trimetrum *A B* ς 10 nunc iouem litemus et (ac ς) oremus supplices *A B* ς nunc Iovi litemus omnes et rogemus supplices *conieceram, quibus praetulit Keilius id quod in textum recepi* 12 tam *om. A B, add.* ς 14 nemore dulcisonos cantus personat ς nemora dulcisono Camenae saepe cantu personant *coniecit Keilius: mihi in mentem venerat* nemora dulcisono ille pastor mane cantu personat *conl. Mall. Theod. p. 595, 6:* pastor ille saepe mane dulce carmen insonat, *sed rectius proponit Caesar dactylo remoto* nemora pastor saepe (*vel* ille) dulci mane cantu personat

85* Monometrum hypercatalectum, quod penthemimeres sive pancration appellatur, ut est apud Euripiden * 'ter peribimus'. Dimetrum brachycatalectum, quod ithyphallicum appellatur, ut est 'fontium sorores'. Accipit autem tres trochaeos et non numquam solutione trochaei tribrachyn. Solutio autem fit, quotiens pro una longa syllaba duae breves ponuntur. Dimetrum catalecticum, quod lecythion et euripidion vocatur, ut 'Martium canunt tubae'.

ἄχρι τετραμέτρου. *Mar. Plot. p. 529, 1:* crescit tamen a dimetro usque ad tetrametrum. *Cf. Atil. Fortunat. p. 302, 20:* Philoxenus ait hoc heptasyllabon choriacon vocari et esse dimetron catalecticon euripidion. ille inquit sic, νῦν δέ μοι πρὸ τειχέων. *[Censorin.] fragm. de mus. p. 607, 5. Ibid. de metr. p. 613, 6.*

85* *Fragm. Bob. p. 621, 5:* Monometrum hypercatalectum — canunt tubae. *Atil. Fortunat. p. 287, 21:* dimetrum hypercatalectum 'nympha rorida'. brachycatalecton 'fontium sorores'; hoc et ithyphallicum dicitur: dimetrum catalecticum 'Martium canunt tubae'. *Cf. disputat. nostr. p. 152. Serv. centim. p. 459, 9:* pancratium constat monometro hypercatalecto ut est hoc, 'auctor optimus'. *Hephaest. p. 21, 4:* Ἔςτι δὲ ἐν αὐτῷ ἐπίςημον καὶ τὸ δίμετρον βραχυκατάληκτον, τὸ καλούμενον Ἰθυφαλλικόν, ᾧ πρῶτος μὲν Ἀρχίλοχος κέχρηται, ςυζεύξας αὐτὸ δακτυλικῷ τετραμέτρῳ, οὕτως 'οὐκέθ' ὅμως θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη'. *Caes. Bass. p. 255, 10. Mar. Vict. p. 92, 25. Atil. Fortunat. p. 293, 18:* Ithyphallicum metrum de trochaico est. nam ex tribus trochaeis constat, quod fit, si ter Bacche dicas, et sic, 'conditor vel orbis'. dictum est autem inde, quod in mysteriis Liberi Athenis vates stipitem rectum in modum fascini ciebant, et qui hoc genere metri canebant φαλλοφόροι et φαλλῳδοί dicebantur. hoc et aeschrionium vocant. *Mar. Vict. p. 85, 27:* quod si uno pede brevius quam nunc est fuerit, erit ithyphallicum metrum, inventum ab Archilocho, e tribus trochaeis coniunctis, ut 'Bacche plaude Bacche', quod in honorem eiusdem dei poetae [compositum] protulerunt. *Mar. Plot. p. 529, 13. Serv. centim. p. 459, 12. Hephaest. p. 20, 7:* δίμετρον μὲν καταληκτικόν, τὸ καλούμενον Εὐριπίδειον ἢ Ληκύθιον, οἷόν ἐςτι, 'νῦν δέ μοι πρὸ τειχέων θούριος μολὼν Ἄρης'. *Schol. Hephaest. p. 156, 17:* Τοῦτο τὸ τροχαϊκὸν δίμετρον καταληκτικόν ἐςτι τὸ καλούμενον Εὐριπίδειον ἢ Ληκύθιον, ἁπλῶν ποδῶν τριῶν καὶ μιᾶς ςυλλαβῆς. Ληκύθιον δέ φαςιν αὐτὸ ἢ δι' Ἀριςτο-

---

1 *de cod. vide adnot. ad fr. 37** 2 panchration *B: cf. Serv. centim. l. s. s.* eurypiden *B* ter peribimus *Keilius* ter fer uidimus *B* 'fer *in cod. tribus punctis superpositis improbatum. Legendum fortassis iterum* ter' *editor Vindobonensis* 4 *v.* ut — sorores, *quae huc reposui, post* tribrachyn (5) *habet B* 5 solutionem *corr.* solutione *B* 7 Dimetrum *v* Metrum *B* catalecticum *Keilius* catalectum *B* lecythion et euripidion *v* lecton et eurypidion *B* 8 Martium *v* cartium '*tribus punctis superpositis improbatum*' *B* canunt *Atilius Fortunatianus p. 287, 26* canit *B*

Dimetrus autem 'Phoebe tu lyra sonante', quod angelicon vocatur. 86*

Trimetrum catalecticum, quod acephalum iambicum appellatur, archilochium, 'Sol superna qui regis parens deus'. acephalum autem iambicum nominatur, quia, si praeponas unam syllabam, fit iambicum trimetrum acatalectum, ut est 'o Sol superna qui regis parens deus'. 87*

Tetrametrum brachycatalectum trochaicum, si de solis trochaeis subsistat, ad ionica metra, quae ἀπὸ μείζονος appellantur, transitum faciet, quae sotadia dicuntur, ut est 'arma 88*

φάνην cκώπτοντα τὸ μέτρον τὸ ἑφθημιμερὲc Εὐριπίδου, τῷ 'Θοαῖcιν ἵπποιc. Ἀ. ληκύθιον ἀπώλεcεν', ἢ διὰ τὸν βόμβον τὸν τραγικόν. *Mar. Vict. p. 98, 13. 105, 20. Atil. Fortunat. p. 302, 21. Serv. centim. p. 459, 15. Mar. Plot. p. 529, 7.*

86* *Mar. Vict. p. 85, 25:* Dimetrus autem -- angelicon vocatur.

87* *Fragm. Bob. p. 621, 14:* Trimetrum catalecticum — parens deus. *Atil. Fortunat. p. 287, 27:* trimetrum catalecticum 'Sol superna qui regis parens deus', trimetron acatalecton 'tu, profunda quae regis, parens Diana'. *Hephaest. p. 20, 12:* τρίμετρον δὲ καταληκτικόν, οἷόν ἐcτι τὸ τοῦ Ἀρχιλόχου, ὅ τινες ἀκέφαλον ἰαμβικὸν καλοῦcι· 'Ζεῦ πάτερ, γάμον μὲν οὐκ ἐδαιcάμην'. *Schol. Hephaest. p. 157, 3:* Τροχαϊκὸν τρίμετρον καταληκτικόν, ἢ ἀκέφαλον ἰαμβικόν, πέντε πόδαc ἔχον καὶ cυλλαβήν· ἀκέφαλον δέ φαcιν αὐτὸ εἶναι ὡc πρὸc ἴαμβον· ἐὰν γὰρ δέξεται ἔξωθεν βραχεῖαν cυλλαβήν, ἴαμβοc γίνεται. *Diom. p. 511, 12. Mar. Vict. p. 135, 32. Fragm. Paris. de iamb. metr. p. 631, 1. Serv. centim. p. 459, 24. Mar. Vict. p. 85, 21:* trimetrus vero 'Phoebe, tu lyra sonante flecte corda', qui si catalexin habuerit, euripidium vocatur, veluti 'Phoebe tu lyra sonante iam mihi'. *Mar. Plot. p. 529, 22.*

88* *Mar. Vict. p. 84, 21:* Tetrametrum brachycatalectum — solutiones eius. *Heliod. colom. Aristoph. equ. 616 (p. 11 ed. Thiem.):* τὸ ά τροχαϊκὸν τετράμετρον βραχυκατάληκτον. *Hephaest. p. 21, 13. Fragm. Bob. p. 622, 1:* Tetrametrum brachycatalectum, quod, si de solis trochaeis constet, fit commune metro ionico a maiore, ut 'arma

---

1 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** dimetrus ς *B* dimetros *A* 3 *de codic. vid. adnot. ad fr. 37** catalectum *B* iambicum *om. B, add. v conl. Hephaest. p. 20, 12* 4 archeilochium *B* Sol superna qui regis parens deus *Atilius Fortunatianus p. 287, 28* sole uperno (*corr.* sol superne) qui negas pares deos *B* 5 acefalium *B* 6 acatalectum *Keilius* catalecticum *B* 7 o sol superne qui recte pares deos *B* 8 *de codicibus vide adnot. ad fr. 2** 9 subsistat] constet *fragm. Bob.*

qui capit subinde Martiumque tergum'. Per omnia enim loca sotadium metrum trochaeum admittit et solutiones eius.

89* Tetrametrum autem catalecticum, quod archilochium et epicharmium et quadratum (eo quod quattuor metris constet) vocatur, praeter cetera illustre est, aptum festinis narrationibus: est enim et agitatum et volubile, veluti 'tale quale vere dulce sibilat teres donax'. Verum huius tetrametri trochaici quattuor traduntur genera haec, archilochium, item tragicum, comicum et satyricum. Volunt enim archilochium esse, quod ex omnibus trochaeis constat, ut '† quae scabri latus trage ualicta litoris uado'. Tragicum autem, quod plures spondeos

---

qui capit subinde Martiumque tergum'. per omnia enim loca sotadicum metrum trochaeum admittit et solutiones eius. *Caes. Bass. p. 255, 4. Serv. centim. p. 459, 31:* Sotadicum constat tetrametro brachycatalecto, ut est hoc 'Thracium nefas renarrat cantitans hirundo'.

89* *Mar. Vict. p. 84, 26:* Tetrametrum autem — pinnis transvolat. *Fragm. Bob. p. 622, 5:* Tetrametrum catalecticum, quod archilochium et epicharmium et quadratum — metris constet, dicitur, cuius inventor a quibusdam Homerus traditur, 'tale quale vere primo sibilat teres donax' * 'quae scabri latus trage ualicta litoris uado': tragicum, quod plures spondios habeat, 'o parens — Argivum decus': comicum, quod praecipue dactylos et anapaestos admittat, ut est apud Cratinum — ales Ceycis. satyricum, quod complures habeat solutiones et tribrachyn pedem frequenter admittat, ut est item — pinnis transvolat. *Atil. Fortunat. p. 288, 2:* tetrametrum catalecticum 'tale quale vere primo sibilat teres donax': hic, quia quattuor metris constat, et quadratus vocatur. *Cf. [Censor.] de metr. p. 613, 6. Mar. Vict. p. 134, 16. Mall. Theod. p. 595, 12:* fit etiam trochaicum metrum ita, ut in eo adsiduum tribrachys obtineat locum,

---

1 subinde *fragm. Bob.* sub idem *Mar. Vict.* martiumque ϛ *B et fragm. Bob.* artiumque *A* 2 trochaeum *fragm. Bob.* trochaeos *Mar. Vict.* 3 *Victorini locum et grammatici Bobiensis ut fere fieri poterat in unum coniunxi. De codicibus vide adnot. ad fr. 2* et 37*. Ceterum graeca exempla hic quoque ab excerptoribus omissa esse ex fragmento Bobiensi elucet* archilochium & & epicharmium *A* 4 *verba* et quadratum — constet *addidi ex fragm. Bob.* aequatum *cod. Bob.* et (et *add. Keilius*) quadratum *edit. Vindob.* 6 tale quale (*corr.* quare) uere primo sibilat eeres donax *cod. Bob.: inter Septimii Sereni reliquias versum rettulit L. Muellerus post Namatian. p. 48: cf. ea quae supra disputavimus p. 42*

9 comicum et satyricum *B* comicum etiam (ЄT *A*) satyricum *A* ϛ 10 ut *addidi. V.* quae scabri — litoris uado *supplevi ex fragm. Bob.:* quae rapit ligustra grata lecta litoris vado *coniecit Keilius*

habeat et sit elatius, ut 'o parens antiqua nostrae gentis, Argivum decus', comicum vero, quod solutiones habeat complures [item 'Iuppiter tremenda sancte tela qui regis manu'] et praecipue dactylos et anapaestos, ut est apud Cratinum * 'super aquosis fontibus ipsa sederat ales Ceycis'. Satyricum quoque, quod quamvis plurimas habeat, ut superius, solutiones, frequenter tamen tribrachyn pedem, ut est item apud Cratinum * 'qualis aquila cita celeribus rapida pinnis transvolat'.

Dividitur autem tetrametrum trochaicum catalecticum in 90*
dimetrum acatalectum et dimetrum catalecticum, ut est

---

ut est illud apud Iubam, 'qualis aquila cita celeribus avida pinnis transvolat'. *Serv. centim. p. 460, 1. Caes. Bass. p. 267, 16. Diom. p. 507, 23. Fragm. Ambros. p. 254, 8 ed. Nauck.:* Τροχαῖος δ' ἐκλήθη, ὅτι τροχαλὸν ἔχει τὸν ῥυθμόν· καὶ γὰρ ὁ Ἀρχίλοχος ἐπὶ τῶν θερμῶν ὑποθέσεων αὐτῷ κέχρηται, ὡς ἐν τῷ 'Ἑρξίῃ, πῇ δηὖτ' ἄνολβος ἀθροΐζεται στρατός'; *e. q. s. Schol. Aristoph. Ach. v. 204. Cf. Prolegom. nostr. p. 54. Mall. Theod. p. 595, 4:* quod (*sc.* trochaicum metrum) etiam solus trochaeus ita efficere potest, ut citato et minuto quodam cursu feratur. huius exemplum 'pastor ille saepe mane dulce carmen insonat'. *Schol. Hephaest. p. 158, 8:* Ὥσπερ ἐπὶ τοῦ ἰαμβικοῦ κατὰ τὰς ἀρτίους τὸν ἀνάπαιστον ἐλάμβανον οἱ κωμικοί, οἱ δὲ τραγικοὶ καὶ ἰαμβοποιοὶ σπανίως· οὕτω καὶ ἐνταῦθα δακτύλῳ κατὰ τὰς περιττάς φησι χρῆσθαι τοὺς κωμικοὺς διὰ τὸ ὁμιλητικὸν καὶ τὸ βούλεσθαι δοκεῖν τὸ μέτρον εἶναι διαλελυμένον. Τῆς γὰρ πρώτης τοῦ σπονδείου μακρᾶς εἰς δύο βραχείας διαλυομένης ἀνάπαιστος γίνεται· ὁμοίως δὲ καὶ τῆς δευτέρας διαλυομένης ὁ δάκτυλος. *Mar. Vict. p. 52, 33:* trochaici tetrametri catalectici, ut 'Roma, Roma cerne quanta sit deum benignitas'. *Ibid. p. 134, 15. 144, 4:* trochaicus tetrametrus catalecticus pluribus longis in breves solutis sic, 'agite turba Phrygia nunc et quatite gravia tympana'.

---

2 ut *addidi* exemplum tragicum *supplevi ex fragm. Bob.* o parens] *in incertis tragicorum fragmentis posuit Ribbeckius trag. Rom. fragm. p. 248 ed. sec.* 3 sancte tela qui regis manu ς sancte qui regis manu tela *A B* 4 *v.* ut est — ales Ceycis *interserui ex fragm. Bob.* 5 super aquosis fontibus ipsa sederat ales *restituit ex disiectis membris codicis Bobiensis ed. Vindob.* Ceycis *Keilius* tecycis *cod. Bob.* 6 quoque, quod quamvis plurimas *Keilius* quoque qū plurimas *A* quoque cum plurimas ς *B* 7 *v.* ut est item (ut est item *Keilius* est eo *cod. Bob.* ut est *ed. Vind.*) apud Cratinum *suppeditavit fragm. Bob.* 8 rapida ς rapienda *A B* avida *Mallius Theodorus* qualis aquila ita celeribus rapida pennis (*corr.* pinnis) transuolant *cod. Bob.* 10 *de codic. vid. adnot. ad fr. 37** diuit' autem tetrametrum trochaicum catalecticum et dimetrum catalectum ut est *B: supplevit et correxit Keilius*

ictibus secare membra,
corpus omne rumpere.

91* Est praeterea et claudum tetrametrum trochaicum catalecticum, quod hipponactium nominatur: accipit enim pro trochaeo spondium ante novissimam syllabam loco impari, 'o parens, o prisca nostrae gentis ara Romanae'.

92* Tetrametrum hypercatalectum † aicmanos, 'saevus aliger Cupido nos calore sirio gerit'.

90* *Fragm. Bob. p. 622, 22:* Dividitur autem — omne rumpere.

91* *Fragm. Bob. p. 622, 18:* Est praeterea — ara Romanae. *Aristid. Quintil. p. 54 ed. Meib.:* Γίνεται δὲ καὶ χωλὸν ὅταν τις ἐν τῇ τελευταίᾳ τῶν περιττῶν χώρᾳ σπονδεῖος ἐμπέσῃ. *Hephaest. p. 20, 17:* Τοῦτο δὲ τὸ τετράμετρον γίνεται καὶ χωλὸν τοῦ παρατελεύτου ποδὸς σπονδείου γενομένου, οἷόν ἐστι καὶ τὸ 'Μητροτίμῳ δηῦτ' ἐμὲ χρὴ τῷ σκότῳ δικάζεσθαι'. *Schol. Hephaest. p. 156, 10. Diom. p. 507, 29. Mar. Vict. p. 84, 13:* claudum autem id metrum, id est scazon, ita fiet, si spondeum in ultima dipodia versus catalectici tetrametri secundum a supremo pede posueris: nam e contrario in hoc quam in illo erunt dextri trochaei, sinistri, si tamen admittendi sunt, iambi, dumtaxat in tragicis. feritur per dipodian, et erit exemplum tetrametri catalectici, quod hipponacteum vocatur, tale, 'cerne, Crasse, poena quanta sit deum fatiganti'. [non] amat autem verba per syzygias terminare: sic enim decentior erit. *Caes. Bass. p. 258, 5:* Idem fecit Hipponax in scazonte quadrato quod in trimetro, cuius exemplum est 'pro pudor sella in curuli struma Nonius sedit'; item aliter 'haesitat nec excitatur classico truci miles'. de quo plura dicere supervacuum est, cum omnia quaecumque accidunt trimetro scazonti huic quoque accidere possint. *Mar. Vict. p. 136, 31. Serv. centim. p. 460, 4.*

92* *Fragm. Bob. p. 622, 27:* Tetrametrum hypercatalectum — sirio gerit.

93* *Mar. Vict. p. 85, 17:* Igitur pentametrus acatalectus — sorore candidisque. tetrametrus autem 'Phoebe, tu lyra sonante flecte corda cum sorore' *c. q. s. Hephaest. p. 20, 21:* καὶ τῷ πενταμέτρῳ δέ, καίπερ ὄντι ὑπερμέτρῳ, πολλοὺς κεχρῆσθαι συμβέβηκεν· οἷόν ἐστι καὶ τὸ Καλλιμάχου 'ἔρχεται πολὺς μὲν Αἰγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου'.

---

4 ipponactiuum *B* 6 parens] pacens *B: cf. fr. 89* p. 265, 1* ara] alma *coniecit Keilius* 7 aicmanos *B* 'ut est illud Alcmanis *adposito versu Alcmanis scripsisse videtur Iuba, cuius excerpta grammaticus posuit' Keilius: cf. quae supra conieci p. 153* saevus aliger Cupido nos calore sirio gerit *Keilius conl. Mar. Vict. p. 62, 19 et 103, 9* alites cupidines calore cirio gerunt *B* 8 alites cupidines calore Sirio gerunt *v: an* calore sirio ferit?

Pentametrus acatalectus erit talis, 'Phoebe, tu lyra so- 93*
nante flecte corda cum sorore candidisque'.

LIBER V.

Choriambicum metrum compositum ex duobus, e quis 94*
originem trahit, etiam nominis appellatione declaratur: nam trochaeum veteres chorium appellant. Subsistit autem nunc e puris choriambi coniugationibus ita, 'uror amoris stimulo, cor quatit artus pavidos', quod est tetrametrum acatalectum; nunc admixta et posita in quacumque sede iambica basi, cuius etiam conclusione finiri praecipue studet, ut est hoc, quod habet duas iambicas priores coniugationes, tertium choriambum, ultimam iambicam clausulam, velut hoc tetrametrum catalecticum, 'apes legunt mel ex rosa, tu labio ministras'. Recipit etiam tribrachyn, eo quod ex iambo vel trochaeo solutis nascitur; raro autem molossum, qui ex ipso formatur

---

Mar. Plot. p. 530, 13: Ausi sunt quidam excedere tetrametra trochaica et pentametra facere, de quibus per exempla tractemus *e. q. s.*

94* *Mar. Vict. p. 86, 2:* Choriambicum metrum — indifferens est. *Heliod. colom. Aristoph. equ. 551 (p. 11 ed. Thiem.):* τὸ πρῶτον χοριαμβικὸν ἰαμβικὴν ἔχον ἐπιμεμιγμένην ἀκατάληκτον. *Cf. supra p. 61. Aristid. Quintil. p. 54 ed. Meib.:* Τὰ ἐκ τούτων συγκείμενα χοριαμβικόν τέ ἐστι καὶ ἀντισπαστικόν. Τὸ μὲν οὖν χοριαμβικὸν ἐπιδέχεται διποδίαν ἰαμβικὴν καθαράν, καὶ τὴν ἑπτάσημον σπανίως συζυγίαν, καὶ τὴν ἰσόχρονον αὐτῷ. Ἄρχεται δὲ ἀπὸ διμέτρου, καὶ πρόεισιν ἕως τετραμέτρου, ὅτε ἐστὶν ἁπλοῦν· ἔτι δέ καὶ τῶν καταλήξεων τὰς διαφορὰς ἐπιδέχεται. *Hephaest. p. 30, 6:* Τὸ χοριαμβικὸν συντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, συντίθεται δὲ καὶ ἐπίμικτον πρὸς τὰς ἰαμβικάς· ὡς ἐπίπαν δέ, ὅτε καταληκτικόν ἐστιν εἰς τὴν ἰαμβικὴν κατακλεῖδα περαιοῦται, τοῦτ' ἔστιν, εἰς ἀμφίβραχυν, ἢ βακχεῖον διὰ τὴν ἀδιάφορον. Περαιοῦται μὲν γὰρ καὶ εἰς τὴν ἰδίαν, τὸν δάκτυλον, ἢ κρητικόν. *Schol. Hephaest. p. 179, 8:* Τὸ χοριαμβικὸν δέχεται τὸν χορίαμβον καὶ τὰς ἰαμβικὰς συζυγίας· ὅτε δὲ καταληκτικόν ἐστι, τότε τὸν τελευταῖον βακχεῖον ἢ ἀμφίβραχυν ἢ δάκτυλον ἢ κρητικὸν τὸν καὶ ἀμφίμακρον συνεχέστερον. Γίνεται δὲ καὶ διαλυομένης τῆς πρώτης μακρᾶς εἰς δύο βραχείας πεντασύλλαβος ἐκ χορείου καὶ ἰάμβου· ὅθεν ἴσως καὶ χοριαμβικὸν ἐκλήθη. *Diom. p. 505, 21:* Choriambicum

---

1 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** pentametros acatalectos *A* pentametros acatalectus ς *B* 2 canticisque ς

duabus mediis brevibus in unam longam coniunctis, haud alias quam supra tribrachyn per divisionem longae fieri diximus. Hoc genus catalecticum fit vel bacchio a brevi incipiente vel eo qui amphibrachys vocatur: nam sicut saepe diximus, novissima indifferens est.

95* Scanditur autem per dipodias.

96* Monometrum autem choriambicum hypercatalectum, quod etiam dactylico dimetro catalectico concurrit, est tale,

o quis Adonem
spem Cythereae.

97* Quod genus si hexametrum sit, philicium de auctoris tragoediographi nomine nuncupabitur, aptum canendis laudi-

---

metrum constat choriambo pede quadrato, a quo nomen sumpsit. a dimetro autem in tetrametrum longiatur. feritur per dipodian quater, in qua antecedit trochaeus, sequitur iambus, sed interdum priore trochaei syllaba in duas breves resoluta tribrachyn admittit. mediae duae quoque dipodiae iambicae optime ponuntur; quartae clausula, id est ultimus pes, aut bacchio aut amphibracho terminatur, vel potius iambica dipodia conlocatur, in qua antecedit anapaestus, sequitur una syllaba. *Mar. Plot. p. 534, 9. Mall. Theod. p. 597, 2. Atil. Fortunat. p. 288, 15:* tetrametrum acatalectum 'uror amoris stimulo, cor quatit artus pavidos'. *Mar. Vict. p. 101, 27. 144, 16. Caes. Bass. p. 259, 3. 263, 23. 268, 21. Mar. Vict. p. 127, 26. 149, 32.*

95* *Mar. Vict. p. 86, 20:* Scanditur — dipodias, cuius exemplum in tetrametro catalectico 'o cate rerum sator, o principium deorum'. *Cf. Terentian. Maur. 1891. Schol. Hephaest. p. 180, 8:* Μετρεῖται δὲ κατὰ διποδίαν καὶ τοῦτο, δηλαδὴ τὸ χοριαμβικόν.

96* *Mar. Vict. p. 86, 22:* Monometrum autem — spem Cythereae. *Hephaest. p. 44, 21. Cf. supra lib. III fr. 38*:* versus dimetrus (*sc.* dactylicus), qui duobus suis dumtaxat pedibus subsistit, tamquam 'terruit urbem', qui concurrit etiam in choriambicum monometrum hypercatalectum, quod adonidium appellatur. *Mar. Plot. p. 516, 22. Atil. Fortunat. p. 288, 6:* Choriambicum metrum constat initialibus locis ipso choreo, id est trochaeo, et tribracho, in sequentibus iambo. dimetrum hypercatalectum 'o quis Adonem', dimetrum acatalectum 'sanguine quis purpureo', trimetrum catalecticum 'heu miserandae volucres Martiae', tetrametrum catalecticum 'quoque vocarit volucer te choriambus ito'.

97* *Mar. Vict. p. 86, 16:* Quod genus — Iovi potenti. *Hephaest. p. 31, 20:* Φίλικος δὲ ὁ Κερκυραῖος, εἷς ὢν τῆς Πλειάδος, ἑξαμέτρῳ συνέθηκεν ὅλον ποίημα· 'τῇ χθονίῃ μυστικὰ Δήμητρί τε καὶ Φερσεφόνῃ καὶ Κλυμένῳ τὰ δῶρα'. τοῦτο δὲ καὶ ἀλαζονεύεται εὑρηκέναι Φίλικος λέγων,

---

4 qui] quod *B* 9 Adonem *Atilius Fortunat. p. 288, 8* ad omnem *A B* ς 11 filicium *A B* phrynichium ς

bus Cereris et Liberae, ut est ʽfrugiferae sacra deae, quae colitis, mystica sunt nota Iovi potenti'.

Igitur ut a fastigio metri ad minora decursum habeamus, erit in hoc hexametrum catalecticum, quod philicium nuncupari diximus, quodque constat ex quinque choriambis et bacchio ultimo ita, ʽLydia, dic perdere cur hunc cupias: quid retices? quid dubitas? quid haeres?' pentametrum autem, quo frequenter Cratinus usus est, catalecticum sic, ʽLydia, dic perdere cur hunc cupias: quid retices maligne?' tetrametrum vero ʽLydia, dic perdere cur hunc cupias: quid haeres?' trimetrum etiam, quod et aphrodisiacum dicitur, ʽLydia, dic per- 98*

ʽκαινογράφου συνθέσεως τῆς Φιλίκου, γραμματικοί, δῶρα φέρω πρὸς ὑμᾶς'. ψεύδεται δέ· πρὸ γὰρ αὐτοῦ Σιμμίας ὁ Ῥόδιος ἐχρήσατο ἔν τε τῷ Πελέκει, ʽἈνδροθέᾳ δῶρον ὁ Φωκεὺς κρατερᾶς μηδοσύνας ἦρα τίνων Ἀθάνᾳ'. κἀν ταῖς Πτέρυξι, ʽλεύσσετε τὸν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ' Ἀκμονίδαν τ' ἄλλυδις ἑδράσαντα'. πλὴν εἰ μὴ ἄρα ὁ Φίλικος, οὐχ ὡς πρῶτος εὑρηκὼς τὸ μέτρον λέγει, ἀλλ' ὡς πρῶτος τούτῳ τῷ μέτρῳ τὰ ὅλα ποιήματα γράψας. *Caes. Bass. p. 263, 23:* Philicius versus ex duplici pede constat, quem bacchicon musici, choriambicon grammatici vocant. habet longam et duas breves et longam, id est trochaeum et iambum. hoc autem Philicus conscripsit hymnos Cereri et Liberae, tali genere metri, quod scilicet sacricolis (*cf. supra p. 66 adn.*, et sacris aris *coni. Hauptius Herm. t. VIII p. 247*) et arcanae deorum venerationi credidit convenire. apud nostros hoc metrum non reperio. exemplum eius tale est, ʽfrugiferae sacra deae quae colitis mystica iunctaeque Iovi nefasto'. hunc hexametrum ex numero bacchico composuit Philicus, quo usus est etiam Archebulus, de quo auctore supra rettuli; clusit autem antibaccheo. *Schol. Hephaest. p. 182, 18:* Αὕτη δὲ ἡ χρῆσις ἣν περιφέρει αὐτοῦ οὐκ ἔστι στίχος ἀλλὰ περίοδος· ὑπερβαίνει γὰρ τὸ δυοτριακοντάσημον· ἡ δὲ Καλλιμάχου πεντάμετρος οὖσα οὐχ ὑπερβαίνει. ἰστέον δὲ ὅτι οὐδέποτε τριακονταδύο χρόνους ὑπερβαίνει μέτρον, ἐπεὶ εἰς περίοδον ἐμπίπτει. *Mar. Plot. p. 536, 18:* Hexametrum catalecticum choriambicum, quod philicium dicitur, constat quinque choriambis, sexto pede, id est novissimo, amphibrachy, ʽte potius, Bacche pater, teque decens canto Venus, qui modicos amatis'.

98* *Mar. Vict. p. 86, 26:* Igitur ut — dic cur. *Hephaest. p. 31, 17:* Καὶ τῷ πενταμέτρῳ δὲ Καλλίμαχος ὅλον ποίημα τὸν Βράγχον συνέθηκε, ʽδαίμονες εὐυμνότατοι Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ Διδύμον γενάρχαι'. *Serv.*

---

1 Liberae *Santenius in Terentian. p. 325 et apud Atilium Fortunatianum Salmasius in Simmiac alas p. 185* liberi *A B* ς 2 mystica sunt nota Iovi potenti] mystica iunctaeque Iovi nefasto (*i. e.* χθονίῳ) *Caesius Bassus* 4 philicium] phrynichium ς 6 Lydia] *cf. Hor. carm. I 8, 1* 8 Cratinus] Callimachus *coniecit Keilius* 9 maligna *Camerarius* 10 quid haeres *Keilius* quid ais *A B* ς 11 aphrodisiacum *B a* ς aphrosidiacum *A* aproasiacum *Val.*

dere cur hunc velis'; dimetrum quoque 'Lydia dic canoro'. Huic si * primam longam mutaveris, id est si trochaeo retracto iambum posueris, metrum antispasticum, quod est huic contrarium, figurabis, ut 'libens Lydia dic cur'.

99* Heptametrum catalecticum choriambicum purum, quod Phrynichum comicum, auctorem eius artis, tradidisse et sui nominis appellatione signasse dicunt. Nam est tale, 'da mihi poclo Veneris mixta, Thyonigena, vel Gratia quod det roseo labello'. Ultra quam proceritatem choriambicum non facile possis reperire.

100* Invenimus plerumque et alios choriambicos [tetrametros catalecticos] versus, in quibus omnes longae initiales choriamborum pedum syllabae in duas breves divisae ambiguum ver-

---

centim. p. 463, 13: callimachium constat tetrametro et antibaccho, ut est hoc 'armipotens Mars genitor Romulidarum venias precamur'. *Mar. Plot. p. 536, 14:* Choriambicum catalecticum pentametrum callimachium fit quattuor choriambis, quinto pede amphibrachy, 'nec babylonos numeros ut melius quicquid erit geremus'. *Mar. Vict. p. 53, 4:* choriambici tetrametri acatalecti, ut 'Lydia dic perdere cur hunc cupias, quid retices'. *Ibid. p. 144, 18. Ibid. p. 130, 11:* ponamus enim exempli causa choriambicum trimetrum hypercatalectum, non ex solis choriambis, sed [ad]mixtum, ut sit prima quidem coniugatio diiambus, secunda choriambus, tertia diiambus et syllaba, quando hypercatalectum est, ut est 'caduca popli coma glauca iam per agros': per singulas vel adiectiones vel etiam translationes varias efficit figuras. *Mar. Plot. p. 534, 12:* Choriambicum dimetrum catalecticum fit hoc modo, choriambo et dactylo vel amphimacro, 'ἱστοπόνοι μείρακες', 'quaesieris scire hoc'.

99* *Mar. Vict. p. 87, 20:* Sicut et hoc heptametrum catalecticum — possis reperire.

100* *Mar. Vict. p. 87, 7:* Invenimus plerumque — acatos biremis. *cf. Hephaest. p. 31, 6:* Ἀνακρέων δὲ ἐπετήδευσε τὴν πρώτην συζυγίαν δι' ὅλου ᾄσματος ἐκ τριβράχεος καὶ ἰάμβου ποιῆσαι, ὡς εἶναι κοινὴν λύσιν τῆς τε χοριαμβικῆς καὶ τῆς ἰαμβικῆς, 'ἀναπέτομαι δὴ πρὸς

---

1 cur velis hunc *coniecit Keilius* dimetrum quoque *Keilius* dimetrumque *A B* ς 2 *lacunam ita supplet Keilius:* huic si duas syllabas a fine detractas praeposueris, primam longam in brevem mutaveris 3 metrum antispasticum *Keilius* metrum antispastum *A B* ς 5 hexametrum ς 6 *v.* auctorem eius artis *secluserim* 7 da mihi poclo Veneris mixta Thyoni gratia quod de roseo labello ς 8 proclo *A B* mixta Thyoneu mera vel *coniecit Keilius* quod det roseo *Keilius* quod et roseo *A B* 11 *v.* tetrametros catalecticos *seclusit Keilius* 13 pedem *B*

sum efficiunt. Erunt enim coniugationes de tribrachy et iambo formatae, tamquam 'super agit aura mare ferens procul acatos biremis'.

Coniugatio antispasti, ut Iuba noster atque alii Graeco- 101
rum opinionem secuti referunt, non semper ita perseverat, ut in principio pedis iambus collocetur. Indifferenter enim auctores lyrici metro antispastico initia praestituerunt: saepe enim pro iambo primo aut spondeus aut trochaeus aut pyrrichius ponitur, quarum differentiarum exempla promemus. Nam si sit iuxta legem pedis ex iambo [et trochaeo] initium metri, fit purum antispasticum metrum acatalectum, quod tamen iambica depositione concluditur, ut 'erat sus Calydonius edax et fera belua'. Si autem spondeus pro iambo po-

---

Ὄλυμπον πτερύγεϲϲι κούφαιϲ'. *Mar. Vict. p. 87, 12:* Hoc quoque, ne praeterisse ignoratione videar, attingam. legimus apud Horatium in ea ode, cuius initium est 'Lydia, dic per omnes | hoc deos vere', legem metri admisso spondeo minime custoditam, id est os ve. nam iambum illic, qui trochaeum sequitur, esse convenerat. quodsi legem metri in omni versu servare voluisset, 'hoc dea vere' posuisset, ut esset choriambus pes habens clausulam antibacchi ultimam huius modi, 'cur properas amando'. quod silentio dari haud passus sum. *Ibid. p. 165, 23. Caes. Bass. p. 270, 3. Atil. Fortunat. p. 300, 19.*

101 *Mar. Vict. p. 87, 27:* Scio quosdam *(vid. supra p. 33)* super antispasti specie recipienda inter novem prototypa dubitasse. nam raro admodum veteres integrum ex eo carmen, quod sit natura scabrum inter rhythmos atque asperum, composuisse perhibentur. verum cum idem pari cognatione, qua et inter se alii pedes, de quibus supra dictum est, cum choriambo copuletur, siquidem antispastus duabus utrimque brevibus duas longas in medio sitas habeat, choriambus autem duabus utrimque longis medias duas breves teneat, consentanea ratione locum eidem auctoritatemque inter principalia, id est primiformia, novem metra ipsa parilitatis, qua inter se congruunt, contemplatione vindicandam esse dixerunt. quid ergo super hoc in dubium primos auctores deduxerit, plenius referam. c o n i u g a t i o a n t i s p a s t i — s u n t, r e p e r i t u r. *Arist. Quintil. p. 54 ed. Meib.:* Τὸ δὲ ἀντιϲπαϲτικὸν μετρεῖται μὲν τῷ ὁμωνύμῳ ποδί· πολλάκιϲ δὲ τὸν πρότερον διϲύλλαβον καὶ εἰϲ τοὺϲ ἄλλουϲ διϲυλλάβουϲ μεταβάλλει· εὐπρεπέϲτερον μὲν ἦν καὶ εἰϲ ϲπονδεῖον, ϲπανίωϲ δὲ εἰϲ τοὺϲ λοιπούϲ· καὶ ἀρξάμενον ἀπὸ διμέτρου πρόειϲιν ἄχρι τετραμέτρου, τὰϲ εἰρημέναϲ χρήϲειϲ τοῦ κατ' ἀρχὴν ποδὸϲ ἐν πάϲῃ χώρᾳ παραλαμβάνον,

---

2 super abit aura *Camerarius*   7 initia *bis scriptum habet A*   praestituerunt *Keilius* praestiterunt ς perstiterunt *A B*   8 porrichius *A*   10 pedis ς *B* pedes *A*   *v.* et trochaeo *seclusit Keilius*   initium *B Val.* ς itium *A*   12 sus ς *B* sys *A*

natur, fit coniugatio pro antispasto epitriti quarti, ut 'o qui praeter agis caeruleo flumine limites'. Si vero a trochaeo fiat initium, erit ex ditrochaeo coniugatio, ut 'aura purpureum per pelagus segniter ad petras'; si autem a pyrrichio, fit coniugatio paeonis tertii, ut 'domus alta fuit, quae Danaen Acrisii tegens'. Quae commutatio plerumque inter initia versuum fit nec facile in medietate nisi in eo genere metrorum, quae ἀϲυνάρτητα id est inconexa sunt, reperitur.

102* Vitat autem hoc metrum suis pedibus concludi: nihil enim erit hac pedum clausula asperius, nihil durius.

103* Est autem antispasticum monometrum hypercatalectum,

τὴν κατάληξιν εὐπρεπείαϲ ἕνεκεν εἰϲ ἰαμβικὴν καθαρὰν ποιεῖται. Ὅτε δὲ καταληκτικὰ γίνεται, δέχεται καὶ τὸν ἀμφίβραχυν, ἢ τὸν βακχεῖον. Καὶ ὁτὲ μὲν ταῖϲ περιτταῖϲ προκειμένηϲ ἀντιϲπαϲτικῆϲ ἐπιφέρει τὴν ἰαμβικήν, ὁτὲ δὲ τοὐναντίον ποιεῖ. Ὁμοίωϲ καὶ τῆϲ ἰαμβικῆϲ τὸν πρότερον πόδα τρέπον εἰϲ τοὺϲ λοιποὺϲ διϲυλλάβουϲ· ἐνίοτε δὲ εἰϲ τρίβραχυν, ἢ ἀνάπαιϲτον, διὰ τὴν πρὸϲ τὸν ἴαμβον ϲυγγένειαν. *Hephaest. p. 32, 15:* Τὸ ἀντιϲπαϲτικὸν τὴν μὲν πρώτην ϲυζυγίαν ἔχει τρεπομένην κατὰ τὸν πρότερον πόδα εἰϲ τὰ τέϲϲαρα τοῦ διϲυλλάβου ϲχήματα· τὰϲ δὲ ἐν μέϲῳ, καθαρὰϲ ἀντιϲπαϲτικάϲ· τὴν δὲ τελευταίαν ὁπότε ἐϲτὶν ἀκατάληκτον, ἰαμβικὴν *e. q. s. Schol. Hephaest. p. 183, 13:* ἀλλὰ δεῖ λέγειν ὡϲ πολλοὶ τῶν ἄλλων μετρικῶν φαϲίν, ὅτι δέχεται τὸν πρῶτον πόδα ἀντίϲπαϲτον ἢ ἐπίτριτον τέταρτον τουτέϲτιν ἐκ τριῶν μακρῶν καὶ μιᾶϲ βραχείαϲ, ἢ παίωνα τρίτον τουτέϲτιν ἐκ δύο βραχειῶν καὶ μακρᾶϲ καὶ βραχείαϲ, ἢ διτρόχαιον ἐκ μακρᾶϲ καὶ βραχείαϲ καὶ μακρᾶϲ καὶ βραχείαϲ, τὰϲ δὲ μέϲαϲ ἀντιϲπαϲτικὰϲ καὶ ἰαμβικάϲ, τὴν δὲ τελευταίαν ὅτε ἐϲτὶν ἀκατάληκτον ἰαμβικήν, ὅτε δὲ˙ καταληκτικὸν (βακχεῖον˙) καὶ (τὴν) ταῖϲ ἰαμβικαῖϲ ἑπομένην ϲυζυγίαν (ἀντιϲπαϲτικὴν τρεπομένην κατὰ τὸν πρῶτον πόδα εἰϲ τὰ τέϲϲαρα τοῦ διϲυλλάβου ϲχήματα). *Keilius Quaest. grammat. p. 16 n. Cf. Goerlitzius part. alt. p. 29. Diom. p. 505, 13:* Antispasticum metrum componitur antispasto, admittit autem et iambicam basin per sympathian. et prima quidem regio primae gressionis antispasticae magnitudinis omni genere a poetis movetur. *Atil. Fortunat. p. 288, 18:* Antispasticon metrum Sappho invenit: constat iambo et trochaeo, conceditur tamen in ϲυζυγίᾳ prima primo loco pro iambo quovis alio pede disyllabo uti, pyrrichio aut spondeo aut trochaeo. *Mall. Theod. p. 598, 17:* sciendum sane, cum antispastus pes constet *. pro primo autem si aut iambus aut pyrrichius aut spondius aut trochaeus poneretur, huius metri excellentior et latior usus esset.

102* *Mar. Vict. p. 89, 13:* vitat autem — nihil durius. *Arist. Quintil. p. 54 ed. Meib. Mar. Vict. p. 95, 5. Mall. Theod. p. 597, 26. Ibid. p. 599, 22.*

103* *Mar. Vict. p. 88, 23:* Est autem — Canthara comere. *Heliod. colom. Aristoph. Ach. 358. 490 (p. 18 ed. Thiem.) Cf. supra*

---

5 acrisii ς *B* acrisi *A* 7 metrorum *Keilius* uersuum *A B* ς

quod et dochmiacum dicitur, 'volant praepetes'; dimetrum brachycatalectum, quod quidam pherecration ἀτελές vocant, 'choreisque cantat'; trimetrum catalecticum anacreontium ita, 'amor te meus o pulchra puella'; tetrametrum acatalectum 'amor sidereus cor pepulit flammigero oestro'; pentametrum acatalectum alcaicum 'rogas, non amo, sic se solet Aetola sago Canthara comere'.

Quae admixta sunt iambicis coniugationibus antispastica, 104*
et iucundiora sunt et sonora, quod accidere etiam in choriambicis versibus diximus quadam iamborum pedum quasi con-

---

p. 62. Hephaest. p. 33, 1: πενθημιμερὲς μέν, τὸ καλούμενον δοχμιακόν, οἷον 'κλύειν μαίεται | τὸν ἐγχώριον'. *Heliod. colom. Aristoph. nub. 457 (p. 14 ed. Thiem.):* τὸ πέμπτον Φερεκράτειον ἀτελές. *Cf. supra p. 62. Diom. p. 505, 15:* longiatur autem a dimetro usque pentametrum. *Atil. Fortunat. p. 289, 20:* dimetrum hypercatalectum 'volant praepetes', trimetrum catalecticum 'quae rupes habeant hic et opacae', tetrameter brachycatalectus 'Maecenas atavis edite Pegaee bonis': item si unam syllabam adieceris, erit catalecticus, 'Maecenas atavis edite Pegaee beatis'; acatalectus 'Maecenas atavis edite Pegaee Reatine'. *Ibid. p. 296, 10. 14. Serv. centim. p. 463, 22:* anacreontium constat trimetro catalectico, ut est hoc, 'curas mitificant dona Lyaei'. *Hephaest. p. 35, 5:* Τὸ δὲ ἀκατάληκτον καλεῖται Σαπφικὸν ἑκκαιδεκασύλλαβον· ᾧ τὸ τρίτον ὅλον Σαπφοῦς γέγραπται· πολλὰ δὲ καὶ Ἀλκαίου ᾄσματα. 'Νύμφαις ταῖς Διὸς ἐξ αἰγιόχω φασὶ τετυγμέναις'. Σιμμίας δὲ καὶ τῷ ὑπερκαταλήκτῳ κέχρηται, 'τὸν στυγνὸν Μελανίππου φόνον αἱ πατροφόνων ἔριθοι'. ὅπερ καὶ καλεῖται Σιμμιακόν· ὁ δὲ Ἀλκαῖος καὶ πενταμέτρῳ ἀκαταλήκτῳ ἐχρήσατο, 'Κρονίδα βασιλῆος γένος, Αἴαν, τὸν ἄριστον πέδ' Ἀχιλλέα'. *Mar. Vict. p. 167, 22:* Vndecima ode lyricorum asmatum 'tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi quem tibi'. hoc metrum quidam *(cf. supra p. 127)* inter prototypa, id est primiformia, volunt accipi et appellant antispasticon heccedecasyllabon sapphicon, quidam a choriambico derivatum adserunt. nam ferunt omne asclepiadeum accepta choriambica syzygia, id est ut tres choriambos copulatos habeat, sicut hic, facere antispasticum, quod ita percutiatur, ut habeat primo loco epitritum, quem et hippium dicimus, quartum, dehinc duos antispastos, ultimum diiambum versum claudentem, qui non numquam dibrachy in fine posito in paeona secundum convertetur. *Ibid. p. 172, 7. 181, 6.*

104* *Mar. Vict. p. 88, 34:* Haec de simplicibus antispastis. quae admixta — Cupido nobis. memineris sane, ne te forte confundat in quibusdam antispasticis colis numerus plurium syllabarum. nam ubi solutio longae syllabae fit, syllabarum quidem numerus augetur, tempo-

---

1 volant praepetes *ex Atilio Santenius in Terentian. p. 130* uolat praepetes *A B* uolat praepes ς 3 choreisque *Thiemannus in Heliod. colom. p. 114* choreis *A B* ς 5 sidereus *B Val.* ς sidereu$\overset{s}{\text{m}}$ *A* 6 rogas ς cum rogas *A B* Aetola *Keilius* actola *A* accola ς *B* 7 sago *Keilius* fago *A B* ς

iugatione coniuncta, veluti trimetrum catalecticum, quod solam habeat primam coniugationem antispasticam, pars autem eius residua iambico dimetro catalectico suppleatur, ut 'libens hoc tibi * persolvo, amare nolo quemquam': tetrametrum catalecticum, quod habet iambicam coniugationem, ut '†flavo crine superbit, et gaudet Aeacides iam': tetrametrum brachycatalectum, quod habet alternos antispastos et diiambos pedes, incipit autem ab antispasto, ut 'agebat volucres equos in hortis Amyntas'; item ex duobus antispastis et iambico dimetro catalectico, ut 'amorum comites sunt Venus et Cupido nobis'.

LIBER VI.

105* Ionicum metrum quidam a genere hominum vocabulum

---

rum autem perseverat. *Ibid. p. 53, 6:* antispastici tetrametri brachycatalecti, ut 'libens hoc tibi persolvo, nihil me sic iuvat'. *Hephaest. p. 32, 19:* ἐὰν δὲ ἀναμίϲγηται ταῖϲ ἰαμβικαῖϲ, οὐ μόνον τὴν πρώτην ϲυζυγίαν ἔχει τρεπομένην κατὰ τὸν πρότερον πόδα, ἀλλὰ καὶ τὴν ταῖϲ ἰαμβικαῖϲ ἑπομένην. ἔϲτι δὲ ὅτε καὶ λύεται ὁ πρότεροϲ ποὺϲ εἰϲ τρίβραχυν. *Mar. Vict. p. 94, 15:* evenit autem ut choriambica et antispastica iambicis coniugationibus, ionica vero trochaicis, quae sunt diversarum amplexionum, misceantur. *Ibid. p. 130, 24:* contra autem eidem versui si brevem syllabam initio adiungas, pro ionico faciet antispasticum metrum, et pro admixtione trochaica facit iambicam, et fit versus antispasticus tetrametrus catalecticus secundam tantum habens antispasticam coniugationem, quae fuit prius ionica, ut est 'volat caduca popli coma glauca iam per agros'; et erit similis huic sapphico, 'aprica veris aura est, ubi flore rura lucent'.

105* *Mar. Vict. p. 90, 18:* Ionicum metrum — per dipodias. *Aristid. Quintil. p. 37 ed. Meib.:* Ἰωνικὸϲ δὲ διὰ τὸ τοῦ ῥυθμοῦ φορτικόν, ἐφ' ᾧ καὶ οἱ Ἴωνεϲ ἐκωμῳδήθηϲαν. *Schol. Hephaest. p. 135, 5:* ἰωνικὸϲ μέν, ὅτι οἱ Ἴωνεϲ αὐτῷ ἐκέχρηντο. *Ibid. p. 190, 25:* χαῦνά

---

3 libens] '*Victorinus plura trimetrorum exempla adscripsisse videtur, e quibus initium prioris versus cum fine alterius relictum est' Keilius: sed fortasse* persolvo *ex Mar. Vict. p. 53, 7 huc perperam inlatum est* 4 que$\overset{n}{m}$quam *A* quemquam *corr.* quenquam *Val.* 5 quod habet — 6 Aeacides iam] *exspectaveris conl. Hephaest. p. 34, 17:* quod habet iambicam coniugationem mediam, ut 'flavo crine superbit exsultatque Aeacides iam' 8 in hortis *Keilius* marotis *A B* Maronis ς 12 a *om. A B, add.* ς

accepisse existimarunt, quod in rhythmo et satis prolixum et satis molle, sicut eiusdem gentis homines adseverantur. Scanditur autem per dipodias.

Ionicus a maiore, quem musici ἀπὸ μείζονοϲ vocant, constat, ut supra docuimus, ex duabus longis subiectis sibi totidem brevibus, id est ex spondeo et pyrrichio vel ex molosso novissima eius longa in duas breves divisa, quem merito utraque ionica admittunt. Ex quo intellegitur in his arsin et thesin non in aequalitatis, sed in dupli ratione subsistere. Nam supra docuimus ea esse optima metra, quae aequalitatis ratione constant, propter quod utrumque hoc ionicum, quando ex dupli ratione subsistit, magis rhythmis quam metris proprium est. 106*

Admittit autem solutionem duarum praecedentium longarum varie. Nam primae longae solutio [syllabae] facit ex anapaesto et pyrrichio coniugationem: secundae vero ex dactylo et pyrrichio habebit copulationem, quae sunt communes utris- 107*

εἰϲι τὰ ἰωνικά. *Fragm. Ambros.* περὶ τῆϲ τῶν ποδῶν ὀνομαϲίαϲ *p. 262, 3 ed. Nauck.:* οἱ δὲ ἰωνικοὶ ἐκλήθηϲαν ἀπὸ τῶν Ἰώνων τῶν τρυφηλῶν, ἐπειδὴ κατὰ μίμηϲιν ἐκείνων μαλθακόν τε καὶ ἀναβεβλημένον καὶ χαῦνον ποιοῦϲι τὸν ῥυθμόν· ἑλκεχίτωνεϲ γοῦν οἱ Ἴωνεϲ. *Varron. Sat. Men. p. 181 ed. Ries. Excerpt. gramm. p. 274, 17:* ionicon ἀπὸ μείζονοϲ aptum sotadicis versificationibus et mollibus versibus. *Cf. quae supra monui p. 54.*

106* *Mar. Vict. p. 89, 17:* Ionicus a maiore — proprium est. *Arist. Quintil. p. 55 ed. Meib.:* Τῶν δὲ ἰωνικῶν τὸ μὲν ἀπὸ μείζονοϲ ϲύγκειται διὰ ϲπονδείου καὶ πυρριχίου. *Cf. fr. 11* p. 180, 15. Cf. supra p. 42.*

107* *Mar. Vict. p. 89, 24:* Admittit autem — ionici, permanentibus. *Ibid. p. 90, 13:* similiter anapaestum et pyrrichium geminatos recipit. *Schol. Hephaest. p. 192, 3:* λυομένων τῶν ἄκρων τοῦ ἰωνικοῦ γίνεται ἀνάπαιϲτοϲ ἐκ δύο βραχειῶν καὶ μακρᾶϲ, καὶ πυρρίχιοϲ ἐκ δύο βραχειῶν. *Mar. Plot. p. 539, 27:* ionicum maius inter-

---

1 quod sit rhythmo et satis prolixo et satis molli *vel* quod rhythmum faciat satis prolixum et satis mollem *coniecit Keilius: malim verbis* genere hominum *deletis:* ionicum metrum quidam inde vocabulum accepisse existimarunt, quod sit rhythmo et satis prolixum et satis molle, sicut et eiusdem gentis homines adseverantur: *cf. Aristid. Quintil. l. s. s.* 10 supra] *fr. 13* B p. 193, 13* 12 proprium *Keilium* proximum *A B* ς

que ionicis. Nam si tertiam longam minoris ionici in duas breves dividas, fit ex pyrrichio et anapaesto coniugatio; si autem quartam, ex pyrrichio et dactylo, temporibus dumtaxat in sua mensura ac spatio, quo censentur ionici, permanentibus.

108* Recipit hoc metrum trochaicas bases, id est duplicem trochaeum, qui totidem temporum est, sicut et iambicas bases choriambicum et antispasticum, quod fieri dicunt sed et vocant κατὰ ϲυμπάθειαν.

109* Adaeque et tribrachyn cum trochaeo seu contra mutato situ sociatos dumtaxat admittit. Quod fit, ut supra ostendimus, cum longae solvuntur in breves etiam in trochaica con-

---

dum puro ionico scanditur, μή μοι λέγε, 'solem colo'; interdum soluta longa prima componitur, ut sit ex anapaesto et pyrrichio, ἔλεγον λέγε, 'nive candidum'; interdum duabus longis solutis, ut sit compositum ex proceleumatico et pariambo, ἑλικοβλέφαρε, 'colere Cererem'.

108* *Mar. Vict. p. 90, 10:* Recipit hoc metrum — κατὰ ϲυμπάθειαν. *Hephaest. p. 35, 15:* Τὸ δὲ ἀπὸ μείζονοϲ ἰωνικὸν ϲυντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, ϲυντίθεται δὲ καὶ πρὸϲ τὰϲ τροχαϊκὰϲ ἐπίμικτον. *Schol. Hephaest. p. 189, 25:* Ἰϲτέον δ' ὅτι (τὰ) ἰωνικὰ εἴωθε δέχεϲθαι καὶ τροχαϊκὰϲ ὅτε ἐϲτὶ κατὰ ϲυμπάθειαν (ἐπίμικτα), ὡϲ τὰ χοριαμβικὰ καὶ ἀντιϲπαϲτικὰ τὰ ἰαμβικά. *Ibid. p. 190, 16:* Ἐζητεῖτο δὲ διὰ τί τὰ ἰωνικὰ ἐδέξαντο τοὺϲ διτροχαίουϲ· ἐπιλυόμεθα δὲ οὕτωϲ· τοῖϲ ἰωνικοῖϲ ἐνδέουϲι μετρικοὶ πόδεϲ, εἰϲὶ γὰρ ἐκ ϲπονδείου καὶ πυρριχίου τὰ ἰωνικά. μετρικοὶ δὲ πόδεϲ εἰϲὶ τροχαῖοϲ ἴαμβοϲ δάκτυλοϲ ἀνάπαιϲτοϲ, οἵτινεϲ τῇ ποικιλίᾳ τῶν χρόνων κοϲμούμενοι μέτρα ἴδια ποιοῦϲιν· οὗτοι δὲ καλοῦνται μετρικοὶ καὶ ῥυθμικοὶ πόδεϲ· τὰ δὲ ἰωνικὰ μέτρα μὴ ἔχοντα τὴν ϲύϲταϲιν (ἐκ τούτων), τούτων ἐδεήθηϲαν, ἐπεὶ χαῦνά εἰϲι τὰ ἰωνικά, τὰ δὲ τροχαϊκὰ ϲύντονα· ὅπωϲ οὖν κρᾶϲίϲ τιϲ γένηται, ϲυνῆλθόν τοῖϲ ἰωνικοῖϲ τὰ τροχαϊκά. Ἅπαξ δὲ τῶν διτροχαίων ἐμπεϲόντων εἰϲ τὰ ἰωνικά, τοῖϲ ἀντιπαθέϲι τῶν ἰωνικῶν ϲυνῆλθον αἱ ἰαμβικαὶ διποδίαι, φημὶ δὴ τῷ ἀντιϲπαϲτικῷ καὶ χοριαμβικῷ. *Diom. p. 505, 29:* Ionicus maior constat homonymo pede, admittit autem κατὰ ϲυμπάθειαν basin trochaicen. *Mar. Plot. p. 540, 2:* commiscetur autem huic metro et ditrochaeus * et chorio, sed tribrachy, καλλικέλαδε, 'arma gerere'; et a chorio, sed tribrachy, et trochaeo, φιλοχορευτά, 'tabula lecta': sed omnibus pedibus temporum sex.

109* *Mar. Vict. p. 90, 14:* Adaeque et — appellat, efficit. *Schol. Hephaest. p. 192, 5:* τοῦ δὲ τροχαίου λελυμένου γίνεται ὁ τρίβραχυϲ. Συγγενὴϲ οὖν ὁ τροχαῖοϲ τῷ ἰωνικῷ. Τῶν γὰρ δύο μακρῶν τῶν ἄκρων λυθειϲῶν εἰϲ τέϲϲαραϲ βραχείαϲ καὶ τῶν δύο βραχειῶν μενουϲῶν ἓξ (βραχεῖαι) γίνονται αἱ πᾶϲαι· αἱ δὲ ἓξ βραχεῖαι, ἄδηλον, εἴτε τοῦ ἰωνικοῦ λυθέντοϲ, εἴτε τοῦ τροχαίου γεγόναϲιν.

---

4 censetur *B* *v.* quo — ionici *secluserim* 6 basis *A B* 7 basis *A B* 11 supra] *fr. 107**

iugatione, quam familiariter suscipit. Quae coniugatio pedem tetrasyllabum ditrochaeum, id est duplicem trochaeum, quem dichorium in Oratore Cicero noster appellat, efficit.

Observabimus pedem molossum maiori ionico in fine, 110*
minori autem inter initia ponere et cavere ne in medietate collocetur.

Dimetrum brachycatalectum 'veris coma florens'. 111*

110* *Mar. Vict. p. 89, 31:* recipit, ut diximus, et hippium, id est molossum, e tribus longis dumtaxat in fine, et appellatur metrum cleomachium. nam si maioris ionici duas breves in unam contrahas longam (pari etenim lege, ut longa in duas breves solvitur, ita duae breves in unam longam conectuntur), ergo si breves duas in unam longam contrahas, eveniet ut sequentibus aliis longis duabus eiusdem pedis quinque continuae longae syllabae fiant et incertum sit, utrum molossus an spondeus prior positus habeatur. at in eo qui a minori est ionicus idem contra est. primae enim eius duae breves conciliatae molossum facient, dehinc sequens ionicus a brevi (*l.* a bibrevi) initium sumet, ex quo fit ut quinque longarum continuatio eiusdem interiectione secernatur. ergo observabimus pedem — medietate collocetur. *Arist. Quintil. p. 55 ed. Meib.:* Πολλάκιϲ δὲ καὶ τὸν μολοϲϲὸν παραλαμβάνει, ϲυνάγον τὰϲ βραχείαϲ εἰϲ μακρὰν *e. q. s.* *Hephaest. p. 35, 17:* ὅτε μέντοι ἀκατάληκτόν ἐϲτι, καθόλου ϲπανίωϲ εἰϲ τὴν ἰωνικὴν περαιοῦται, διὰ τὸ ἀπρεπῆ εἶναι τὴν ἰωνικὴν ἐπὶ τέλουϲ οὖϲαν. Ἔϲτι τοίνυν ἐπίϲημα ἐν τῷ ἰωνικῷ, ἑφθημιμερῆ μέν, τὰ τοιαῦτα οἷϲ ἡ Τελέϲιλλα ἐχρήϲατο, '"Αδ' Ἄρτεμιϲ, ὦ κόραι, | φεύγοιϲα τὸν Ἀλφεόν'. καὶ δίμετρον ἀκατάληκτον, τὸ καλούμενον Κλεομάχειον, ἐν ᾧ καὶ οἱ μολοϲϲοὶ ἐπὶ τῶν ἀρτίων χωρῶν ἐμπίπτουϲι καὶ οἱ χορίαμβοι *(cf. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 511 sq.)*, οἷον 'Τίϲ τὴν ὑδρίην ὑμῶν | ἐψόφηϲ'; ἐγὼ πίνων'. *Schol. Hephaest. p. 191, 13:* Εἰκότωϲ δὲ ἐπὶ τῶν ἀρτίων οἱ μολοϲϲοί. Τοῦ γὰρ μολοϲϲοῦ τιθεμένου κατ' ἀρχὰϲ καὶ τοῦ ἰωνικοῦ μετ' αὐτὸν εὑρίϲκοντο πέντε μακραὶ ἐφεξῆϲ καὶ ἀρρυθμία πολλὴ ἐγένετο· τοῦ δὲ μέτρου, ὃ ἐπιφέρει, ὁ πρῶτοϲ ἰωνικόϲ, καὶ μολοϲϲόϲ, εἶτα διτρόχαιοϲ καὶ πάλιν μολοϲϲόϲ· τὸ γὰρ ην ημων (*l.* υμων) καὶ τὸ γω πινων μολοττοὶ ἀντὶ ὁλοκλήρων ἰωνικῶν εἰϲίν. Ἡ γὰρ τελευταία μακρὰ διαιρουμένη εἰϲ δύο βραχείαϲ ποιεῖ τὸν ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονοϲ· ἐπεὶ καὶ τῶν ἐπὶ τέλουϲ δύο βραχειῶν ϲυναιρεθειϲῶν ὁ μολοττὸϲ γίνεται. Ἔϲτιν οὖν τὸ μέτρον δίμετρον ἀκατάληκτον, τὸ καλούμενον Κλεομάχειον· τὸ δὲ ἐψόφηϲ' ἐ διτρόχαιοϲ· εἶπε γὰρ ἐπιμίγνυϲθαι πρὸϲ τὰϲ τροχαϊκὰϲ αὐτό(ν).

111* *Atil. Fortunat. p. 289, 2:* Ionicum metrum quod a maiore dicitur constat spondeo et pyrrichio et trochaeo et praeterea solutionibus spondei, id est anapaesto vel dactylo, et solutione trochaei, id est tribracho, indifferenter in locis omnibus, ita tamen ut omnis coniugatio sex tempora habeat. dimetrum — florens, dimetrum acatalectum 'quae Pegaseis fontibus'. *Arist. Quintil. p. 55*

---

3 in Oratore Cicero] 63, 212 insistit autem ambitus modis pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, cum duo extremi chorei sunt, id est e singulis longis et brevibus 7 *de cod. vid. adnot. ad fr. 83** coma] comma ς

112 Metrum ionicum a maiore constat ex ionicis maioribus duobus et spondio sive trochaeo, ut est illud apud Iubam, 'ipsa est Chios, ipsa est Samothrace'.

113* 'Galli timidi semianimes tergora vertunt'.

---

ed. Meib.: Πρόειϲι δ' ἀπὸ διμέτρου μέχρι τετραμέτρου *e. q. s. Diom. p. 505, 31:* a dimetro in tetrametrum longiatur. *Mar. Vict. p. 90, 22:* Erit igitur huius monometrum acatalectum tale, 'Phoebus comes', hypercatalectum 'per Leucadia'; dimetrum autem 'hostem tegere est paratus', huius brachycatalectum 'veris coma florens'. *Serv. centim. p. 464, 5:* hipponactium constat dimetro brachycatalecto, ut est hoc, 'palmam cape victor'.

112 *Mall. Theod. p. 598, 21:* Metrum ionicum — est Samothrace. metrum ionicum a maiore constat ex tribus ionicis maioribus, dactylo et spondio sequente sive trochaeo. huius exemplum 'tunc insolita sic puer aethra ruit aequor in altum'. fit etiam hoc metrum ex duobus ionicis maioribus dactylo et spondio sequente sive trochaeo. huius exemplum 'tunc sic puer aethra ruit aequor in altum'. *Atil. Fortunat. p. 289, 10:* trimetrum brachycatalectum 'non Idalio sic puer alto'. *Mar. Vict. p. 91, 30:* id autem quod trochaeum recipit praxillium dixerunt, inventum a Praxillide, poetria Sicyonia, quod est trimetrum brachycatalectum habens semper in secunda regione trochaicam basin post ionicam primam, tamquam 'te nunc rogo, Phoebe, dulce melos', item 'qui nunc hilares litare deam'. *Ibid. p. 90, 30:* trimetrum vero acatalectum 'hostem tegere est paratus et stat ipse', huius hypercatalectum 'lex haec fuit olim puerorum Stephano'. *Serv. centim. p. 464, 8:* praxillium constat trimetro brachycatalecto, ut est hoc, 'fortis iuvenis sume coronam'.

113* *Mar. Vict. p. 52, 35:* ionici ἀπὸ μείζονοϲ tetrametri brachycatalecti, ut 'Galli timidi — tergora vertunt'. *Hephaest. p. 36, 17:* Τῶν δὲ τετραμέτρων ἐπιϲημότατόν ἐϲτι τὸ βραχυκατάληκτον, τὸ καλούμενον Ϲωτάδειον· τοῦτο δὲ κατὰ τὰϲ (πρώταϲ) τρεῖϲ χώραϲ δέχεται ἰωνικὴν ϲυζυγίαν, ἢ τροχαϊκήν, ἢ τὴν ἐξ ἀναπαίϲτου καὶ πυρριχίου, ἢ τὴν ἐκ τριβράχεοϲ καὶ τροχαίου, ἢ τὴν ἐκ μακρᾶϲ καὶ τεϲϲάρων βραχειῶν, ἢ τὴν ἐκ βραχειῶν ἕξ, οἷον '"Ἥρην ποτὲ φαϲὶν Δία τὸν τερπικέραυνον'. *Caes. Bass. p. 263, 10:* 'Galli timidi semianimes tergora versant'. *Diom. p. 510, 30. Mar. Vict. p. 91, 8:* Praeterea et ex se sine ulla pedum admixtione componitur et per se stat integer per synaphian, ut Graeci dicunt, id est cum repetita identidem vice breves longis aut contra brevibus longae subiciuntur. atque ita inter se alterna mutatione va-

---

1 *P = codex Parisinus 7530 A = codex Wolfenbuttelanus Weissenburgensis 86* metrum ionicum a maiore] metrum ionicum a maiore trimetrum *coniecit Keilius* 2 siue *P* uel *A* iuliam *A* 3 samotrache *PA* *exemplum ab Iuba ex Eupolidis quodam versu fictum esse, quem reppererat in enchiridio Heliodori, probabiliter coniecit Wentzelius in scriptione gratulatoria gymnas. Oppol. a. 1864 edit. p. 20 sq.: cf. supra p. 148* 4 *de codic. vid. adnot. ad fr. 2**

Et quod magis mirum videri posset, totus sotadeus versus ex trochaeis pedibus poterit ordinari, ut duo habeat ithyphallica metra inserto medio trochaeo, qui erit septimus, veluti 'Bacche Bacche Bacche Bacche Bacche Bacche Bacche'. Quibus si interposueris aliquos brachysyllabos, id est e tribus brevibus, eiusdem rationis et numeri, licet adcrescentibus syllabis, temporum tamen lege servata, versus efficietur mollior, dum celerioris soni vibratione decoratur, ut est 'Bacche 114*

---

riantur, quos ἀπὸ μείζονοϲ et ἀπὸ ἐλάϲϲονοϲ musici vocant, ut apud Horatium 'miserarum est neque amori dare ludum neque dulci'. huius primordio si adicias 'o quam', erit ionicus ἀπὸ μείζονοϲ adiectione spondei, ut 'o quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci'. adaeque ionicus ἀπὸ ἐλάϲϲονοϲ ex apomizone creabitur demptis duabus longis, quae in principio versus locatae reperiuntur, ut est 'Galli timidi semianimes tergora vertunt'; ionicus ἀπὸ ἐλάϲϲονοϲ fiet ita, 'timidi semianimes tergora vertunt'. ionicus autem sotadeus constat ex spondeo et pariambo alterna vice sine intermissione currentibus, ea tamen lege, ut a spondeo incipiat et spondeo terminetur, sicut ionicum decet, ut in longas desinat syllabas. unde ionicus maior, qui duabus brevibus terminatur, adsumit sibi plerumque in ultimo duas longas, ut sit versus e tribus syzygiis et semipede spondeo, ut est 'o mel quod apes omnibus e floribus libant'. insigne est [tale] autem ionicum tetrametrum brachycatalectum, ut 'dic nunc, age Clio, mihi dic nobile carmen'. *Ibid. p. 90, 34:* tetrametrum autem brachycatalectum, ut 'hostem tegere est paratus et stat ipse nudus', in quo unus ionicus et trochaei quinque sunt. *Atil. Fortunat. p. 289, 12:* tetrametrum brachycatalectum 'volo litoris in margine solus ambulare': hoc et sotadicum dicitur. *Mar. Vict. p. 128, 12:* ionicus quoque sotadeus sive sotadicus (nam quidam volunt esse inter eos hanc differentiam, ut sotadeus constet duobus ionicis et ithyphallico, id est tribus trochaeis, ut 'pronus cupit ingentibus ire cum procellis', at sotadicus tribus ionicis pedibus adaeque ἀπὸ μείζονοϲ et ultimo spondeo, ut est 'Galli timidi semianimes tergora vertunt') ex dactylico hexametro profluit. nam spondeo initiali et finali et in medio versu posito constat, qui in heroo summam obtinet metri, utpote qui divisione secundae longae dactyli sit parens. *Cf. ibid. p. 146, 19. Serv. centim. p. 464, 10:* sotadicum constat tetrametro brachycatalecto, ut est hoc, 'salpinx cane, tempus fugit, intende laborem'.

114* *Mar. Vict. p. 92, 4:* incidunt autem, ut supra diximus, in hoc metro plures pedes, quibus mollius redditur frequenti syllabarum adiectione, tamquam 'genus unde Latinum, rogo genus unde Latinum'. nam pro spondeo positus est anapaestus in primordio trium quidem syllabarum, sed tamen temporum totidem, qua condicione et tribrachys

---

4 bacche *sexies scriptum habent A B* 7 mollior *Caesius Bassus* melior *A B ς: cf. Mar. Vict. p. 131, 6:* at vero in sotadium versum plerique pedes, qui eum faciunt molliorem, contra quam ionicorum lex se habet incidunt 8 *v.* dum — decoratur *fortasse ab Aphthonio addita sunt ex Terentian. v. 2055 vel 2893*

Bromie Bacche Bromie Bacche Bromie Bacche', item 'frena capere, tela quatere, saxa iacere disce'. Et quia fluit numerus, ut rhythmus accipitur. Dehinc quia aptum saltantibus videtur, hyporchematicon a Graecis dicitur. Sed et ithyphallicum metrum e tribus trochaeis conexum saepe hunc tribrachyn sibi inserit, ut 'hasta viridis armet', item 'placidus ades ad aras'.

115* Huius acatalectum 'uvas nitidis frondibus euhan hederis illigat'.

---

pro trochaeo plerumque admittitur. nec enim numero syllabarum metra, sed temporum spatio examinanda sunt. sed et dactylus non numquam ea lege in sotadeum metrum cadet, ut est 'dicite, rogo vos, dicite quid ita rapitur Attis?' et quod magis — accipe munus. quod necessario insinuandum esse lectori censui, ne ithyphallicum metrum e tribus semper trochaeis subsistere audacter ac temere pronuntiaret. *Cf. ibid. p. 131, 6. Caes. Bass. p. 255, 3:* et quod magis mirum videri potest, totus sotadeus numerus ex trochaeis potest constare pedibus, ut duo habeat ithyphallica metra et unum trochaeum pedem sic, 'Bacche Bacche Bacche Bacche Bacche Bacche Bacche'. quibus si interposueris aliquos brachysyllabos, eiusdem scilicet rationis, erit etiam mollior sic, 'Bacche Bromie Bacche Bromie Bacche Bromie Bacche'. nam ithyphallicum metrum saepe recipit hunc tribrachum, ut etiam apud Menandrum in Phasmate et apud Callimachum in epigrammatibus ostendi potest. cuius exemplum subieci, quo notius sit eum, cum sit sex syllabarum, adcrescere modo una syllaba modo duabus, per tribrachum scilicet pedem, sic, 'huc ades [o] Lyaee | Bassareu bicornis | Maenalie bimater, | crine nitidus apto | luteis corymbis: | hedera te coronis | hasta viridis armet, | placidus ades ad aras, | Bacche Bacche Bacche'. *Vid. etiam supra l. IV fr. 88*. Cf. disputat. nostr. p. 79, 1.*

115* *Mar. Vict. p. 91, 1:* Huius acatalectum — hederis illigat. item catalecticum primae syllabae solutionem passum huius modi, 'mea Delia casta pulchra paene siderum decus'. in quo unus ionicus

---

2 et quia *B* et q̄d *(vid. Keilium ad Mar. Vict. l. s.) A* et quod ς numerus *Keilius* numeris *A B* ς 4 hyperchrematicon *A B* ὑπερχρωματικόν ς ὑπορχηματικόν *Gaisfordius* 6 uiridis ς *Caesius Bassus* uiri dis *lacuna paucarum litterarum post* uiri *relicta A* uiriperdis *B Val.* placidus ades ad aras *Caesius Bassus* placidus percipe munus *A B* ς placidus accipe munus *Keilius, cui 'Victorinus ita mutavisse verba videtur, ut dactylum, quem in sotadeum metrum cadere dixerat, in ithyphallico quoque admitti exemplo probaret': sed cf. L. Muellerus in Fleckeiseni Ann. a. 1866 p. 863 et post Namatian. p. 55* 8 uvas] *versus 'est haud dubie poetae saec. u. c. X' Luc. Muellerus post Namatian. p. 56* frontibus *scripsit L. Muellerus*

Ionicus minor, quem musici ἀπὸ ἐλάϲϲονοϲ vocant, contrario quam superior situ temporum priorem habet pariambum, sequentem spondeum et hos invicem, ut superior, sine fine currentes. Adaeque spondeo terminatur, ut ionico congruit: nam semper adfectant hi longis syllabis terminari. Qui cum divisus est ita, ut integris syzygiae, ex qua constat, temporibus efferatur, quae velut ad rhythmon digesta decurrunt, aptior ac pulchrior habebitur. Nam solutis longis, sive utraque eius sive altera, in duas breves seu contra conexis in unam longam duabus brevibus vim propriae naturae modumque corrumpit atque ex se diversa genera speciesque producit. 116*

Recipit autem molossum et anapaestum, sed raro iuncto pariambo et dactylum. Feritur autem per dipodian. 117*

Plerumque recipit in principio versus bacchium a longis incipientem et paeonem tertium, quorum uterque quinque temporum spatio extenditur [catalecticum autem fit anapaesto aut eo qui amphibrachys vocatur]. Huic, cum esse sena 118*

et quinque continui trochaei. pentametrum quoque brachycatalectum erit tale, 'Dictynna deum progenies, aspice quis te chorus astris'. *Atil. Fortunat. p. 289, 14:* tetrametrum acatalectum, quod apud Cleomachum invenitur, ex duobus colis coniunctum 'uvas nitidis frondibus Euan hederis illigat'.

116* *Mar. Vict. p. 93, 2:* Ionicus minor — speciesque producit. *Ibid. p. 91, 23.*

117* *Mar. Vict. p. 94, 29:* Recipit autem — per dipodian. *Hephaest. p. 38, 9:* Ἐμπίπτουϲι δὲ καὶ οἱ μολοττοὶ ἐπὶ τῶν περιττῶν χωρῶν ἐν τοῖϲ ἀπ' ἐλάϲϲονοϲ ἰωνικοῖϲ, ὥϲπερ ἐν τοῖϲ ἀπὸ μείζονοϲ ἐπὶ τῶν ἀρτίων. *Diom. p. 506, 2:* Ionicus quoque minor constat ex homonyma dipodia, in qua antecedit pyrrichius, sequitur spondeus, vel anapaestus et pyrrichius. non numquam etiam κατὰ ϲυναίρεϲιν brevium syllabarum molossus interponitur. *Cf. Keilius ad Mar. Vict. p. 95, 12.*

118* *Mar. Vict. p. 93, 11:* unde plerumque recipit — lege

3 et hos invicem — currentes *B Val.* et hoc inuicem — currens ς *A* 6 ita ut *add. Keilius, om. A B* ς 7 quae uelut *A* qui uelut *B* quae si uelut ς ad rythmon *A* ad rhythmum ς *B* 8 aptior ac pulchrior ς *B* aptior apulchrior *A* nam] nͣon *B* 9 altera *Keilius* alterna *A B* ς 13 et anapaestum, sed raro, iunctum pariambo et dactylum *conicit Caesar conl. Atil. Fortunat. p. 289, 19* 15 a *add. Keilius, om. A B* ς*: cf. supra p. 80* 17 catalecticum — vocatur *seclusit Keilius, qui praeterea pro* amphibrachys *aut* tribrachys *aut* amphimacrus *scribendum esse iudicat*

tempora in singulis coniugationibus, utpote ionicorum, oporteat, necessario trochaeus aut eius basis adnectetur ea contemplatione imminuta, ut dipodiae superioris tempora ex subditis compleantur. Id Graeci ἐπίζευξιν, id est coniugationem, vocant, eo quod priorum pedum basin uno tempore breviorem sequentis syzygiae compleat syllaba, quae pro brevi, licet natura longa sit, utpote prior trochaei, accipienda est, siquidem unius temporis supplemento ionica basis indigere videatur. Etenim huic metro rhythmica natura accidit. Huius modi autem inter se cυζυγίαc passionem sive communionem musici ἀνάκλαcιν vocant et metra, siqua forte adverterint talia, anaclomena appellant, quod retrorsum inclinentur, ut et in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pandantur. Sed ut exemplo doceam, erit hoc colon anaclomenon ‘Cybele rotabo crines’. Hic ro, licet sit brevis, pro longa accipietur, Cybele ro. Nam detractum unum tempus sequentis syzygiae ex initiali syllaba huic impertietur, ne fiat prima syzygia pentachronos, sequens heptachronos. Igitur secundae coniugationis prima syllaba, quae debet esse brevis, mutatur ea condicione, ut vim suae proceritatis quartae syllabae brevi, quae est ultima primae coniugationis, impertiat; et ipsa quidem brevis remanet facta unius temporis, superiorem autem a se syllabam, quae fuerat brevis, commercio suae proceritatis extendit. Atque ita fit ionicon ana-

---

versabitur. *Hephaest. p. 37, 20:* Τὸ δὲ ἀπ᾽ ἐλάccονοc ἰωνικὸν cυντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, cυντίθεται δὲ καὶ ἐπίμικτον πρὸc τὰc τροχαϊκὰc διποδίαc οὕτωc, ὥcτε τὴν πρὸ τῆc τροχαϊκῆc ἀεὶ γίνεcθαι πεντάcημον, τοῦτ᾽ ἔcτι τρίτην παιωνικήν, καὶ τὴν τροχαϊκήν, ὁπόταν προτάττοιτο τῆc ἰωνικῆc, γίνεcθαι ἑπτάcημον τροχαϊκήν, τὸν καλούμενον δεύτερον ἐπίτριτον. *Cf. Aristid. Quintil. p. 55 ed. Meib. Schol. Hephaest. p. 194, 7:* Ἰcτέον δὲ ὅτι τὸ ἀνακλώμενον μέτρον τοιοῦτόν ἐcτιν ὡc ἰωνικὸν εἶναι τὸ ἀπ᾽ ἐλάccονοc τὸ ααβαβαββ. Λέγεται δὲ οὕτωc ὅτι ἡ τελευταία τοῦ πρώτου ποδὸc ἀνακλᾶται ἐπὶ τὴν τοῦ δευτέρου ἄρχουcαν βραχεῖαν ὡc εἶναι τὸ πρῶτον ἀντὶ ἰωνικοῦ παίωνα τρίτον, τὸ δὲ δεύτερον ἐπίτριτον δεύτερον. *Ibid. p. 195, 3:* Ἀνακλώμενον δὲ καλεῖται τὸ μέτρον διὰ τὴν ποιὰν τοῦ μέτρου cυμπάθειαν· ἡ γὰρ τελευταία τῶν προτέρων ποδῶν

---

5 priorum ς priorem *A B* 13 et *addidi*, *om. A B* ς 14 colon *Keilius* colo *A B* ς 23 quae fuerat ς quae fuerit *A B* 24 atque ita fit ionicum *B* at ita fit ionicon *A* ac ita fit ionicum ς

clomenon, ut est 'Paphias amor columbas'. Nam mor, secundae coniugationis initialis syllaba, quae brevis natura, utpote in ionico a minore, esse deberet, derivato uno in se superioris syllabae tempore ἀνακλάσει inter syzygias facta trochaicam basin ionico subdidit, [quae basis] inter utrasque syzygias [id est primam et secundam] sub hac lege versabitur.

At Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae 119
eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat hoc vitium, ut quidam adserunt, rhythmicum fore, sed mage metrica ratione contingere, quod per ἐπιπλοκάς, id est metrorum inter se amplexiones, ut supra docuimus, plerumque evenit. Nam τετραδικὴ ἐπιπλοκή et δυαδική, id est quadrua et binaria amplexio, huic versui, qui ionicus anaclomenos vocatur, diversitatem varietatemque fecerunt. Etenim antispastica et choriambica et utraque ionica metra de quadrua amplexione subsistunt; iambica vero et trochaica, sicut supra docuimus, de binaria. Evenit autem ut choriambica et anti-

---

ἀνακλᾶται τῇ ἀρχῇ τῶν δευτέρων διὰ τὸ ἐν ὀρχήσει ἀνακλασμὸν μελῶν γίνεσθαι. *Atil. Fortunat. p. 290, 7:* Ex hoc genere est quod anaclomenon appellatur, quod ordinem pedum naturalem ac solitum amittit et immutatis pedum coniugationibus copulatur. dimetrum acatalectum 'Paphias amor columbas'. nam constat pyrrichio et trochaeis duobus et spondeo: quarta enim syllaba, quae debet longa esse, brevis et sequens longa est, quam oportebat brevem esse. hoc metrum si geminetur, facit tetrametrum ionicum a minore anaclomenon, quod heteromeres sapphicum nominatur, hoc modo, 'docuit patens labellum bifido iugare rictu'. simile tetrametrum mensura, non coniugationibus, 'viridi Palladis umbra sonat oscinum loquela'. *Cf. Rossb. et Westph. Metr. t. III p. 294 sqq. ed. prim. Vide quae supra monui p. 109.*

119 *Mar. Vict. p. 94, 6:* At Iuba — heptasemo subsistat. *Cf. Rossb. et Westph. Metr. t. III p. 296 sq. ed. prim. Vid. quae supra dixi p. 120.*

---

3 uno *addidi, om. A B* ς 5 quae basis utrasque *A B* quae basis secundum utrasque ς quae syllaba inter utrasque *coniecit Keilius: equidem scripserim interpolatione remota:* et tamquam media inter utrasque *vel* et tamquam communis inter utrasque: quae passio inter utrasque *proponit Caesar* 6 primam et secundam ς primum et secundum *A B* 18 supra] *fr. 33** 17 de quadra *A B* 19 docuimus, de binaria. evenit *Keilius* docuimus duariae uenit *A B* docuimus duaria evenit ς ut choriambica *Camerarius* et choriambica *A B* ς

spastica iambicis coniugationibus, ionica vero trochaicis, quae sunt diversarum amplexionum, misceantur. Unde accidit ut confusione eorum metrorum, quae ex diversis amplexionibus informantur, huius modi inter syzygias passio sive communio, quae anaclasis a musicis dicitur, merito eveniat et varietas versui de amplexionum differentia fiat. Nam si puro choriambico primam decutias syllabam, fit omne quod residuum est ionicum a minori. Et rursum si ionicum a minori syllaba una mutiletur, quod remanet antispasticum deprehendes. Item ablata antispastico prima syllaba ionicum a maiori perficiet. Verum hoc tunc accidit, cum purus est choriambicus versus. At enim contra cum interpositae iambicae coniugationes reperiuntur, lex illa quadruae amplexionis infringitur, diversique generis admixta amplexione nascitur ista varietas, ut praecedens colum, cum esse sena tempora in singulis coniugationibus oporteat, pentasemum fiat, sequens vero heptasemo subsistat.

120* Plurimi autem tam tragici quam comici, sed et lyrici poetae, huius modi compositionum diversitate libere abusi sunt. Inter haec si tetrametri versus catalectici, qui in huius

---

120* *Mar. Vict. p. 95, 21:* Plurimi autem — bacchiacon anaclomenon. cuius exemplum 'tremulos quod esse Gallis habiles putant modos', quod ex duobus colis, id est dimetro acatalecto subiuncto dimetro catalectico, conexum habetur, ut est 'segetes meum laborem, segetes meus labor'. subsistit ex pariambis adnexis trochaeis, sicut dictum est, alterna vice, cum longis breves aut brevibus longae subiciuntur. memineris tamen et tribrachyn loco trochaei hoc metrum, si necessitas postularit, admittere neque adcrescentis syllabae numerum, cum in temporibus omnis ratio custodiatur, officere, ut hoc galliambicum, quod solutione complurium syllabarum compositum est, ut 'volat agiliter sunt' *. *Hephaest. p. 39, 3:* Τοῦτο μέντοι καὶ γαλλιαμβικόν, καὶ μητρῳακόν, καὶ ἀνακλώνενον καλεῖται· [ὕcτερον δὲ (τὸ) ἀνακλώμενον ἐκλήθη (μητρῳακὸν) διὰ τὸ πολλὰ τοὺc νεωτέρουc εἰc τὴν μητέρα τῶν θεῶν γράψαι τούτῳ τῷ μέτρῳ·] ἐν οἷc καὶ τὰ τοὺc τρίτουc παίωναc ἔχοντα καὶ τὸν παλιμβάκχειον καὶ τὰc τροχαϊκὰc ἀδιαφόρωc παραλαμβάνουcι πρὸc τὰ καθαρά, ὡc καὶ τὰ πολυθρύλλητα ταῦτα παραδείγματα δηλοῖ, 'Γαλλαὶ μητρὸc ὀρείηc φιλόθυρcοι δρομάδεc, | αἷc ἔντεα παταγεῖται καὶ χάλκεα κρόταλα' .... *Schol. Hephaest. p. 194, 20:* Ἰcτέον ὅτι

---

1 ionica vero trochaicis *Keilius* ionicis uero trochaicae *A B* ς 6 choriambico *Keilius* choriambo *A B* ς 8 si ionicum a minori *Keilius* si ionico minori *A B* si ionico a minori ς 9 deprehendes] deprehendas *A B* ς 11 choriambus *B* 14 diuersisque *B* 20 catalecti *A B*

modi metro primi habendi sunt, longas in breves solverint, metrum efficient galliambicum, dictum quasi Γάλλων ἴαμβοι, id est maledicta, quibus non numquam conviciantur. Idem et metroiacon seu, ut quidam, bacchiacon anaclomenon.

Itaque hoc metrum et ex puris ionicis, ut ostendimus, 121*
constat et admixtis quibusdam pedibus coniugatur. Hoc Graeci ἐπίμικτον, nos mixtum dicimus.

Dimetrum acatalectum ‘Ararim sic super altum’. 122*

‘Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci’. 123*

τοῦτο τὸ ἀπ’ ἐλάϲϲονοϲ ἰωνικὸν λέγεται ἀνακλώμενον καὶ μητρῳακὸν καὶ γαλλιαμβικὸν ἀπὸ τοῦ τοὺϲ Γάλλουϲ, ὅ ἐϲτι τοὺϲ κιναίδουϲ, ἰαμβίζειν καὶ ὑμνεῖν τὴν ῾Ρέαν κατὰ τὴν ἄγραν. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ μητρῷον. Ἴϲωϲ δὲ διὰ τοῦτο καὶ ἀνακλώμενον διὰ τὴν κλάϲιν τῆϲ φωνῆϲ αὐτῶν καὶ ἁπαλότητα. Ὧι καὶ Καλλίμαχοϲ κέχρηται. Ἔϲτι δ’ ἀταξία πολλὴ ἐν τῇ χρήϲει ὧν περιφέρει χρήϲεων καὶ μάλιϲτα ἐν τοῖϲ πρώτοιϲ ποϲί. *Caes. Bass. p. 261, 28. Mar. Vict. p. 46, 24:* memineris sane trisyllabos pedes temporum dumtaxat quinque vel sex, ut est bacchius et molossus, cum in quibusdam metris, sicut in galliambico, longae eorum solvuntur in breves, vim tetrasyllaborum obtinere. *Ibid. p. 154, 18. Atil. Fortunat. p. 290, 4:* est et aliud ex hoc metro ionico, quod galliambon dicitur, quod in fine degenerat, quo minus integrum ionicum ἀπ’ ἐλάϲϲονοϲ faciat, ‘miserarum est neque amori dare posse remedia’. *Cf. Christius ‘Metr. d. Gr. u. R.’ p. 524 sq.*

121* *Mar. Vict. p. 95, 7:* Itaque hoc metrum — mixtum dicimus, quo frequentius veteres quam iuniores usi noscuntur, cuius pauca exempla subiciam. trimetrum autem acatalectum inconditae compositionis tale est, ‘Salamina agit aequoris procellis’. item qui a ditrochaeo incipit pede, ‘puberes meos Sicaniae colonos’. item quod primam coniugationem integram habeat, sequentem autem temporum septem, tale est, ‘sacer Edono Gradivo’. item quod inter initia facta collectione brevium pro ionico molossum accipit erit tale, * *Hephaest. p. 37, 20.*

122* *Atil. Fortunat. p. 289, 18:* Ionicum metrum quod a minore appellatur constat pyrrichio et spondeo et spondei solutione, anapaesto et dactylo. hic quoque in singulis coniugationibus sex tempora impleri necesse est. dimetrum acatalectum — super altum. *Mar. Vict. p. 95, 20:* ‘Ararin sic super altum’. *Serv. centim. p. 464, 17:* anacreontium constat dimetro acatalecto, ut est hoc, ‘sapientes Amor odit’. *Mar. Plot. p. 542, 7.*

123* *Mar. Vict. p. 53, 2:* ionici ἀπ’ ἐλάϲϲονοϲ tetrametri acatalecti (*sc.* exemplum), ut ‘miserarum est — neque dulci’. *[Cen-*

---

2 quasi *Val.* ς $\overline{\text{qs}}$ (s *in litura*) *A* quibus *B* gallon iamboe *A* 8 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 83** 8 Ararim] Ararin *Mar. Vict.* sic super *Mar. Vict.* sicut super *A B* ς 9 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 2** miserorum *A B* ς*: Hor. carm. III 12, 1*

124* Tetrametrum autem catalecticum copiosum est apud Phrynichum, auctorem comoediae veteris, quod est tale, 'vocat Aetnae super altum caput acris choreas'.

LIBER VII.

125* Paeonicum metrum sive creticum, ut quidam ferunt adserentes paeonas originem ex cretico seu amphimacro traxisse longis eius prima et suprema in breves solutis, quibus paeon

---

sorin.] fragm. de metr. p. 613, 19. 616, 23. Atil. Fortunat. p. 289, 22: Horatius 'neque dulci mala vino': trimetrum acatalectum 'miserarum est neque amori dare ludum'. *Ibid p. 303, 1. Mar. Vict. p. 129, 23. 146, 16. 169, 7. 181, 31. Mar. Plot. p. 542, 11. Serv. centim. p. 464, 25:* alcmanium constat tetrametro acatalecto, ut est hoc, 'timor omnis docet artis, timor auget bona mentis'.

124* *Mar. Vict. p. 94, 32:* est itaque dimetrum acatalectum tale, 'viret alte coma luco' (comulato *A B* coma lato ς*: cf. supra p. 64 n.*); trimetrum vero huius modi, 'procerum quis Cererem non colat agris'; tetrametrum quoque huius modi, 'modo quae prona per Haemi fugit et pascua tondet'. tetrametrum autem — acris choreas. trimetrum sane hypercatalectum non reperias purum, quando in fine antispastus occurrit, unde [ob hoc] eius vitatur asperitas. *Hephaest. p. 38, 20:* Τῶν δὲ ἐν τῷ μέτρῳ μεγεθῶν τὸ μὲν ἐπιςημότατόν ἐςτι τὸ τετράμετρον καταληκτικόν, οἷόν ἐςτι τὸ Φρυνίχου τοῦ τραγικοῦ τόδε 'Τό γε μὴν ξείνια δούςας, λόγος ὥςπερ λέγεται', | 'ὀλέςαι, κἀποτεμεῖν ὀξέϊ χαλκῷ κεφαλάν'. καὶ παρὰ Φρυνίχῳ τῷ κωμικῷ· '"Α δ' ἀνάγκα' cθ' ἱερεῦςιν καθαρεύειν φράςομεν'. *Atil. Fortunat. p. 289, 26:* tetrametrum catalecticum 'equus alvo vehit, uber tumet albo latice', tetrametrum acatalectum 'propere qui residens in gremio Faune celocis'. *Serv. centim. p. 464, 23:* phrynichium constat tetrametro catalectico, ut est hoc, 'tibi veris fero donum, sola quod dant Veneri'.

125* *Mar. Vict. p. 96, 10:* Paeonicum metrum — cretici solutionibus. *Atil. Fortunat. p. 283, 18:* his (*sc.* prototypis) quidam adiciunt proceleumaticum et paeonicum, quae possunt videri non inter prototypa ponenda, sed inter illa, quae ex prototypis nascuntur. sed nos post octo prototypa haec duo coniungemus. *Heliod. colom. Aristoph. pac. 346 (p. 2 ed. Thiem.). 1127 (p. 7 ed. Thiem.). equit. 303 (p. 9 ed. Thiem.). al. 'Heliod. Unters.' p. 120 sqq. et supra p. 39. Christius 'Metr. d. Gr. u. R.' p. 423. Diom. p. 506, 2:* paeonicum metrum, quod plerique rhythmicum esse dixerunt, constat priore paeone, admittit vero et quartum et creticum et bacchium a brevi qui est. a dimetro in tetrametrum longiatur. hoc

---

1 phrynicum *A B* 3 Aetnae ς aetna *A B* 4 paeonicum metrum *e. q. s.*] *vid. supra p. 134 sq.* 6 in breues solutis ς *B* in breue solutis *A*

primus et quartus creari noscuntur, quod etiam ex bacchio et palimbacchio adaeque fit, unde et bacchiacum a quibusdam hoc metrum dicitur, quidam ultimo loco posuerunt proceleumatico repudiato. Quod tamen magis rhythmo, id est numero, quam metro congruere varietas ipsa compositionis ostendit. Nam recipit [non numquam in breves solutos] amphimacros, quorum etiam clausula, qua [fit carmen eius catalecticum] terminatur, adeo huic familiaris est, ut plerique hoc metrum rhythmum creticum dixerint. Quod cum eius modi sit, tamen usus eius apud lyricos, sed et tragicos et comicos, frequens est, et praecipue de bacchii et cretici solutionibus.

ἐν παραβάcει Aristophanes composuisse creditur. elegantissimum est igitur, cum per singulos pedes pars orationis impleatur. *Vide supra fr. 13* B p. 193, 10. Mar. Vict. p. 104, 30. Mall. Theod. p. 588, 23:* siquid ergo praeter haec (*sc.* octo prototypa), quod non certam pedum legem, sed ad temporum rationem modumque referatur, vel scribet quispiam vel ab alio scriptum leget, id non metrum, sed rhythmon esse sciat, hisque exceptis metris octo, quae sunt a nobis enumerata, nullum aliud, etiamsi a quoquam certi ac definiti pedes attribuantur, aut eam quae sit digna carmine suavitatem habiturum aut omnino metrum esse dicendum. *Hephaest. p. 40, 15:* Τὸ δὲ παιωνικὸν εἴδη μὲν ἔχει τρία, τό τε κρητικόν, καὶ τὸ βακχειακόν, καὶ τὸ παλιμβακχειακόν, ὃ καὶ ἀνεπιτήδειόν ἐcτι πρὸc μελοποιίαν· τὸ δὲ κρητικὸν ἐπιτήδειον. Δέχεται δὲ καὶ λύcειc τὰc εἰc τοὺc καλουμένουc παίωναc. Καλεῖται δὲ καὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν ποιητῶν κρητικόν, ὥcπερ ὑπὸ Κρατίνου ἐν Τροφωνίῳ, ʻἔγειρε δὴ νῦν, μοῦcα, κρητικὸν μέλοc'. εἶτα ἐπιφέρει, ʻχαῖρε δή, μοῦcα· χρονία μὲν ἥκειc, ὅμωc δ' | ἦλθεc οὐ πρίν γε δεῖν, ἴcθι cαφέc· ἀλλ' ὅπωc'. *Schol. Hephaest. p. 197, 1:* Κύριοc δὲ ἐν αὐτῷ ποὺc ὁ κρητικόc, ὃc λύων μὲν τὴν πρώτην ποιεῖ (τὸν) παίωνα τέταρτον· [ὁ γὰρ ἀμφίμακροc λύει τὴν πρώτην cυλλαβὴν καὶ ποιεῖ τὸν ἐκ τριῶν βραχειῶν καὶ μιᾶc μακρᾶc παίωνα τέταρτον·] λύων δὲ τὴν ἐcχάτην αὐτὸc ὁ ἀμφίμακροc ποιεῖ παίωνα πρῶτον, λύων δὲ ἄμφω ποιεῖ τὸν πεντάβραχυν. ʻΗλιόδωροc δέ φηcι κοcμίαν εἶναι τῶν παιωνικῶν τὴν κατὰ πόδα τομήν, ὅπωc ἡ ἀνάπαυcιc διδοῦcα χρόνον ἑξαcήμουc τὰc βάcειc ποιῇ καὶ ἰcομερεῖc ὡc τὰc ἄλλαc, οἷον ʻοὐδὲ τῶν κνωδάλων οὐδὲ τῶν *υρcύλων'. *Mar. Plot. p. 542, 19:* Paeonicum metrum multi creticum nuncupaverunt, quoniam una longa cretici, id est amphimacri, soluta constat. unde Cratinus dicens ʻage Musa, di-

---

1 quod] qui *B* 6 non numquam in breves solutos *recte seclusit Keilius: praeterea ante* amphimacros *videtur* adaeque *excidisse* 7 qua terminatur] qua, cum fit carmen eius catalecticum, terminatur *Camerarius* qua fit carmen eius catalecticum *Keilius* 10 sed et g tragicos *B* 11 de bachii et cretici solutionibus *Keilius* de bacchaeis (de baccheis *B* de bacchiacis ς) et creticis solutionibus *A B* ς

126* Bacchiacum igitur dirhythmum sive dimetrum acatalectum, quod in quartum paeonicum plerumque solutione longae transit, huius modi est, 'amicos vocantis'; trirhythmum quoque acatalectum ita, 'ut Echo sub antris canebat'. Tetrarhythmum etiam acatalectum tale est, 'volabat superbus per auras Cupido'; pentametrum vero acatalectum huius modi, 'io quis deorum per altos Lycaei gradus me'.

127* Erit dimetrum paeonicum catalecticum huius modi, 'nunc agite caelites': trimetrum autem, 'nunc agite nunc tripudiis mihi', quod phrynichion vocatur: tetrametrum, 'nunc agite, tota veniat manus ad hoc sacrum': pentametrum vero, 'tolle, refer aeolica musigena canticula Tityro'. Haec, si novissimos creticos vel dactylos subtrahas (nam et dactylo propter novissimae indifferentiam hoc metrum clauditur), acatalecta erunt et secundum appellationem suam syzygiarum numero concludentur.

128* Hexametrum autem Aristophanes composuit tale, ut sint

---

camus creticum modum' intulit metrum paeonicum. hoc ergo metrum, id est paeonicum, habet secum mixtos creticos, id est amphimacros. *Cf. Iub. l. IV fr. 76 p. 255, 4:* 'παρὰ coφοῦ μάθε κλύων ὅcα τιc ἂν καταμάθοι, rape faces, cape puer, sopor abit, cane melos'.

126* *Mar. Vict. p. 96, 22:* Bacchiacum igitur — gradus me. *Hephaest, p. 43, 9:* Τὸ δὲ βακχειακὸν cπάνιόν ἐcτιν, ὥcτε, εἰ καί πού ποτε ἐμπέcοι, ἐπὶ βραχὺ εὑρίcκεcθαι, οἷον 'ὁ ταῦροc δ' ἔοικεν κυρίξειν τιν' ἀρχάν, | φθάcαντοc δ' ἐπ' ἔργοιc προπηδήcεταί νιν'. *[Censorin.] fragm. de metr. p. 616, 5:* 'amicos ad hanc rem †si voles advoca'. *Cf. fr. 13*A p. 190, 19 sqq. Charis. apud Rufin. p. 572, 18.*

127* *Mar. Vict. p. 97, 19:* et rursus exempla repetamus. erit dimetrum — numero concludentur. *Aristid. Quintil. p. 55 ed. Meib.:* Αὔξεται δὲ μέχρι τετραμέτρου· τινὲc δὲ καὶ πεντάμετρα πεποιήκαcι. *Hephaest. p. 42, 21:* Τούτῳ καὶ ἐπὶ τοῦ πενταμέτρου Θεόπομποc ὁ κωμικὸc ἐχρήcατο ἐν Παιcίν, ἀφ' οὗ καὶ Θεοπόμπειον καλεῖται, 'πάντ' ἀγαθὰ δὴ γέγονεν ἀνδράcιν ἐμῆc ἀπὸ cυνουcίαc'. *Cf. Mar. Vict. p. 146, 12:* item ex paeonico trimetro catalectico et ithyphallico, ut 'nunc agite, nunc tripudiis mihi dulce ferte carmen'. item ex paeonico dimetro et choriambico dimetro catalectico, ut 'nunc agite tota (nunc agitata *A B* ς) venit Lydia nunc per omnes'. *Cf. Mar. Plot. p. 538, 26.*

---

4 ut echo sub antris canebat ς ut (aut *A*) echos sub antris (anteris *A*) canebas *A B* 6 pentametrum] *cf. quae supra monui p. 38* io] o *A* 9 caelitu[e]s *A* 10 nunc agite, tota] nunc agitata *A B* ς 12 tityro *B* itityro *A* nunc tityro ς 14 hoc *addidi, om. A B* ς acatalectica *A B* 17 itale *A*

paeones primi tres et insequantur totidem cretici, tamquam 'ver agere purpurea te Venus amoribus ipsa pollens iubet'.

Sed et [hic] tetrameter paeonicus catalecticus, is dum- 129*
taxat qui maxime in usu est, [ex longa et tribus brevibus] ab Aristophane compositus est totus, ut vides, ex paeone primo, ultimo amphimacro, syllabis quidem minore, temporum tamen totidem, unde et acatalectus videtur, veluti 'sic

---

128* *Mar. Vict. p. 97, 30:* Hexametrum autem — pollens iubet. *Cf. Hephaest. p. 42, 25:* Δύναται δὲ καὶ μέχρι τοῦ ἑξαμέτρου προκόπτειν τὸ μέτρον διὰ τὸ τριακοντάσημον μὴ ὑπερβάλλειν· καὶ εἴη ἂν ἑξάμετρον καταληκτικὸν [τὸ καλούμενον] τὸ τοῦ Ἀλκμᾶνος ἐκ μόνων ἀμφιμάκρων, 'Ἀφροδίτα μὲν οὐκ ἔστι, μάργος δ' Ἔρως οἷα παῖς παίσδει | ἄκρ' ἐπ' ἄνθη καβαίνων, ἃ μή μοι θίγῃς τῷ κυπαιρίσκῳ'.

129* *Mar. Vict. p. 97, 34:* Sed et [hic] — ingenia musice. *Hephaest. p. 41, 1:* Ἐπιτηδεύουσι δὲ ἔνιοι τῶν ποιητῶν τοὺς πρώτους καλουμένους παίωνας παραλαμβάνειν, πλὴν τῆς τελευταίας χώρας, εἰς ἣν τὸν κρητικὸν παραλαμβάνουσιν. Οὕτω γοῦν τὸ πολυθρύλλητον τετράμετρον συντιθέασιν, οὗ παράδειγμα ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους Γεωργῶν· 'ὦ πόλι φίλη Κέκροπος, αὐτοφυὲς Ἀττική, | χαῖρε λιπαρὸν δάπεδον, οὖθαρ ἀγαθῆς χθονός'. Κέχρηται δὲ αὐτῷ καὶ ἐν ἄλλοις δράμασιν ὁ Ἀριστοφάνης καὶ ἐν Σφηξίν· 'ὦ μακάρι' Αὐτόμενες ὥς σε μακαρίζομεν'. καὶ Εὔπολις ἐν Κόλαξι· 'φημὶ δὲ βροτοῖσι πολὺ πλεῖστα παρέχειν ἐγώ, | καὶ πολὺ μέγιστ' ἀγαθά· ταῦτα δ' ἀποδείξομεν'. *Caes. Bass. p. 264, 18:* paeonicus versus quadratus ab Aristophane comico compositus est ex eo paeone, qui constat longa syllaba et tribus brevibus. cluditur autem cretico, qui et ipse [constat] eiusdem generis et temporum totidem quot ille, una parcior syllaba est, ne, si fluat eodem numero, rhythmos, non metrum fiat. huius exemplum 'egregia percoluit ingenia musice, | carminis in ore tenet ingenium * (carminis amore tenet ingenia musice *coni. Caesar*) | sic Tiberis implacidus in maria labitur'. *Mar. Vict. p. 53, 8:* paeonici tetrametri catalectici (*sc.* exemplum), 'sic Tiberis implacidus in maria labitur'. *Ibid. p. 124, 13:* versus aristophanius paeonicus constat e tribus primis paeonibus et amphimacro, ut est 'iam Tiberis implacidus in maria labitur', item 'egregia percoluit ingenia musice'. *Atil. Fortunat. p. 290, 28:* Paeonicon metron ex ipso pede suo nomen accepit. recipit autem in principio creticum praeter ipsum paeona, ultimum semper creticum, duos autem paeonas in medio. exemplum utriusque linguae sic erit, tetrametrum catalecticum 'ὦ πόλι φίλη Κέκροπος αὐτοφυὲς Ἀττική, | o regere, ne

---

2 amoribus diua pollens ς amoribusque ipsa pollens *coniecit Keilius* 3 hic *seclusit Keilius* catalecticus *falso supra seclusi p. 135* 4 ex longa et tribus brevibus *seclusi l. s.* 5 vides] diues *B* 6 minore *Keilius* minor *A B* ς tamen ratione totidem *A* 7 acatalectus] catalectus *A B* ς catalecticus *Keilius: vix recte, nam hoc exspectandum esset:* syllabis quidem minore (unde et catalecticus videtur), temporum tamen totidem

Tiberis implacidus in maria labitur', item 'egregia percoluit ingenia musice'.

130* Recipit etiam cum pariambo tribrachyn conexum, id est solutum in breves amphimacrum, tamquam 'modo retulit', 'Philopolemus'. Quod autem post tres bacchios postremo paeone concluditur, metrum bassaricum appellatur, ut est 'ab euro sonorum quis Aetnae per maria'. Id vero, quod tribus praecedentibus creticis diiambo clauditur, fiet rhythmus concurrens [ex] duobus amphimacris et trochaico dimetro catalectico, quod euripidion nominatur, tamquam 'aureo sub toro tollit aemulas faces'. Nam ferme tragicis carminibus bacchiaca compositio familiaris est.

131* Observabis itaque singulorum differentias et taliter: aut enim ex paeonibus sunt temporum quinque aut ex bacchiis adaeque temporum totidem aut etiam ex creticis, quos amphi-

---

facilis esto magis ad tuos'. *Mar. Plot. p. 542, 28:* Aliud paeonicum metrum acatalectum fit paeone et amphimacro, 'ὦ πόλι φίλη φίλη, | flumina gelu gelant'.

130* *Mar. Vict. p. 98, 6:* Recipit etiam — familiaris est. *Cf. Westphalius Metr. t. II p. 198 ed. sec.*

131* *Mar. Vict. p. 96, 31:* Observabis itaque — era cibos. *Aristid. Quintil. p. 55 sq. ed. Meib.:* Γίνεται δὲ ταῦτα καὶ διὰ τοῦ τετάρτου παίωνος καθαροῦ, οὗ πολλάκις ἤτοι τὰς δύο μέσας βραχείας συνάγοντες εἰς μακρὰν διὰ βακχείου καθαροῦ ποιοῦσι βακχειακόν, ἢ τὴν τελευταίαν μακρὰν εἰς δύο βραχείας λύοντες, δι' ὅλων βραχειῶν ταυτὸ (τοῦτο *Hermannus*) ποιοῦσι, τὴν κατακλεῖδα μόνην τέταρτον παίωνα τηροῦντες, διὰ τὸ τῆς μακρᾶς εἰς ἀνάπαυσιν εὐπρεπές. *Hephaest. p. 41, 15:* ὅμως δὲ ἐν τοῖς Γεωργοῖς Ἀριστοφάνης ἐποίησε τὸν τέταρτον παίωνα ἀντὶ τοῦ

---

1 implacidus *Caesius Bassus l. s. et Mar. Vict. p. 53, 9* iam placidus *A B* ς 2 ingenia musice *Caes. Bass. et Mar. Vict. p. 124, 17* ingenia mus............ it ēt..... pariambo tribra....... dē solutum *lacunis sine litura relictis A* ingenia musarum item etiam pariambo tribra dem solutum *lacuna post* tribra *relicta B* ingenia Mus∗ fit etiam Pariambo Tribra ∗ dem solutum ς 3 recipit etiam cum pariambo tribrachyn conexum, id est *Keilius: librorum scripturam dedi ad* 2 4 retulit *Camerarius* rettulit *A B* ς 5 Philopolemus] *fr. 13* B p. 196, 6: cf. supra p. 98* 6 bassaricum *Camerarius* bassiricum *A B* ς 8 diambo *A B* concurrens] concurrens ex *A B* ς 9 catalecto *A B* 10 euripidion ς suripidion *A B* 13 differentias et taliter ς differentias et aliter *A B*

macros diximus, qui et ipsi quinque temporum proceritate nituntur. Quod ideo diximus, ne in partiendo errorem incurramus. Ubi enim non pedum, sed numerorum ratio subsistit, non pedes pedibus pares restituuntur, sed tempora temporibus adaequantur. Quidam trisyllabis et tetrasyllabis admixtis pedibus hoc genus versuum et composuerunt et indifferenter ista compositione usi sunt. Nam aut creticis aut eorum solutionibus, id est paeonibus aut primo aut quarto, indifferenter mixtis carmen ediderunt. Sed et bacchiacis et creticis coniugationibus adaeque usi sunt, ut est hoc, 'acuta falce si virentis esculos'. Recipit autem etiam trochaeum et pariambum conexos, sed et cum pariambo iambum in syzygia, qua efficitur paeon quartus, ultima scilicet iambi longa, tribus brevibus antepositis, quem tam ex bacchio quam ex cretico solutione longarum, id est prima longa cretici et secunda bacchii ab ultima, effici cunctis in promptu est. Unde datur intellegi eundem pedem per solutionem cretici et bacchii communem esse utriusque. Cui par similisque etiam is rhythmus qui ex quinque continuis brevibus syllabis constat: est enim totidem temporum, quot et paeon pes et bacchius et amphimacrus, tamquam 'vorat agile fera propera, modo retulit era cibos'.

πρώτου, οὐ τηρήϲαϲ τὸ πρῶτον παρατήρημα, 'ἐν ἀγορᾷ δ' αὖ πλάτανον εὖ διαφυτεύϲομεν'. ἐν δὲ ταῖϲ δευτέραιϲ Θεϲμοφοριαζούϲαιϲ καὶ κρητικοὺϲ πολλάκιϲ ἐν μέϲοιϲ τοῖϲ τετραμέτροιϲ παρέλαβε, 'μήτε Μούϲαϲ ἀνακαλεῖν ἑλικοβοϲτρύχουϲ, | μήτε Χάριταϲ βοᾶν εἰϲ χορὸν Ολυμπίαϲ, | ἐνθάθε γάρ εἰϲιν, ὥϲ φηϲιν ὁ διδάϲκαλοϲ'. Cιμμίαϲ δὲ ἐπετήδευϲεν ἔν τιϲι ποιήμαϲι τοὺϲ πλείϲτουϲ κρητικοὺϲ παραλαμβάνειν, 'μᾶτερ ὦ πότνια, κλῦθι, νυμφᾶν ἁβρᾶν, | Δῶρι, κυμοκτύπων ἤραν' ἁλίων μυχῶν'. καὶ πάλιν, 'ϲοὶ μὲν εὔιπποϲ, εὔπωλοϲ, ἐγχέϲπαλοϲ | δῶκεν αἰχμὰν Ἐνυάλιοϲ εὔϲκοπον ἔχειν'. Ἓν δὲ ποίημα ἐπετήδευϲε ϲυνθεῖναι, ὥϲτε ἀμφοτέραϲ τὰϲ ἑκατέρωθεν τοῦ κρητικοῦ μακρὰϲ λύϲαϲ τὸν ἐκ πέντε βραχειῶν παραλαμβάνειν παίωνα πλὴν τῆϲ τελευταίαϲ, ἐφ' ἧϲ τὸν τέταρτον παραλαμβάνει παίωνα· ἔϲθ' ὅτε δὲ καὶ ἐπὶ τῆϲ παρατελεύτου κέχρηται, 'ϲέ ποτε Διὸϲ ἀνὰ πύματα νεαρὲ κόρε νεβροχίτων'. *Cf. ibid. p. 42, 15.*

---

11 uirentis *A* uirentes ς *B* 12 sed et cum pariambo iambum *Keilius* sed et cum iambo pariambum *A B* ς 13 qua] quae *B* 18 similisque etiam is rhythmus *Keilius* similisque etiam his rythmis *A B* similisque hic rhythmus ς 21 uolat agile per aprifera modo retulit ebria cibos ς fera propera *Keilius* feraprofera *A B*

132* Ambigitur super auctoritate proceleumatici, quod constat ex duobus pyrrichiis, id est quattuor brevibus, an inter prototypa metra hoc quoque recipiendum habendumque sit, quia nec molossicum, quod constat e tribus longis, propter nimiam similitudinem induci aut videri metrum potuit. Quidam tamen decimam huic speciem post novem prototypa impertiendam esse, e quibus est et Philoxenus, ex eo putaverunt, quod laconicum longis constantem quindecim huic propter contrarium respondere posse conspicerent (qui tamen non ex omnibus molossis conectitur; nam spondeos invicem miscet), ut est 'ite, o Spartae primores, fauste nunc parcas ducentes'. Satius tamen est adnecti eum copularique comico anapaestico, cuius cognationem inter se coniunctis suis duabus ultimis brevibus demonstrat. Nam ex dimetro anapaestico tetrameter proce-

---

132* *Mar. Vict. p. 98, 17:* Ambigitur super — per dipodian. *Cf. quae supra disputavi p. 40 sq. 134 sqq. Hephaest. p. 28, 24:* Τῷ δὲ ἀναπαιστικῷ ὑποστέλλοιτο ἂν καὶ τὸ προκελευσματικὸν ὑπ' ἐνίων καλούμενον, οἷον τὸ τετράμετρον τοῦτο τὸ Ἀριστοφάνειον, 'τίς ὄρεα βαθύκομα τάδ' ἐπέσυτο βροτῶν', γίνεται γάρ, ἑκάστου τῶν πρώτων τριῶν ποδῶν ἀναπαίστων λελυμένου εἰς τὸν προκελευσματικόν, δίμετρον ἀκατάληκτον ἀναπαιστικόν. Τινὲς δὲ αὐτὸ κατὰ πόδα διαιροῦντες πυρριχιακὸν καλοῦσι· τοῖς δὲ χαριεστέροις δοκεῖ ἀναπαιστικὸν εἶναι, ἀντὶ ἑκάστου ἀναπαίστου προκελευσματικοῦ παραλαμβανομένου ἐπὶ τῶν ἄλλων χωρῶν, ἐπὶ

---

1 quod *B* qui *A* ς 3 habendumque sit: quidam novem prototypis adsociandum negant propterea, quod numquam ex pyrrhichio, qui duplex in proceleusmatico habetur, formata aliqua in metris species proferatur, quando uniformitas omnium brevium metrum facere non sufficit, nec molossicum, quod constat ex tribus longis, — 293, 2 tuba terribilem sonitum crepuit*. huius versus longissimus erit *Bergkius in commentat. academ. benef. Wolframsdorf. lege edita Hal. a. 1861 p. 3: vide quae supra dixi p. 135 sq.* 3 quia] quidam *B an* siquidem — potuerit? 6 post nouem ς quod nouem *A* qui nouem *B* quod novem sunt prototypa *coniecit Keilius: mihi videntur v.* quod novem prototypa *aut huic aut priori enuntiato* (1 ambigitur *e. q. s.*) *olim adscripta* 7 Philoxenus] *vid. supra p. 35* 8 huic prope contrarium ς 9 qui] quod *B* 10 molossis *Keilius* molosicis *A* molossicis ς *B* 11 ite o Spartae *Gaisfordius* ita eos parte *A B* iteo parcae ς faustae ς *A B:* nunc fauste turmas ducentes *Ritschelius Opusc. philol. t. I p. 273, sed* parcas *Iubam scripsisse supra exposui p. 136* 13 inter se *Keilius* in se *A B* ς 14 tetrameter *Gaisfordius* trimeter *A B* ς

leumaticus figurabitur versus longa eius in duas breves soluta et syzygia in simplices pedes divisa, ut est 'tuba terribilem sonitum crepuit'; * praeterea quod numquam e pyrrichio, qui duplex in proceleumatico habetur, formata aliqua in metris species proferatur. Huius versus longissimus erit tetrameter catalecticus vel, siqui illum adhuc extendere adfectet, pentameter. Recipit autem prima et secunda et tertia sede proceleumaticum, quarta tribrachyn aut anapaestum, quibus et clauditur, scilicet detracta proceleumatico syllaba ultima aut duabus brevibus ultimis in unam longam redactis propter anapaestum, uti metrum sit, non numerus. Scanditur autem per dipodian.

δὲ τῆς τελευταίας φυλαττομένου αὐτοῦ καθαροῦ καὶ μὴ λελυμένου. *Fragm. Ambros. p. 261, 16 ed. Nauck.:* τινὲς δὲ ᾠήθησαν αὐτὸν (*sc.* προκελευσματικόν) ποιεῖν τὰ προκελευσματικὰ μέτρα, οἱ δὲ πλείους ταῦτα ἀναπαιστικὰ λελυμένα φασίν, ὡς εἶναι ὅτε εἰς τὰ ἰωνικὰ συντελοίη ὁ μολοσσός· τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ εἰς ἀριθμὸν (καὶ εἰσόδιον *coni. Nauckius conl. Mar. Vict. p. 99, 19: an* καὶ ἰσόρυθμον?) καλοῦσι. *Cf. Iub. art. l. III fr. 56* p. 241, 16 et adnot. super. Mar. Vict. p. 70, 2. 96, 14. Mar. Plot. p. 546, 2:* qui (*sc.* proceleumaticus) anapaestico datus est metro. *Ibid. p. 500, 20. Atil. Fortunat. p. 290, 21:* Quidam adiciunt his octo proceleumaticum, cui nec addi quicquam nec minui potest: omnibus enim brevibus constare debet. *Diom. p. 513, 15:* Molossicum metrum mihi durissimum videtur. huius exemplum dat Caesius Bassus tale, 'Romani victores Germanis devictis'. omnes longae sunt, quia molossus constat ex tribus longis. hunc sane versum simillimum puto illi hexametro qui spondiacus dicitur. nam et hic similiter duodecim syllabas longas habet. *Mar. Vict. p. 112, 8:* spondiacus enim, ut trochaicus et iambicus, ex omnibus spondeis subsistit, cui si molossum ultimum adieceris, fiet laconicum metrum e quindecim longis ita, 'Hispani duri desciscunt a Romanis victores'. *Iub. l. III fr. 34* p. 227, 4:* pyrrichius enim nullum ex se metrum edidit. *Caes. Bass. p. 264, 27:* Proceleumaticus constat ex duobus pariambis, id est quattuor brevibus syllabis, cuius exemplum et in pedum demonstratione posui et nunc referam, '† sedet ibi Bromia dea pede mulier, | modo pecora rapida caper agitat humi, | caput inanime tepet avida neque manus'. habet hic versus proceleumaticos tres, quartum pariambum, semipede cluditur, ita ut detracta

---

1 duas *add. Keilius, om. A B ς* 2 tuba] *cf. Verg. Aen. IX 503* at tuba terribilem sonitum procul aere canoro increpuit. *Excidisse vel ante vel post hunc versum alium ex tribus proceleusmaticis et uno anapaesto,* crepitu *vel* crepuit, *compositum vidit Keilius: cf. Iub. l. III fr. 59** sonitu crepitu *A B* sonuit crepitum *ς* 3 praeterea *A ς* propterea *B.* praeterea — proferatur *post* 292, 5 videri metrum potuit *transponenda esse coniecit Caesar 'Grundz. d. griech. Rhythm.' p. 181: vid. quae supra monui p. 135 sq.* 6 si quis illum *ς B* 12 per dipodian *ς B* per dipodiā *A*

133* Exemplum erit tetrametri catalectici [id] 'nemus ave reticuit, ager homine sonat', item 'perit abit avipedis animula leporis': trimetri autem 'id agite peragite iuvenes': dimetri 'id agite iuvenes'.

134* Hoc metro veteres satyricos choros modulabantur, quod Graeci εἰcόδιον ab ingressu chori satyrici appellabant, metrumque ipsum εἰcόδιον dixerunt.

---

proceleumatico syllaba in tribrachum cadat et insistat, ne, ut dixi, numerus sit, non metrum. *Fragm. Bob. de metr. p. 624, 1:* proceleumaticus autem pes, qui a duobus pyrrichiis, id est quattuor brevibus, constat. *Cf. quae supra monui p. 79 sq.*

133* *Mar. Vict. p. 99, 11:* Exemplum erit — agite iuvenes. *Cf. Iub. art. l. III fr. 56* p. 242, 2. Mar. Vict. p. 53, 10:* proceleumatici tetrametri catalectici (*sc.* exemplum), ut 'nemus ave reticuit, ager homine silet'. *Fragm. Ambros. p. 254, 4 ed. Nauck.:* κατὰ διποδίαν δὲ cυντιθέμενοc ἐπὶ τὰ καλούμενα πυρριχιακὰ πρόειcι τετράμετρα, ὧν ἀπόδειγμα τόδε· 'ἴθε μόλε ταχύποδοc ἐπὶ δέμαc ἐλάφου | πτεροφόρον χελιδόνα καθημένην'. *Schol. Hephaest. p. 131, 20:* κατὰ διποδίαν δὲ cυντιθέμενοc (*sc.* ὁ πυρρίχιοc), καὶ τὸν προκελευcματικὸν ποιῶν, τὰ καλούμενα προκελευcματικὰ ἢ πυρριχιακὰ μέτρα ποιεῖ, ὧν παραδείγματα 'ἴθι μόλε ταχύποδοc ἐπὶ δέμαc ἐλάφου, | πτεροφόρα χερὸc (ἄπο) καθιέμενα (βέλη)'. *Diom. p. 513, 10:* Proceleumaticum metrum est, quale fecit Serenus, 'animula miserula properiter abiit'. *Mar. Vict. p. 147, 18:* 'perit abit avipedis animula leporis'. *Vict. de metr. et de hexam. p. 208, 7:* proceleumaticus ex quattuor brevibus, ut 'animula' 'memoria'. *Vid. ea quae supra disserui p. 11 sq. Atil. Fortunat. p. 290, 22:* dimeter catalecticus 'ave nemora silent', tetrameter catalecticus 'maritima itinera (*leg.* itinera maritima) peragere cupio'. *Mar. Vict. p. 101, 21:* 'id agite peragite celeriter'. *Mar. Plot. p. 532, 20:* Plenum proceleumaticum tetrametrum fit quattuor proceleumaticis plenis positis, 'id agite peragite celeriter itinera'.

134* *Mar. Vict. p. 99, 19:* Hoc metro — εἰcόδιον dixerunt. *Cf. Iub. art. l. IV fr. 73*. 89*. Mar. Plot. p. 499, 11:* proceleumaticus dictus est, quod choros concitantes, ut celerius saltationem celebrarent, inter se hortabantur, et hortatio graece κέλευcιc nuncupatur.

---

2 homine ς hominem *A B* sonat*: vide supra l. III fr. 56* p. 242, 2:* silet *rectius legitur Mar. Vict. p. 53, 11* perit] *Sereno tribuit Martianus Capella p. 171 ed. Eyss.: cf. quae supra exposui p. 11 sq.* abit auipedis ς *B* abit abipedis (u *supra* b) *A* abita ubipedis *Val.* 6 Graeci *Putschius* graece *A B* ς

LIBER VIII.

Alia consentanea et veluti cognata inter se ratione iunguntur, alia ex dissidenti ac contraria, quae Graeci κατὰ cυμπάθειαν καὶ ἀντιπάθειαν appellant. Erunt ergo per cυμπάθειαν, id est per consentaneum adfectum, mixtae inter se iambicae bases choriambicis et antispasticis. Nam quotiens copulantur sub quacumque sede, videas veluti ex una eademque specie id compositum metrum stare et quasi uniforme, quod monoides Graeci dicunt, procedere. Adaeque et trochaicae bases ionicis pari consensione sociantur, cum epiplocarum, quas amplexiones metrorum diximus, mutua inter se successione variantur. [Similiter dactylicis anapaestica incidunt, ut 'arma virumque cano'. Etenim adiectis duabus brevibus, ut supra ostendimus, fiet anapaesticum per cυμπάθειαν sic, 'ades arma virumque cano'. Qua vicissitudine et ex trochaicis iambica et ex anapaesticis dactylica metra inter se formantur.] Per 135*

135* *Mar. Vict. p. 102, 9:* Dicemus igitur de mixtis ac mutua conexione sociatis metrorum generibus, quorum bifariam ratio dispergitur, namque alia consentanea — successione variantur. et quamvis non solum trochaeum et solutionem eius tribrachyn, sed et spondeum cum suis solutionibus, id est dactylum et anapaestum, admittant, tamen uniformia metra sentiuntur, cum ex similibus et familiaribus pedibus sit ista coniunctio. similiter dactylicis — tamen discrepant . . . *(103, 4)* intellegis igitur — convenisse videntur. *Schol. Hephaest. p. 189, 25:* Ἰcτέον δ' ὅτι (τὰ) ἰωνικὰ εἴωθε δέχεcθαι καὶ τροχαϊκὰc ὅτε ἐcτὶ κατὰ cυμπάθειαν (ἐπίμικτα), ὡc τὰ χοριαμβικὰ καὶ ἀντιcπαcτικὰ τὰ ἰαμβικά. *Ibid. p. 201, 23:* ὁμοειδῆ (*sc.* ἀcυνάρτητα) δὲ ὀκτώ, οἷον ὅταν τὰ ἰαμβικὰ μὴ τέλεια ὄντα χοριαμβικοῖc ἐπιφέρηται

---

2 dissidenti ac contraria *Keilius* dissidentia c contraria *A* dissidentia contraria ς *B* 3 ἀντιπάθειαν appellant ς *B* ἀΝΤΙΠἀΘΕΙἀΝ idē appellant *A* 4 per consentaneum inter se adfectum mixtae iambicae bases *coniecit Keilius: delet v.* inter se *Caesar* 5 basis *A B* 6 eademque *Keilius* eadem *A B* ς 7 quasi uniforme ς quasi uniformi *A* quibus uniforme *B* monoides] *fortasse verum est* ὁμοιοειδέc*: nam metrum uniforme est* μονοειδέc, *metrum quasi uniforme est* ὁμοιοειδέc, *quod vocabulum modo in* ὁμοειδέc *(sicut fr. 33* p. 226, 19, ubi* ὁμοιοειδέc *reponendum erat) modo in* μονοειδέc *corruperunt librarii* 8 basis *A B* 11 *v.* similiter — inter se formantur *ab hac* ὁμοιοειδῶν *definitione prorsus abhorrere supra monui p. 60* arma] *Verg. Aen. I 1* 12 supra] *Mar. Vict. p. 63, 30*

ἀντιπάθειαν vero, id est per contrarium adfectum seu passionem, iunguntur ea quorum inter se contrariae species haud facile copulantur. Est enim coniunctionis genus nimis scabrum atque asperum, ut sunt ionica ἀπὸ μείζονος cum iambicis [vel dactylica cum trochaicis] semper dissentientia inter se atque abhorrentia. Unde et ἀσυνάρτητα a Graecis, id est inconexa, appellantur, ut est 'beatus ille qui vacans mente vivit integra'. Nam compositus apparet versus ex dimetro iambico acatalecto et dimetro trochaico catalectico [ex diversis et contrariis amplexionibus]: hi enim, etiamsi genere congruunt, specie tamen discrepant. Intellegis igitur atque ipso sensu abhorrentium aurium percipis duo metrorum cola dissidentia inter se ita confragose atque aspere coisse in unitatem conexionemque, ut superiora lenem ac liquidam nequaquam convenisse videntur.

ἢ τροχαϊκὰ ἰωνικοῖς, ἢ ἐναλλάξ· ἐπισύνθετα δὲ κδ΄. *Cf. Iub. art. l. V fr. 94**. *Aristid. Quintil. p. 56 ed. Meib.*: Γίνεται δὲ καὶ κατ᾽ ἀντιπάθειαν μέτρα δύο, ὧν τὸ μὲν ἐπιωνικὸν καλεῖται, ὅτε διποδίας ἰαμβικῆς προκειμένης ἰωνικὴν ἐπιφέρεσθαι συμβαίνει, ἥτις οἰκειότητα πρὸς τροχαϊκόν, ὡς ἐπεδείξαμεν, ἔχουσα, δεόντως ἂν ἀντιπάσχειν τῇ ἰαμβικῇ λέγοιτο· τὸ δὲ, ἐπιχοριαμβικόν, ὅτε τροχαϊκῆς προκειμένης διποδίας ἐπιφέρεται χοριαμβική, οἰκειότητα πρὸς τὴν ἐναντίαν τοῦ τροχαϊκοῦ τὴν ἰαμβικήν, ὡς προειρήκαμεν, ἔχουσα *e. q. s.* *Schol. Hephaest. p. 202, 4*: ἀντιπαθῆ κδ΄, ὧν τὰ μὲν πρώτης ἀντιπαθείας, ὅσων μιᾶς συλλαβῆς ἐκτιθεμένης τὸ ὅλον ἓν ποιεῖ(ται). *Ibid. p. 190, 7*: ὅταν δὴ τὸ χοριαμβικὸν λάβῃ τὰς τροχαϊκὰς ἢ τὸ ἰωνικὸν τὰς ἰαμβικάς, καλοῦνται κατ᾽ ἀντιπάθειαν· καὶ ὅταν μὲν τὸ χοριαμβικὸν κατ᾽ ἀρχὴν λάβῃ τὸ τροχαϊκόν, ἐπιχοριαμβικὸν

---

1 effectum *B*   4 ut sunt *e. q. s.*] ἀντιπαθῆ τῆς πρώτης ἀντιπαθείας *et* τῆς δευτέρας *non distinguuntur a metrico*   5 *v.* vel dactylica cum trochaicis *in suspitionem vocavi p. 60: fortasse* choriambica cum trochaicis *olim legebatur, ut haec exemplis supra adlatis responderint*   6 ἀσυνάρτητα] *haec adpellatio ad sola* ἀντιπαθῆ *spectat: metra per* συμπάθειαν *iuncta et conexa esse possunt et inconexa* (*i. e.* ἀσυνάρτητα)   7 uagans ς   9 *v.* ex — amplexionibus *ut inepta seclusi: fortasse olim verbis* 3 est enim coniunctionis genus *e. q. s. adscripta erant*   12 percipis *B Val.* ς percipes *A*   13 comfragose *A*   in unitatem connexionum, ut superiora lene ac liquidum nequaquam conuenisse uideantur ς in unitatem conexionemque, ut superiora in lenem ac liquidam conexionem usquequaque convenisse videantur *coniecit Keilius* ut in unitatem conexionemque, ut superiora, lenem ac liquidam nequaquam convenisse videantur *Caesar de vers. asynart. p. XVII*

Praeterea permixtio colorum [id est membrorum] in metris quadripertita est. Aut enim metra ex duobus colis imperfectis conciliantur aut ex duobus perfectis aut ex perfecto et imperfecto aut contra, id est ex imperfecto et perfecto. 136*

In eius modi enim versibus membrorum manifesta discretio est. Quae autem ex duobus imperfectis colis [id est membris] conciliantur, vix est eorum separationem divisionemque cognoscere, in his praecipue, quae minimae proceritatis conexa iunguntur: exempli gratia si sit iambicum dimetrum catalecticum et sequatur dactylicum dimetrum brachycatalectum ita, '†dicata ex fario', cum sit traditum colum 137*

καλεῖται, ὅταν δὲ τὸ ἰωνικὸν κατ' ἀρχὴν δέξηται τὸν ἴαμβον, ἐπιωνικόν ἐϲτιν. *Hephaest. p. 53, 19:* Ἄλλο ἀϲυνάρτητον ὁμοίωϲ κατὰ τὴν πρώτην ἀντιπάθειαν, ἐξ ἰαμβικοῦ διμέτρου ἀκαταλήκτου καὶ τροχαϊκοῦ ἑφθημιμεροῦϲ, τοῦ καλουμένου Εὐριπιδείου, οἷον τὸ ἐν τοῖϲ ἀναφερομένοιϲ εἰϲ Ἀρχίλοχον Ἰοβάκχοιϲ 'Δήμητροϲ ἁγνῆϲ καὶ Κόρηϲ τὴν πανήγυριν ϲέβων'.

136* *Mar. Vict. p. 103, 10:* Praeterea permixtio — ex imperfecto et perfecto. *Aristid. Quintil. p. 56 ed. Meib.:* Τούτων δὲ τὰ μὲν ἐκ δυοῖν μέτρων ἓν ἀποτελεῖ κῶλον· τὰ δὲ ἐκ μέτρου καὶ τομῆϲ, ἢ μέτρου καὶ τομῶν, ἢ ἐκ παϲῶν τομῶν, ἢ ἀνάπαλιν τομῆϲ καὶ μέτρου, ἢ τομῶν καὶ μέτρου (καὶ μέτρου, ἢ τομῶν καὶ μέτρου *Meibomius* καὶ μέτρου καὶ μέτρων *lib.*): *vid. Westphalius Metr. t. II p. 185 sqq. ed. sec. Mar. Vict. p. 62, 12:* est aeque quae δικαταληξία nominatur.

137* *Mar. Vict. p. 103, 19:* In eius modi — comoediis reperiuntur.

---

1 permixtio] permixtiones *A B* ς 2 quadripartitae . . . ex duobus *A* ς *lacuna duodeviginti fere litterarum ante* ex *in A relicta* quadripertita est aut ex duobus *B* praeterea permixtio colorum, id est membrorum, in metris quadripartita est: aut *Caesar* praeterea permixtiones colorum [id est membrorum] in metris quadripertitae sunt. aut enim metra *e. q. s. Keilius* praeterea per mixtiones colorum (i. e. membrorum) in metris quadripartita est ratio. Metra enim aut *e. q. s. Westphalius Metr. t. II p. 184 ed. sec.* *Iubam hoc ordine scripsisse:* metra aut ex duobus colis perfectis, aut ex perfecto et imperfecto, aut contra, id est ex imperfecto et perfecto, aut ex duobus imperfectis conciliantur *coniecit Westphalius Metr. t. II p. 186 ed. sec.* 3 aut ex duobus *scripsi 'Heliod. Unters.' p. 128* aut duobus *A B* ς 7 quae] qui *B* 9 quae] qui *B* 10 iambicum monometrum catalecticum — ita, dicata nectareo *coniecit Keilius* 11 catalecticum *A* catalectum ς *B* 12 dicata est uario ς

ita demum iustae proceritatis accipi, si decem et octo temporibus suppleatur. Cum autem nec coli mensuram brevitas ista conficiat, quantum a perfecti versus mensura discordet, [et] utique manifestum est, cum colum portio versus esse tradatur. Sunt item quae primam trochaicam, secundam choriambicam, tertiam trochaicam, sed et quartam syllaba breviorem coniugationem habeant, quorum exempla plerumque apud comicos in Diphili et Menandri comoediis reperiuntur.

138* Nam cum metrorum principalium, quae catholice excepto rhythmo paeonico recipienda sunt, octo genera censeantur, siquis ea octies multiplicet, [et] octona metra octies multiplicata efficient differentias LXIIII. Et ut exemplo id apertius clareat, siquis iambicum iambico coniungat aut trochaico et deinceps ceteris, id est dactylico anapaestico choriambico antispastico et ionicis duobus, fient harum permixtionum differentiae octo. Pari ratione si sit trochaicum ceteris metris, ut supra de iambico diximus, coniugatum, fient aliae differentiae octo. Ac deinceps si per omnia pedum genera similiter fiat ista coniugationis multiplicatio, non dubie clarum erit effici differentias LXIIII in omni octo metrorum principalium summa. Cuius rei edocendae gratia etiam quaedam sui generis exempla proponam. Nam si ex duobus iambicis, quae penthemimere vocantur, versus unus formetur, fiet sapphicum huius modi, ʻmeat per aequor Inoa proles'. Item si ex duobus

138* *Mar. Vict. p. 104, 30:* Nam cum — conexione miscentur. *Schol. Hephaest. p. 201, 15:* Ἰςτέον δὲ ὅτι ἀςυνάρτητα γίνεται τὰ πάντα ξδʹ. Τὰ γὰρ ὀκτὼ μέτρα τοῖς ὀκτὼ μέτροις, τοῦτ' ἔςτιν ἑαυτοῖς, ἐπιπλεκόμενα, τὰ ξδʹ ταῦτα γίνεται. Ἀπὸ τῶν ἑξαςήμων μὲν λςʹ· ἑξάκις γὰρ τὰ ςʹ, λςʹ. Τῶν δὲ τετραςήμων τέςςαρα. Τὰ (δὲ) λεγόμενα ἐπιςύνθετά εἰςι κδʹ, ἃ καὶ αὐτά ἐςτι τῶν ἀςυναρτήτων. Ἔτι καὶ θάτερον τρόπον, τούτων μονοειδῆ μέν ἐςτιν ὀκτώ. *Mall. Theod. p. 600, 17:* Diversa vero inter se metra posse coniungi lyricorum poetarum permulta et graeca et latina scripta declarant. itaque dactylico subiungere

4 et *om.* ς 6 syllaba ς syllabam *A B* 8 in *add. Keilius*, *om. A B* ς 12 et *om.* ς 13 exemplo ς *B* exemlo *A* 14 iambico coniungat ς iambico coniugat *A B* iambico coniuget *coniecit Keilius: an* iambico iungat*?* 23 quae] qui *B* 25 Inoa *Keilius* ionia *A B* ς

iambicis dimetris catalecticis fiat permixtio, fit metrum quod aeschrionion dicitur, ut est 'amore me subegit et igneo furore'. Similiter duo dactylica si coniungas penthemimere, fit elegium tale, 'lactea sanguineis lilia mixta rosis'. Vel si anapaestica hephthemimere copulentur, fiet metrum quod παροιμιακόν appellatur, veluti 'sed Iapygii vada ponti victi prope litoris actas'. Item ex duobus trochaicis, quae hephthemimere nuncupamus, fit metrum euripidion, quod est tale, 'Phoebe carminum potens, cum sorore sis favens'. Sed et multa alia per singula metrorum genera, quae persequi satis prolixum est, sub huius modi conexione miscentur.

Verum haec coniuncta, quae graece ἀσυνάρτητα [non 139*
composita] nominantur, ita perfecta sunt, ut facile sit unam quamque partem coli determinatione adsequi, cuius sit aut proceritatis aut generis. Illa autem quae συγκεχυμένα et ἀπεμφαίνοντα, quae nos confusa et immanifesta dicimus, non tam perspicua et aperta sunt, idcirco quod non tantum ex differentia diversorum metrorum coniugantur, verum ex eo, quod brevia et non perfectae proceritatis in hoc genere versuum cola, quae nos membra dicimus, sociantur. Nam ferme a

---

et dactylicum et iambicum et alia licet. iambico quoque versu eundem in modum etiam iambicum et alium quemlibet versum subicere possumus; idque eadem ratione per omnia metra usurpare possumus, ita ut diversorum inter se metrorum sit apta et decora coniunctio. *Westphalius Metr. t. II p. 190 sqq. ed. sec. Hephaest. p. 56, 13:* Καὶ τὸ ἐκ τῶν ἰαμβικῶν ἑφθημιμερῶν δικατάληκτον Καλλίμαχος, 'Δήμητρι τῇ πυλαίῃ τῇ τοῦτον ὀὐκ Πελαςγῶν'. *Ibid. p. 52, 12:* Τοῦ δὲ δακτυλικοῦ πενθημιμεροῦς δὶς λαμβανομένου γίνεται τὸ ἐλεγεῖον. *Mar. Plot. p. 512, 10:* Archilochium dipenthemimericum pentametrum constat ex duabus divisionibus penthemimericis monoschematistis. semper enim binis dactylis constat, ut est exemplum graecum, 'ἐν δὲ Βατουςιάδης, ἐν δὲ Βατουςιάδης'.

139* *Mar. Vict. p. 105, 24:* Verum haec — dimetrum hypercatalectum... quae varietas facit differentias octo, quod etiam in ceteris septem metris accipiendum est, iuxta quod fiunt differentiae

---

2 subegit *B* ς subigit *A* 6 sed Iapygii vada *Keilius* sed iapygia uada *A B* ς uicti *A B* ς taciti *Keilius* vidi *conieci* '*Krit. Bl.*' *I p. 71* 7 trochaicis *Keilius* trochaeis *A B* ς quae] quod *B* 10 prolixum est *A* prolixum eēt *B* prolixum esset ς 12 graeca *corr.* -ce *A* 15 ΑΠΕΜΦΑΙΝΟΝΤΑ ς *B* ΑΠΕΜΦΑΙΝΟΤΑ *A* 18 coniugantur ς *B* coniungantur *A*

monometro brachycatalecto initium sumunt et non ultra dimetrum hypercatalectum crescunt. Unde intellegi datur per singula metra, quae octo sunt numero, totidem incrementa differentiarum reperiri, id est octona in generibus singulis, ita: aut enim monometrum est brachycatalectum aut monometrum catalecticum aut monometrum acatalectum aut monometrum hypercatalectum; rursus aut dimetrum est brachycatalectum aut dimetrum catalecticum aut dimetrum acatalectum aut dimetrum hypercatalectum.

140* Verum haec si singula sint nullis aliis congregatis, ut et de superioribus diximus, manifesta erunt. At cum inter se similia aut disparia nectuntur, tunc ex ipsa brevitatis conclusione obscuritas nascitur, unde συγκεχυμένα et ἀπεμφαίνοντα a Graecis, a nobis confusa et immanifesta appellata sunt. Fiunt itaque per has coniunctiones de his LXIIII differentiis, ut maiores nostri in hac arte sublimes tradiderunt, species differentiarum quattuor milia XCVI, scilicet multiplicatis inter se colis. Proponamus itaque canonem dactylici in exemplum reliquorum septem metrorum, qui est, ut ceteri, aeque octo differentiarum ita: nam aut dactylicum monometrum brachycatalectum dactylico monometro brachycatalecto copulatur aut idem brachycatalectum catalectico aut acata-

---

octies octonae, quae comprehendunt numerum differentiarum LXIIII. *Rufin. comm. in metr. Ter. p. 559, 25:* Graecus apemphaenonta solet memorare poeta, | inmanifesta vocant haec carmina voce latina.

140* *Mar. Vict. p. 106, 14:* Verum haec — alternatione efficiuntur. *Westphalius Metr. t. II p. 187 sqq. ed. sec.*

---

5 monometrum est brachycatalectum ς monometrum est brachycatalectico *B* monometrum ebrachycatalectico *A* 6 acatalectum aut monometrum *add. Keilius*, *om. A B* ς 10 nullis aliis congregatis *Keilius* nullis eis congregatis *A B* ς 11 erunt *Keilius* essent *A B* ς 13 ἀπεμφαίνοντα] '*metra* ἀπεμφαίνοντα *Iuba auctore commemoravit Marius Victorinus p. 106, 17' Keilius ad Rufin. comm. in metr. Ter. p. 559, 25* 16 ut maiores nostri (*i. e.* Iuba) in hac arte sublimes *sunt verba Aphthonii vel Victorini: cf. supra p. 59 et 87* 17 XCVI *B Val. a* ς X.. *duabus litteris deletis A* 18 colis prototyporum. itaque canon est dactylici ς

lecto aut hypercatalecto, et rursus idem brachycatalectum dactylicum dimetro brachycatalecto aut dimetro catalectico aut dimetro acatalecto aut dimetro hypercatalecto sociatur, quae sunt commutationes octo canonis unius. Igitur eo pacto, quo monometrum brachycatalectum percurrens octo canonas, ut ostendimus, fecit differentias LXIIII, ita et monometrum dactylicum catalecticum et acatalectum et hypercatalectum: cum suum ceterosque canonas tam per monometrum quam per dimetrum singula metra percucurrerunt, procul dubio octies sexagenae quaternae differentiae colliguntur. Ex quibus efficitur numerus differentiarum in una quaque metri specie quingentarum XII. Si ergo unius canonis haec summa de differentiarum multiplicatione colligitur, manifestum apud omnes erit octo canonum, id est metrorum principalium, multiplicationibus octies quingentas XII differentias fieri, quae in summam maioris numeri redactae efficient differentiarum, quibus ἀcυνάρτητα, id est inconexa, colliguntur, quattuor milia XCVI genera, quae per metrorum clausulas mutua earundem alternatione efficiuntur.

Item si quattuor dactylis tres trochaeos, quos vocant 141*
ithyphallicum, iungas, erit ἀcυνάρτητον, ut est illud, 'tunc et amoris amor venit improbus aliger Cupido'.

141* *Mar. Vict. p. 103, 7:* Item si — aliger Cupido. *Ibid. p. 62, 19:* tunc et amoris amor venit improbus aliger Cupido. *Schol. Hephaest. p. 201, 20:* Τὰ δὲ λεγόμενα ἐπιcύνθετά εἰcι κδ', ἃ καὶ αὐτά ἐcτι τῶν ἀcυναρτήτων. *Hephaest. p. 50, 16:* "Ἐν μὲν δὴ τοῦτο τῶν παρ' Ἀρχιλόχῳ ἀcυναρτήτων. Ἄλλο δὲ τὸ ἐκ δακτυλικῆc τετραποδίαc καὶ τοῦ αὐτοῦ ἰθυφαλλικοῦ, 'Οὐκ ἔθ' ὁμῶc θάλλειc ἁπαλὸν χρόα, κάρφεται γὰρ ἤδη'. γίνεται δὲ ὁ τελευταῖοc τῆc τετραποδίαc διὰ τὴν ἐπὶ τέλουc ἀδιάφορον καὶ κρητικόc, 'καὶ βήccαc ὀρέων δυcπαιπάλουc οἷοc ἦν ἐπ' ἥβηc'. Τοῦτο παρὰ μὲν τοῖc νεωτέροιc πολὺ τὸ μέτρον ἐcτίν, ὥcπερ καὶ παρὰ Καλλιμάχῳ 'τόν με παλαιcτρίταν ὀμόcαc θεὸν ἑπτάκιc φιλήcειν'. παρὰ δὲ Κρατίνῳ ἐν τοῖc Cεριφίοιc οὐκέτι ἀκατάληκτόν ἐcτι τὸ δακτυλικὸν τὸ ἡγούμενον τοῦ ἰθυφαλλικοῦ, ἀλλὰ καταληκτικὸν εἰc διcύλλαβον, 'χαίρετε πάντεc ὅcοι πολύβωτον ποντίαν Cέριφον'. *Ibid. p. 21, 6. p. 56, 16. Serv. centim. p. 466, 23:* archilochium constat tetrametro bucolico et

---

5 quo monometrum ς quod monometrum *A B* 7 acatalectum] acatalecticum *B* 10 octies ς *B* oties *A* 14 apud omnis *A* octo canonum *B* UIII canonum *A* IIII canonum ς 20 quos] quod ς 21 ithiphallicun *A*

142* Memineris autem generaliter elegiaci versus cola iambicis subnexa sub quacumque versus specie seu lege iambelegum ab auctoribus composito vocabulo nuncupari seu contra, si
4 praeponas elegum iambo, elegiambum.

143* Item ex penthemimere et syzygia iambica cum semipede et altero penthemimere, quod platonicon dicitur.

---

tribus trochaeis, ut est hoc 'linea piscator tibi concidit in profunda ponti'.

142* *Mar. Vict. p. 145, 22:* item ex tome iambica et elegiaca, quae penthemimeres dicitur, sic, 'canam relictus, impiger ipse veni'. Memineris autem — iambo, elegiambum, ut 'impiger ipse veni, canam relictus': nam 'impiger ipse veni' tome elegiaca, 'canam relictus' tome iambica. *Heliod. colom. Aristoph. Pac. 775 (p. 5 ed. Thiem.):* τὸ έ διπενθημιμερές, ὃ καλοῦϲιν ἰαμβέλεγον. *Hephaest. p. 51, 10:* Ἔνδοξόν ἐϲτι καὶ ἐπιϲύνθετον καὶ τὸ διπενθημιμερὲϲ τὸ ἐγκωμιολογικὸν καλούμενον, ὅπερ ἐϲτὶν ἐκ δακτυλικοῦ πενθημιμεροῦϲ καὶ ἰαμβικοῦ τοῦ ἴϲου, ᾧ κέχρηται μὲν καὶ Ἀλκαῖοϲ ἐν ᾄϲματι, οὗ ἡ ἀρχή 'Ἦ ῥ' ἔτι Δινομένῃ τῷ Τυρρακήῳ | τἄρμενα λαμπρὰ κέατ' ἐν μυρϲινήῳ'. κέχρηται δὲ καὶ Ἀνακρέων ἐν πλείοϲιν ᾄϲμαϲιν, 'Ὀρϲόλοποϲ μὲν Ἄρηϲ φιλέει μεναιχμάν'. Τὸ δὲ ἀντεϲτραμμένον τούτῳ ἰαμβέλεγοϲ καλεῖται· τούτῳ δὲ ἐν ϲυνεχείᾳ οὐκ ἴϲμεν τινὰ κεχρημένον, διεϲπαρμένωϲ δέ· 'πρῶτον μὲν εὔβουλον Θέμιν οὐρανίαν. | κείνων λυθέντων ϲαῖϲ ὑπὸ χερϲὶν ἄναξ'. *Mar. Plot. p. 543, 20:* Iambelegum metrum constat ex syzygia iambica monometra et syllaba et ex dipodia dactylica penthemimerica [duobus pedibus dactylicis et syllaba], unde etiam metrum nomen accepit, quod iambico et elegiaco constet. melius erit latinum exemplum: nam in utraque caesura finiam partem orationis, non ut graecum, 'amore cogis scribere versiculos'. De metro encomiologico stesichorio. Encomiologicum stesichorium fit e contrario: in hoc enim praeponitur penthemimericum dactylicum et subiungitur iambicum, 'mollibus in pueris aut in puellis'. *Serv. centim. p. 466, 14:* iambelegum constat penthemimeri iambica et dactylica, ut est hoc, 'fontes ligabant gramina laetificos'. *Ibid. p. 466, 11:* encomiologicum constat dactylica et iambica penthemimeri, ut est hoc, 'carmina bella magis velim sonare'. *Cf. supra p. 61.*

143* *Mar. Vict. p. 145, 13:* Item ex penthemimere — platonicon dicitur, ut 'arma virumque cano, boni sodales, ludere nunc opus est'. *Hephaest. p. 52, 2:* Γίνεται δὲ καὶ τριπενθημιμερὲϲ ἐκ τούτων τὸ καλούμενον Πλατωνικόν, ἐν ᾧ τὰ μὲν ἑκατέρωθεν δύο δακτυλικά εἰϲι πενθημιμερῆ, τὸ δὲ μέϲον ἰαμβικόν· κέχρηται δὲ αὐτῷ Πλάτων ἐν Ξαντρίαιϲ, 'χαῖρε παλαιογόνων ἀνδρῶν θεατῶν ξύλλογε παντοϲόφων'. Ἀντεϲτραμμένον δέ ἐϲτι τούτῳ τὸ Πινδαρικὸν καλούμενον, 'ὃϲ καὶ τυπεὶϲ ἁγνῷ πελέκει τέκετο ξανθὰν Ἀθάναν'. *Mar. Plot. p. 545, 3:* Compositum Pindaricum fit penthemimerico iambico ex utraque parte posito et in medio penthemimerico dactylico, 'ὃϲ καὶ τυπεὶϲ ἁγνῷ πελέκει τέκετο ξανθὰν Ἀθάναν, contrane lucrum pauperis ingenium nihil valere'.

---

1 elegiaci uersus ς elegiacum uersus *A B* 2 iambelegum ς *B* iambilegum *A*

Item ex anapaestico dimetro acatalecto et iambico di- 144*
metro catalectico, ut est 'age nunc comites rabidae Cybeles vocant choros ad aras'.

Quod ἀcυνάρτητον appellavimus metron, quale est ex 145*
iambico dimetro acatalecto et ithyphallico compositum ita, 'iubar superne fulgida lucet arce caeli'. Aut contra ex trochaico dimetro acatalecto et iambico dimetro catalectico, velut 'caeruli Menoeta ponti ratisque rectitator'.

Item ex choriambo et basi iambica, ultimis trochaeis 146*
tribus, 'Lydia, dic precor mihi cur tacere nolis'.

144* *Mar. Vict. p. 103, 1:* Item ex anapaestico — ad aras. *Ibid. p. 144, 12. p. 146, 6:* item ex anapaestico dimetro acatalecto et iambico dimetro catalectico, 'age nunc comites rabidae Cybeles vocent choros ad aras'. *Ibid. p. 143, 5:* rursus ex dimetro anapaestico et dimetro iambico catalectico sic, 'age conscia Musa, sacros scopulis refer sonaque cantus': 'age conscia Musa sacros scopulis' dimetrum anapaesticum, 'refer sonaque cantus' dimetrum iambicum catalecticum.

145* *Mar. Vict. p. 103, 13:* Quod ἀcυνάρτητον — ratisque rectitator. *Hephaest. p. 53, 25:* Ἄλλο τούτου ἔλαττον κατὰ τὴν τελευταίαν cυλλαβὴν τὸ καλούμενον Εὐριπίδειον τεccαρεcκαιδεκαcύλλαβον, οἷον παρὰ μὲν αὐτῷ Εὐριπίδῃ ''Ἑῷοc ἡνίχ' ἱππόταc ἐξέλαμψεν ἀcτήρ'. παρὰ δὲ Καλλιμάχῳ 'ἔνεcτ' Ἀπόλλων τῷ χορῷ· τῆc λύρηc ἀκούω· | καὶ τῶν Ἐρώτων ᾐcθόμην· ἔcτι κἀφροδίτη'. Ἄλλο ἀcυνάρτητον ὁμοίωc κατὰ τὴν πρώτην ἀντιπάθειαν, ἐκ τροχαϊκοῦ διμέτρου ἀκαταλήκτου καὶ ἰαμβικοῦ ἑφθημιμεροῦc, ὅπερ, ἐὰν παραλλάξῃ τὴν τομήν, γίνεται τροχαϊκὸν προκαταληκτικόν 'ἔcτι μοι καλὰ πάϊc χρυcέοιcιν ἀνθέμοιcιν | ἐμφερῆ ἔχοιcα μορφάν, Κλε(η)ὶc ἀγαπατά, | ἀντὶ τᾶc ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν πᾶcαν, οὐδ' ἐραννάν'. τούτων δὲ τὸ μὲν δεύτερον δῆλόν ἐcτιν ἀπὸ τῆc τομῆc ὅτι οὕτωc cύγκειται, ὡc προείρηται, ἐκ τοῦ τροχαϊκοῦ διμέτρου ἀκαταλήκτου καὶ τοῦ ἑφθημιμεροῦc ἰαμβικοῦ· τὸ δὲ πρῶτον, διὰ τὸ πρὸ cυλλαβῆc ἔχειν τὴν τομήν, ἐγένετο προκαταληκτικόν, ἐκ τροχαϊκοῦ ἑφθημιμεροῦc, τοῦ 'ἔcτι μοι καλὰ πάϊc', καὶ διμέτρου ἀκαταλήκτου, τοῦ 'χρυcέοιcιν ἀνθέμοιcιν'. τὸ δὲ τρίτον ἐξ ὑπερκαταλήκτου, 'ἀντὶ τᾶc ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν'. καὶ βραχυκαταλήκτου, 'πᾶcαν οὐδ' ἐραννάν'. *Cf. Schol. Aristoph. equ. 756. Vide supra p. 48.*

146* *Mar. Vict. p. 144, 21:* Item ex choriambo — tacere nolis. item ex choriambico dimetro acatalecto et trochaico dimetro catalectico sic, 'Lydia, dic quid retices, cur venire perneges'. *Hephaest. p. 55, 4:* Ἀνακρέων δὲ οὐκ ἰαμβικῷ ἀλλὰ χοριαμβικῷ ἐπιμίκτῳ πρὸc τὰc ἰαμβικὰc ἐπήγαγε τὸ ἰθυφαλλικόν, 'τὸν μυροποιὸν ἠρόμην Cτράττιν εἰ κομήcει'.

---

1 ex anapaestico dimetro acatalecto *Keilius* ex anapaesto acatalecto *A B* ς   4 metron *A* metrum ς *B*   5 acatalecto *Caesar de vers. asynart. p. X (cf. Westphalius Philol. t. XX p. 92)* catalectico *A B* ς   8 menoeta *B a Val.* monoeta *A* monarcha ς   10 Lydia] *cf. Hor. carm. I 8, 1*

147* Item ex choriambo et dipodia iambica et trochaica, ultimo amphimacro, ut 'Lydia, dic precor libens, unde dona quae geris'.

148* Item quod utrosque pherecratios sic, 'rumpunt carbasa venti, fiunt liba Priapo'.

149 Qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis posuerunt, et est haec quoque vitiosa confusio, ut

si qua flagella iugabis, ante putare decet,

147* *Mar. Vict. p. 144, 19:* Item ex choriambo — quae geris. *Hephaest. p. 55, 7:* Τούτου δὲ μεῖζόν ἐcτι cυλλαβῇ τῇ τελευταίᾳ τὸ καλούμενον Κρατίνειον. Ἔcτι γὰρ ἐκ χοριαμβικοῦ ἐπιμίκτου, τοῦ τὴν δευτέραν ἰαμβικὴν ἔχοντος, καὶ τροχαϊκοῦ ἑφθημιμεροῦς· 'Εὔïε κιccοχαῖτ' ἄναξ, χαῖρ', ἔφαcκ' Ἐκφαντίδης, | πάντα φορητά, πάντα τολμητὰ τῷδε τῷ χορῷ, | πλὴν Ξενίου νόμοιcι, καὶ Cχοινίωνοc, ὦ Χάρον'. Τὸ μὲν οὖν καθαρὸν Κρατίνειον τοιοῦτόν ἐcτι. *Mar. Vict. p. 146, 10:* item ex choriambo et dipodia iambica et trochaica ultimo amphimacro, 'Lydia dic precor libens, unde mala quae geris'.

148* *Mar. Vict. p. 145, 6:* Item quod — liba Priapo. *Hephaest. p. 56, 7:* Καὶ τὸ ἐκ τῶν ἀντιcπαcτικῶν δὲ καταληκτικῶν διμέτρων δικατάληκτον, ὃ Φερεκράτης ἑνώcαc, cύμπτυκτον ἀνάπαιcτον καλεῖ, ἐν τῇ Κοριαννοῖ, 'ἄνδρες πρόcχετε τὸν νοῦν ἐξευρήματι καινῷ | cυμπτύκτοις ἀναπαίcτοις'. *Mar. Plot. p. 538, 12:* Antispasticum hephthemimericum pherecratium fit hippio quarto, hippio primo, hippio tertio, spondeo vel trochaeo, 'nunc te Bacche canam nec non silvestria tecum'. constat enim pherecratium antispasticum duplici pherecratio dactylico copulato, 'nunc te Bacche canam nec | non silvestria tecum'.

149 *Prisc. de metr. Terent. p. 420, 24:* idem in octavo *(cf. supra*

---

3 generis *A* 6 *de codicibus vid. adnot. ad fr. 70* qui er confunderunt *V* 7 in locis *Lindemannus* uel locis ς ionicis *R V A* iambicis *a* iambis *B* 8 pro dactylis *B a* pro dactylicis *R V A* est *om. B* haec *om. A*, *add. a*
10 *emendatio loci incerta manet:* Si qua flagella iugabis, ante putare decet, Ne resolutis vidua ulmus et ornus Acri dissidio dare Nysia rura queant *coniecit Bergkius Mus. Rhen. t. I (a. 1842) p. 380* Si qua flagella iugabis, ante putare decet, ne Ire soluta velint viduis ulmis et ornis, Et grave discidium queant dare Nysia rura *proposuit Keilius Quaest. gramm. p. 19* iugabis *Ald.* iuuabis *R V A B* decet ne resoluta ς *et codex Leidensis Voss. 34. 4* decernere soluta *V B* decernere resoluta *R* decerne ∗∗ Resoluta *A*

ne resoluta et vidua ulmis et ornis
agri discidium dare Nysia rura queant.

---

p. 17 sq.) 'qui ergo — rura queant'. hac confusione usi sunt comici nostri in trochaicis suis, ut indiscrete dactylos vel spondeos vel trochaeos ponerent. *Cf. quae supra disserui p. 8 sqq.*

---

1 ulneiis et ornis *B* ulmus et cornus ς 2 nysia ς nya *R V A B*

DISPUTATIONIS SUMMARIUM.

Caput I. Diversum esse Iubam metricum a Iuba Numidiae regis filio perperam negabant nostrae aetatis homines docti: verum vidit H. Wentzelius. Fons erroris aperitur p. 6. Nomen metrici et patria indicatur. In aetate eius definienda Heliodori aetas parum valet. Anniano Falisco Iuba usus est: p. 11. Aphthonii error redarguitur. Septimii Sereni opuscula ruralia Iubae cognita: p. 11 sqq. Scripsit Iuba saeculo tertio vel initio quarti. 'Ars metrica' erat titulus operis. Praeter Artem nihil scripsit Iuba. Disputatio de Artis librorum numero fit p. 15 sqq. Octavi voluminis apud Priscianum memoria adversus doctorum dubitationes defenditur. Prototyporum expositio a novo libro initium cepit, item singulari libro ad finem perducta est. Rufini de libro quarto testimonium cum Prisciani de octavo coniungitur. Volumen octavum ad metra asynarteta et polyschematista pertinet. Prototyporum expositionem tertio quarto quinto sexto septimo libris inclusam fuisse exponitur p. 18 sqq. Erat haec distributio et materiae et aequalitati dispositionis quam maxime accommodata. Bipertitae huius librorum rationis indicia quaedam adferuntur e Victorino. Num plures quam octo libros artigraphus scripserit quaeritur p. 21 sqq. Ubinam libri primi finis et secundi initium constituenda sint, non satis liquet. Ex eis locis, qui Iubae nomine addito a grammaticis citantur, nullus necessario ad derivandi metra rationes referendus est. Inde quod Caesio Iuba usus est non consequitur ut etiam derivata Arte complexus sit vel (quod eodem redit) octo libros migrarit. Decidit rem ea ratio quae intercedit inter Aphthoniani operis partem priorem et posteriorem: Iuba derivata non praetermisit. Videntur Artis libri octo aliis non nullis voluminibus (fortasse quattuor) excepti fuisse. In reconcinnanda metrici memoria ultra octo libros progredi non licet.

Caput II. De auctoribus graecis quos Iuba sequebatur disputatio fit p. 28 sqq. Heliodorus a Varrone non exscriptus est. Metricorum graecorum mentio Suida potissimum duce inicitur: Iuba eos non inspexit, unius potius alteriusve priorum auctoritati addictus. Seleucum Aristarcheum a Iuba adhibitum esse ex Prisciani de metr. Ter. commentario non consequitur. De Philoxeno Alexandrino disputatur p. 31 sqq. Philoxenus Heliodoro aetate superior. Heliodorus antispasticum metrum non primus

inter prototypa recepit: redarguitur Westphalii error. Aetas Philoxeni accuratius definitur: Philoxeni doctrina Iubae Heliodori beneficio cognita erat. Transitur ad Heliodorum p. 35. Cur Heliodoro potissimum Iuba se addixerit exponitur. Metrica ratio quam Iuba Heliodoro debuit paucis delineatur: inde confirmatur Artis librorum distributio supra proposita. Octo Heliodori metra principalia enumerantur p. 37 sq. Victorini de paeonico caput ad Iubam referendum est. De rhythmica paeonici metri natura exponitur. Novem prototyporum mentio quae apud Victorinum legitur cum Iubae rationibus haud discrepat. Res confirmatur Atilii Fortunatiani testimonio. Ordo principalium Heliodori proponitur p. 41. Diversi apud metricos principalium ordinis rationes explicantur. Hinc quanti quisque momenti sit metricorum latinorum ad Iubae Artem refingendam perspicitur. Westphalii de Victorino et Atilio iudicium confirmatur: falsa protulit de Diomede. Diomedis brevis de prototypis expositio e derivandi rationibus pendet. Duo potissimum prototyporum systemata distinguenda sunt: altero dactylicum et iambicum ceteris metris praeponuntur, altero metrorum ordo ad epiplocarum rationes redactus est. Diomedis ab Heliodoro discrepantia aliis indiciis confirmatur. Rhythmica paeonum interpretatio non ab Heliodoro demum prolata est. Hephaestio a Iuba non inspectus est: Hephaestionis cum metricis latinis consensus plerumque inde repetendus est, quod Heliodorus etiam ab Hephaestione descriptus est: p. 48 sqq. Nec magis Longino Iuba usus est. Artis liber primus et secundus Heliodoro duce recuperatur p. 50 sqq.: Aphthonius in excerpendis Artis duobus libris prioribus diligentior quam in reliquis. Libri primi cum Graecorum tractatibus, praecipue cum scholiis Hephaestioneis consensus inlustratur p. 51 sqq. Hoc consensu non semper ad Heliodorum ducimur: eius modi loci interdum Caesii vel Varronis opera ex antiquiorum enchiridiis derivari poterant. Fragmenti Ambrosiani cum metricis latinis consensu Heliodorus proditur. Secundum Artis volumen inlustratur p. 54 sqq.: haud pauca ad Caesium et Varronem redeunt, qui Graecis utebantur Heliodoro antiquioribus. Heliodori vestigia indicantur in Victorini capitibus 'de metrorum fine seu clausula', 'de epiploce', 'de vitiis versuum'. Eadem via de Artis libro octavo disputatur p. 59 sqq. Aphthonii vel Victorini in excerpendo temeritas exemplis probatur. Victorini aliquot loci cum Heliodori colometria Aristophanea comparantur p. 61 sq.

Caput III. De Iubae auctoribus latinis disputatur p. 62 sqq. Memoria inicitur P. Valerii Catonis, Cornelii Epicadi, Ennii grammatici. M. Terentium Varronem Iuba non exscripsit. Caesii Bassi libri de metris fragmentum nobis servatum est: p. 64 sqq. Caesiani operis pars non integra aetatem tulit partim librariorum

incuria partim excerptoris festinantia. Caesius Bassus, qui de metris scripsit ad Neronem, idem ac lyricus poeta: p. 67. Persii satirae sextae initium ad Bassi ingenium inlustrandum locus praecipue idoneus. Bassus carmen de litteris, syllabis et metris non fecit, neque vocum origines versibus persecutus est; Caesius Bassus non cum Gavio Basso confundendus. Caesius Bassus priscorum poetarum studiosissimus 'veterum primordia vocum' aucupatur: p. 69. Confirmatur hoc Caesianae metricae fragmento et Persii amici ironia. Caesius Bassus inter primos antiquarios qui dicuntur referendus est. Confirmatur inde Quintiliani de Bassi poesi iudicium p. 72. Metrorum studium in Basso cum poesi coniunctum. Censorini qui dicitur de metris fragmentum a Caesio Basso alienum videtur maxime propter artis vocabulorum discrepantiam: p. 73 sqq. Num Iuba Basso usus sit quaeritur p. 75 sqq. Artis octo libri priores cum Caesianis rationibus male cohaerebant: p. 76. Caesio Iubam usum esse ex eis Victorini locis adparet, qui cum Terentiano ita conspirant ut non ex ipsius Terentiani libris transcripti esse possint: p. 77. Eius modi loci enumerantur p. 79. Non Aphthonius demum ex Caesio hausit, sed ipse artigraphus. Ratio, qua in Caesio exscribendo versatus est Iuba, non semper sibi constans. Iuba non in eis solum libris quibus derivata persequebatur Caesium adhibet: haurit ex eo priscorum poetarum notitiam: p. 82. Non nulla eorum quae Heliodorus tradit, etiam apud Caesium Iuba potuit reperire: p. 83. Posterioris aevi eos poetas amplectitur qui metrorum varietate eminebant: p. 83.

Caput IV. Num Terentianum Iuba adhibuerit quaeritur: quaestionis difficultas indicatur p. 84. Terentianum ab Aphthonio vel Victorino expressum esse exemplis probatur. Comparent apud Victorinum dicendi formae quas Terentianus metri necessitate cogente admiserat: p. 86. Ipsius Terentiani verba ab Aphthonio pro exemplis adhibita sunt: p. 87. Victorini locus, quo nominatim Terentiani memoria fit, ab Aphthonio profectus est. Victorini generaliore fontium significatione de Iuba nihil efficitur. Locus, ubi necessario de Terentiano a Iuba adhibito cogitandum sit, non reperitur: p. 89 (cf. p. 161 adn.). Quod Iubae artis quaedam vocabula etiam eis Victorini locis conspiciuntur, ubi Terentianus exscriptus est, in hac re non premendum est. Atilius Fortunatianus Terentianum non adhibuit: p. 91. Difficultas extremae Artis particulae refingendae inlustratur p. 92. Westphalii opinio de ratione quam inter Terentianum et Caesium interesse vult redarguitur p. 94 sqq. Terentianus ipsum Caesium exscripsit, Aphthonius Iuba intercedente: quod inlustratur Victorini 'de pedibus' tractatu p. 96 sqq. Victorini hoc caput ex Iuba expressum est. Fons indicatur Irenaei nomine pro exemplo

posito. Diomedis de pedibus tractatus a Iuba alienus: p. 103; item aliae eius particulae.

Caput V. De oratione artigraphi agitur. Vocabulis graecis metricus interpretationem latinam coniungebat, raro nude ea recepit p. 105. Artis vocabula enumerantur p. 106 sqq.; ex hoc numero ea notantur, quae inferioris latinitatis propria sunt p. 111 sq. De syntaxi Iubae quaedam adduntur memorabiliora p. 112 sqq.: de praepositionibus p. 112, de infinitivo p. 113, de coniunctivi usu in enuntiatis condicionalibus p. 114 sqq., in causalibus enuntiatis p. 116 sq. De orationis habitu et colore non nihil additur p. 117 sqq.: de ubertate dictionis p. 118, de varietate 119 sq. Loci qui nimia verborum iteratione displicent a Iuba alieni: p. 120 sq. Apud Diomedem ea quae Iubae orationis propria sunt non reperiuntur: p. 122.

Caput VI. De compilatoribus Iubae accuratius disputatur. Marius Victorinus inde a p. 31, 17 Aelium Festum Aphthonium descripsit: p. 123 sq. Aetas Aphthonii est initium saeculi quarti: p. 124. In fontes Aphthonii inquiritur: adhibuit Iubam et Terentianum, non Varronem. Quis fuerit Thacomestus, incertum: p. 125. Quos auctores generaliore 'quorundam' vel 'non nullorum' significatione intellexerit Aphthonius quaeritur p. 125 sqq. Non numquam Terentianum vel Iubam ita significat. Generalius hoc dicendi genus iam apud Iubam adhibitum: p. 127 sq. Aphthoniana doctrinae iactatio exemplis inlustratur p. 129. Quattuor partes in Victorini opere discernendae sunt: p. 129. Aphthonius parcum se praestitit in excerpendo. Res saepius arbitrio excerpentis inter se coniunguntur: p. 130. Partitiones et transitiones libris vel maioribus librorum partibus praemissae ad Aphthonium referendae sunt: p. 130 sqq. In duobus prioribus Artis libris excerpendis Aphthonius diligentior quam in reliquis: p. 132. Plura igitur ex Aphthonii libro primo, pauciora ex insequentibus libris inter Artis reliquias recipienda sunt: p. 133 sq. Qua ex Artis parte fragmenta ab excerptore desumpta sint, non ubique certum: p. 134. Aphthonii misera excerpendi ratio Marii de paeonico deque proceleumatico capitibus probatur p. 134 sqq. Exempla graeca praetermisit Aphthonius: p. 136. Insignis Aphthonii in excerpendo neglegentia Marii libro primo inlustratur p. 137 sq. De Mario Victorino non nihil disseritur p. 139 sqq. In initio operis Marius paulo liberius Aphthonium exscripsit: p. 140. Novum tractatum operi Aphthoniano Marius adnexuit. Interpretamenta ex frequenti operis in scholis inferioris temporis usu fluxerunt: p. 141. Victorini additamenta ab excerptis Aphthonianis firmo iudicio discerni nequeunt. Asmonius, qui etiam metricam attigit in Arte sua, Iubam adhibuit: p. 142 sq. Marius

Plotius Sacerdos, qui Iubam semel nominat, artigraphi aequalis videtur fuisse: p. 143. In prototypis magis cum Diomede quam cum Iuba consentit. Diversa tractandi ratio qua Plotius utitur: p. 144. Praecepta sua saepe versibus conclusit. Metrorum eius imperitia cum impudentia coniuncta est. Artigraphi non nulla vestigia etiam apud Plotium comparent: p. 144 sq. Exempla graeca Plotius partim Iubae debet, partim suae lectioni, non nulla ipse finxit: p. 145. Servius Maurus Honoratus semel ad Iubam provocat; indicantur rationes metricae, quibus scholiastae Vergilii utuntur: p. 146. Centimeter libellus a Iubae Arte in universum alienus: p. 146. Flavius Mallius Theodorus ordine metrorum a Iuba recedit: p. 147. Sed octo metrorum numerum non migravit, nec non exempla quaedam ex Iuba recepit: p. 148. Terentianum exscripsit in quattuor primis metris prototypis, exempla ex parte ipse composuit. Priscianus Caesariensis Iubae Artem in manibus habuit, item Graecorum enchiridia: p. 148 sq. Rufinus Antiochiensis Iubam exscripsit: p. 149. Pompeii commentum propter verbosam tractandi rationem nihil habet utilitatis: p. 150. Fragmentum Bobiense 'de versibus' ex Iubae Arte fluxisse versuum exemplis comprobatur p. 151, item Marii et Atilii Fortunatiani consensu p. 152. Versuum ἔκθεσις apud Atilium et in fragmento Bobiensi pariter observatur. Exempla graeca librariorum ut videtur incuria omissa: p. 153. Dicendi genus a grammatico Bobiensi adhibitum Iubae vocabulis affluit: p. 153. Exempla fragmenti Bobiensis inter Artis reliquias plurima a nobis recepta sunt, ex ipsius grammatici verbis pauca: p. 154. Primus huius fragmenti excerptor ordinem metrorum a Iuba diversum instituit Hephaestionem secutus: p. 154. Parisiensis 'de iambico metro' fragmenti solum initium, ubi Iubae nomen legitur, inter Artis reliquias recipiendum est: p. 154 sqq. De Atilio Fortunatiano disseritur p. 156 sqq. Inter auctores, quos Atilius adhibebat, Iubam fuisse comprobatur Marii et grammatici Bobiensis crebro consensu p. 156. Videtur etiam Caesium vel eius consimilia fragmenta in manibus habuisse: p. 157. Exempla graeca partim ex Iuba partim ex Caesio fluxerunt: p. 157. Excerpendi ratio qua utitur Atilius perversa est: p. 158. Eius artis inscitia et neglegens scribendi genus: p. 158 sq. Atilii excerpta ad Iubam instaurandum minoris momenti sunt quam Westphalio videbantur: p. 159. Charisii et Albini memoria inicitur p. 160. In Augustini de musica libris Iubae vestigia quaedam incerta: p. 160 sq. De auctoritate Iubae disseritur, simul gravissima quaedam supra disputatorum comprehenduntur: p. 161 sqq. Ratio quae inter Iubae libros 'didascalicos' et 'pragmaticos' intercedebat, inlustratur.

INDEX RERUM IN DISPUTATIONE MEMORATARUM.

INDEX RERUM IN IUBAE RELIQUIIS MEMORATARUM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In emendandis Iubae reliquiis tres potissimum viri docti me egregie adiuverunt: Iulius Caesar, Guilelmus Christius, Henricus Keilius. Et Keilius ita me sibi devinxit ut metricorum contextum mecum communicaret qualem mox editurus erat: illorum uterque sua de rei metricae scriptoribus merita pariter augebant novis quas liberalissime mihi transmiserunt vel emendationibus vel observationibus. Quos viros nisi scirem mea laude esse maiores, dolendum mihi esset, quod singulari eorum benevolentiae hoc extremo demum loco et quasi remoto gratias agere mihi licet.

17, 21 quibus] lege: quod eis

100, 9 oppositione] l.: expositione

117, 16 quaeque] l.: aeque

121, 19 scrulus] l.: scrupulus

126, 35 l.: *idem hoc ex*

146, 21: non nullos tamen locos suppeditabit adnotatio nostra superior, velut ad pancration metrum, sotadicum, hymenaicum, alia.

153, 24 *non nisi ni*] l.: *non nisi in*

154, 9: de grammatici Bobiensis auctoritate nimis severe supra iudicavisse mihi videor. Nolui autem Artem hoc fragmento defraudare, quod ab aliis ad metricum certis argumentis relatum est. Paulo liberius igitur in recipiendis his frustulis versatus sum quam supra me versaturum esse dixeram.

178 adn. inf. 4 omnis germanos *A B*] in his accusativis librorum scripturam melius servassem

179, 8 verba: *nam ut volet — longam contrahat* ex alio loco huc inrepserunt: sic recte iudicavit Christius

191, 16 ad fr. 13*B typothetae errore testimonia quaedam exciderunt

212, 3 *Observabis autem* — 10 *praecepto servabimus*] fortasse extrema tantum verba *quod et in ceteris metris generali praecepto servabimus* inducenda erant

219 adn. crit. 9 l.: *addidit*

295, 11 Victorini verba *et quamvis — ista coniunctio* (cf. adn. sup.) in textum recipienda fuisse recte me monet Caesar